MONUMENTA ANECDOTA HISTORIAM GERMANIÆ ILLUSTRANTIA.

EX

SUA BIBLIOTHECA ALIISQUE

EDIDIT,

ET FIGURAS AERI INCISAS

ADDIDIT

GEORGIUS GUILIELMUS ZAPF,

SEREN. S. R. I. PRINC. DE HOHENLOHE & WALDENBURG

SCHILLINGSFÜRST A CONSILIIS AULICIS &c. &c.

VOLUMEN I.



AUGUSTÆ VINDEL.

SUMTIBUS EDITORIS TYPISQUE DECKARDTIANIS.

MDCCLXXXV.

EMINENTISSIMO & CELSISSIMO

PRINCIPI

AC

DOMINO, DOMINO

FRIDERICO

CAROLO JOSEPHO

DEI GRATIA

SANCTÆ SEDIS MOGUNTINÆ

ARCHIEPISCOPO,

S. R. I. PER GERMANIAM ARCHICANCELLARIO,

PRINCIPI ELECTORI,

EPISCOPO WORMATIENSI

&c. &c. &c.

EX

S. R. I. LIB. BARONIBUS

de ERTHAL.

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.



EMINENTISSIME & REVERENDISSIME
ARCHIEPISCOPE,
CELSISSIME
PRINCEPS ELECTOR,
DOMINE CLEMENTISSIME!

Ut præſens opus, ineditorum adhuc Monumentorum ad Hiſtoriam Germaniæ augendam præcipue ſpectantium

collectionem novam continens, TANTO PRINCIPI, PRINCIPUM IMPERII *qui creandis Cæſaribus ſummum obeunt munus, æque ac eccleſiæ Germanicæ ſummorum Præſulum facile primo,* inſcribere audeam, ſuaſit mihi non tantum NOMINIS TUI inter doctos Principes celebritas, ſed potiſſimum EMINENTIÆ TUÆ in litterarum cultores ipſos ſtudium & quæ nunquam ſatis prædicari queat, *clementiſſima humanitas*, nec non, quam univerſa eruditorum reſpublica dudum in TANTO PRINCIPE, tanquam multorum exemplo, lætiſſime ſpectat & veretur, hiſtoriæ, quam merito fidiſſimam Principum amicam dixeris, cum mira in ſagacitate conjuncta dilectio. Quis eſt ſincerus boni rectique æſtimator, qui non vetuſtiſſimæ Heroum GENTI ERTHALIÆ, tanquam feliciſſimæ matri de digniſſimo & parentem ſecum evehente filio, de SUMMO PRÆSULE GERMANIÆ ET PRINCIPE ELECTORUM PRINCIPUM, quem cum fauſtis univerſæ Germaniæ acclamationibus ſuum prædicat, gratuletur? Quis Moguntinæ ſedi non de tali ERTHALIO? Viget populus, florent artes, in dies creſcit Mercatura, æſtimatur & in homine peregrino, aliena ſacra profitente, naturæ communitas, atque integritas vitæ, ſplendet religio non armorum ſtrepitu, in diſſidentes paratorum, ſed amore vere Chriſtiano homines ferente, docente, corrigente, tanquam ſplendore cœleſti filiæ genuino & proprio, & quod ſine dubio ſummo Numini, omnis ſapientiæ fonti & largitori præſertim ratum gratumque eſt, habetur rationi, in fines ſuos redactæ, ſuus honos, pelluntur tenebræ, imperat

lux,

lux, inſtituuntur ſcholæ novæ, priſcæ reſtaurantur. Gaudet inprimis Academia ſeu (ut propria voce utar) Univerſitas Moguntina, cui PROTECTORIS ſui *ſolertiſſima cura* ſpiritum altioris vitæ inhalavit, calcaria ſibi ipſi addunt, quos aucta ſtipendia ut bene mereant continuo provocant, in ſummam ſpem eriguntur, juvenes quos ſtratæ viæ ad Helicona aſcendendum tam egregie invitant. Plaudit ipſe Helicon, quantuscunque ſit, mitiſſimo ELECTORI FRIDERICO CAROLO JOSEPHO, meſſem ſegete dignam optans, uberrimam augurans. *Diem* vero *decimum quintum Novembris* elapſi anni non tantum Moguntia, ſed quisque reipublicæ litterariæ civis faſtis ſignat, lætiſſimum diem, quo clariores unquam Academiæ Moguntinæ non multi illuxerint, qui *magnum Electorem* ab omnibus Purpuratis ſtipatum, adſtantibus Dicaſteriis, conſpexit, ſingulari ſuavitate æque ac gravitate orationem habentem — nunc typis exſcriptum — monumentum ære perennius — —


Nec poſt illud, fateor, meis laudibus opus erat. Ignoſcet vero EMINENTIA TUA, talium conatuum clariſſima fautrix, hujus operis fronti tanti Protectoris nomen inſcribenti, cum nulla res incœpto negotio impigerrime perſiſtendo, ardorem meum magis in cenſura mihi videatur, quam *Tuorum vultuum in ſuſcipiendo hoc volumine ſerenitas.* Deus vero T. O. M. (ut vela contraham) conſervet EMINENTIAM TUAM diutiſſime Moguntinæ ſedi, Germaniæ noſtræ, Religioni,

Litte-

Litteris, Universitatibus Moguntinæ atque Erfordianæ, populis — & a cunctis uberrimos eosdemque lætissimos fructus rependat! Ego vero prius vitam, quam profundissimam reverentiam abdicabo, qua memet cum libro abdico

EMINENTISSIME & REVERENDISSIME
ARCHIEPISCOPE,
CELSISSIME
PRINCEPS ELECTOR
EMINENTIÆ TUÆ

humillimus obsequentissimus servus
Georgius Guilielmus Zapf.



PRÆFATIO.

Siſtitur hic benevolo lectori, præſertim hiſtoriarum amatori atque ſcrutatori, novi operis, nimirum Monumentorum anecdotorum, quæ nuper publice promiſi, adjutante divino Numine conatibus meis propitio, Volumen primum. Quæ inde reipublicæ litterariæ, potiſſimum ad hiſtoriam augendam, illuſtrandam, firmandam enaſcatur utilitas, judicet, cui harum rerum dijudicatio competit, rerum gnarus, qui certiſſime propter has operas meas in edendis usque ad horam hanc reconditis theſauris probrum in me jacet nullum. Nec igitur locum hunc, qui a me præfationem ſeu prologum dicente ſecundum jus & conſuetudinem ſcriptorum vindicari poſſit, more gladiatorio intrabo, ſatius & tam loco huic quam editoris muneri aptius ducens, pauca ad rem pertinentia breviter enarraſſe.

A puero hiſtoriæ ſtudium, quantacunque ſit, amplexus ſum, in illo hærens in illo rejectus, quæcunque res & negotium animum attraxiſſet. Procedebat cum annis perdiſcendarum hiſtoriarum fames; deerat idonea,

unde illi satisfacerem, librorum præclarorum supellex. Denique divina providentia & hanc largiebatur, postquam (sunt anni plus minus duodecim) in hanc celeberrimam quondam Vindelicæ nunc Sueviæ urbem Imperialem, Augustam hanc florentissimam me contuli, ubi, quantum per mediocritatem mihi licuit, enisus sum, ut Bibliotheca mea scriptis historicis, quæ usibus meis inserviant, esset egregie instructa. Nec etiam fortunam meam, quæ votis supra spem respondit, sua laude defraudari volo, fateor potius lubentissime, arrisisse mihi illam blande, imo obviam venisse, manusque auxiliatrices porrexisse, rariora manuscripta historica venandi investigandique, ubicunque sacrorum & profanorum locorum latebrarumque ultimarum talia latere quodammodo opinari potuerim; semper enim manuscripta potissimum historica tam vetustate quam contentis ipsis insignia magni æstimavi, inter præcipua Bibliothecæ ornamenta & cimelia illa ponens, dulcissimam subinde spem nutriens, & me fore aliquando ad egregium quid ex occulto protrahendum & in usus eruditorum aptandum, operarium non ineptum nec infelicem.

Plura manuscriptorum codicum a me tali modo acquisitorum ab interitu, a quo non procul fuere, servata, nunc in Bibliotheca mea asservantur, & monumentorum horum, quæ nunc publicæ luci expono, occasionem dedere ac facultatem. Prius autem quam animum ad edenda illa advertere possem, opes meas litterarias qualicunque modo augendas, & bonorum virorum amicitias, quæ mihi postea usui esse possent, mihi conciliandas esse ratus, itinera aliquot suscepi, celeberrima superioris Germaniæ monasteria invisi, Bibliothecas & manuscriptorum scrinia inspexi, amicitiam cum meritissimis viris tum clericis tum laicis contraxi, commercium epistolare, quod quidem dudum intra Germaniæ fines non amplius includitur, magis extendi, aliorum virorum doctorum vires ut meæ tenuitati

nuitati ſubveniant, (quando ubique terrarum omnia non poſſumus omnes, nec ipſæ quidem Parnaſſi incolæ Pierides) quoque modo enitens. Ut taceam de Sæculi frigiditate, cui quidem ardorem meum in promovendo hoc opere fortiter oppoſui, ſed periculo meo; tempus ſequens docebit, an etiam detrimento.

Poſt generaliora hæc totius operis ſummam attingentia, ſingula hujus primi Voluminis membra recenſebo.

I. In prima ſtatim fronte occurrit *Diplomatarium miſcellum notis hiſtorico-diplomaticis illuſtratum ex Bibliotheca illuſtriſſimi atque excellentiſſimi Dn. Lib. Baron. de Zurlauben.* Continet id, ſine dubio in gratiam Litteratorum & in ſubſidium hiſtoriæ CII. antiquiſſima eaque adhuc inedita Diplomata, quæ ab anno 815. usque ad annum 1398. pertinent, explentque noſtrarum pag. 1 - 222. Sed ea non ſunt nuda, verum luculentiſſimis notis illuſtrata, quas *Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo eique doctiſſimo Lib. Baroni de Zurlauben* debemus. Ignoſcet ille *ſummus Vir*, & ſine dubio cum voluptate accipiet Germania noſtra litterata, quam hic inſeram breviſſimam illius vitæ delineationem. Is quidem & in eruditorum regionibus non novus atque ignobilis homo, forſitan autem, quia maximam partem vitæ in Gallia degit, nec cuncta magna & clara nomina, etſi præ multis aliis mereantur, fines noſtros intrant, eſt noſtris civibus non ſatis notus.

Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus Dominus Beatus Fidelis Antonius Joannes Dominicus, Liber Baro de Turre Caſtellionis (de la Tour Chatillon) dictus Zurlauben, Hæreditarius in Hembrunn & Angliken, Præfectus ordinis Equeſtris Regii a S. Ludovico nominati, Protribunus Regis Franciæ &c. &c., natus eſt Tugii in Helvetia

 III.

III. Menſ. Aug. anno 1720. Ortum ei dedit antiquiſſima & nobiliſſima Familia, cujus majores a Sæculo XI. numerantur, quorum tamen claritas nepotes ſuos ab adverſa fortuna ſemper tutos non præſtitit. Sed mittamus hæc cum huc non pertineant, ad *Noſtrum* redeuntes. Obitus Patris *Beati Ludovici* Tugii a 1730. fato præpropero abrepti, quem Matris *Mariæ Annæ de Burz-Seethal* poſt duos annos ſequebatur, eum admodum tenerum curæ Avunculi transtulit, cujus conſilio, cum jam ante Tugii, Colmariæ & Radolphcellæ Muſis ſeſe addixiſſet, linguæ Romanæ tyrocinium ponens, anno 1730. Lutetiam migrabat, ibi inter militiam Regis & Muſarum diſciplinam omne tempus partiturus, quod etiam per Semi-Sæculum tanta induſtria fecit, ut difficile dictu ſit, ex quo ſervitio major illi redundaverit gloria, cum ſit ex utroque maxima. Sed miſſis, quæ in judicium noſtrum non cadunt, militaribus *Nobiliſſimi Zurlaubii* laureis, tantummodo ejus vitam privatam eamque litterariam levi calamo tangamus. Pergamus itaque in cœpta narratiuncula. Profecit *Noſter* Pariſiis ſub ductu clariſſimorum Virorum peregregie tam in Philoſophiæ quam Hiſtoriæ ſtudiis, & cunctis quas ſibi hiſtoria tanquam famulantes aut certe ſocias vindicat, diſciplinis, Geographia, Antiquitatis ſcientia, re nummaria &c. &c. Præſertim cujusdam Viri, cui *Noſter* multum debere fatetur, nimirum *Perilluſtris Eugenii Petri de Surbeck*, *Centurionis Soloduraui*, memoria hic renovari meretur; erat illi Græcorum & Romanorum Numismatum magna & peregregia collectio, quam *Noſtro* non tantum quotidie aperiebat, ſed & illum liberatiſſime in hoc Muſeo inſtituebat, priſca ſæcula quaſi renovans & reducens. Nec diu ſingulares *Noſtri* dotes latere poterant, nec orbis litteratus in eum manere ingratus. Palmam illi dedit Academia, quæ Pariſiis floret, ſcientiarum

rum

rum Regia anno 1748, cum commentationem quondam elaboraſſet; proximo anno auctorem ipſum legit inter membra ſua honoraria. Anno 1762. Thuregana Societas Naturæ curioſorum illum ſuum fecit. Anno 1768. aſſumtus eſt Romæ in Gremium ſocietatis Arcadiorum, quem quidem illi honorem, qui tum Lucernæ munus Nuntii Apoſtolici tuebatur, jam galero purpureo ornatus & Legatus Ravennenſis, incomparabilis Vir, *Valentinus Gonzaga*, doctiſſimus pariter atque humaniſſimus, Bibliothecæ permagnæ Poſſeſſor, & Germanorum quibuscum frequens Epiſtolarum commercium alit, fautor, inſcio procuravit.

Sed honores illi *Noſtrum Lib. Baronem de Zurlauben* clarum quidem verum non ſatis notum reddere poterant, dum (ut ita dicam) magnitudinis ejus litterariæ maxima pars in Bibliotheca, quam poſſidet, numeroſa & ſplendida usque ad hunc diem latet abſcondita. Titulos aliquot Lucubrationum *Zurlaubianarum* exempli gratia hic deſcribo: *Hiſtoria diplomatica priſtinarum præfecturarum ordinis Lazari in Seedorf & Gefenn nunc ditionis Helveticæ; Commentatio in Alpes Penninienſes & Deum Pennini ſeu Pœnini, in quatuor Sectiones diviſa; Commentatio in duo Diplomata Rudolphi II. Burgundiæ Regis*, cum notis Geographicis & hiſtoricis diplomata ipſa illuſtrantibus. Ad hæc in *Bibliotheca Zurlaubiana* circiter Volumina CCCC. Manuſcriptorum reperiuntur, tum hiſtoriam Helveticam tum vicinarum regionum concernentium, maximam partem diplomatum originalium, partim etiam exemplorum aliorum ſcriptorum rariorum, præſertim Chronicorum, fide dignorum. In quibus, potiſſimum Diplomatibus & poſteri adhuc *Zurlaubianæ diligentiæ & eruditionis documenta* reperient adſperſas illis notas hiſtoricas.

 Quis

Quis non tali viro, ut omnia prospere eveniant, optet? Sed luget ille ab anno 1780. filiorum triadem, superstitibus tantum filiabus duabus ex conjuge dignissima *Maria Elisabetha*, filia *Perillustris Joannis Jacobi Kolinii* Tribuni militum susceptis, ante Portas Tugianas in villa solitariam vitam agens, tribuens tamen litteris & amicis otium, quod sibimet ex obitu natorum valedicens mundo fortiter vindicavit.

Plura vid. in clar. Leonardi Meisteri scripto, cui nomen inscriptum: Clarissimi Helvetiæ viri Part. II. pag. 237. - 268.

II. Sequitur secundo loco *Historia diplomatica Monasterii Rhenaugiensis Ord. S. Benedicti, auctore Rev. D. P. Mauritio Hochenbaum van der Meer* a pag. 223 - 430. typis exscripta perbreve, duobus tantum vocabulis consistens, sed non vulgare elogium hujus historiæ auctori Rev. & Clar. is ipse dicavit, quem vix Lectoris benevoli admirationi exposuimus, *Illustrissimus Noster Lib. Baro de Zurlauben*, litteris die XII. Decembr. 1781. ad me datis ita scribens: *Hisce diebus sub Auspiciis Helvetici Mabillonii, Mauritii van der Meer Rhenaugiensis Prioris humanissimas tuas litteras accepi unacum edito Germanici tui Itineris scopo;* ex quo de ferrea cum ingenii acumine viri sedulitate facile indicari queat. Historia ipsa, quæ hoc loco prima editione publicatur mihi innotuit anno 1781, sicut ex descriptione Itineris mei litterarii dicto anno suscepti luculentius apparet. Sed ex eo tempore auctoris sui curis iteratis ea majorem adhuc sibi venustatem adscivit, nec minus crevit corpore, ita ut *Reverendissimo Abbati Bonaventuræ II.* qui mihi tam benevole ejus publicandi potestatem fecit, & secundas has curas auctoris instituit, post auctorem maximas gratias debeamus. Illustrabitur

tur vero Rev. Patris opera & ſtudio tum hiſtoria *Welforum*, *Comitum de Lenzburg*, *de Habsburg*, *de Nellenburg*, *de Sulz*, *de Schwarzenberg* aliorumque, tum hiſtoria *Sueviæ*, *Helvetiæ univerſalior Monaſteriorum etiam inſignium*, & multorum clarorum eruditorumque Virorum fata deſcribentur, ſed poſteriora hæc ſecundo Tomo reſervantur.

III. Excipit hiſtoriam Rhenaugienſem *Codex probationum ſeu diplomatum* a pag. 431 - 522. impreſſorum. Sunt illa numero LXXXII. ſimul a Rev. Auctore notis hiſtoricis optime illuſtrata, & in communem utilitatem adornata, & ſpatium annorum ſupra quingentos comprehendunt, cum ab anno 855. usque ad annum 1375. excurrant. Alteram partem hiſtoriæ & diplomatum probantium expectabit Lector benevolus in Volumine ſecundo. Notandum etiam diplomatum horum ſecundum & tertium in celeb. b. Schœpflini Alſatia diplomatica Parte I. pag. 88. jam quidem extare impreſſa, ſed hic ex Chartulariis ipſis deſumta, quam fieri potuit, accuratiſſime.

IV. *Reflexiones in Chartam Traditionis Cellæ albæ, quæ nunc nomen ſancti Blaſii ſortitur.* Leguntur a pag. 523 - 542.

V. *Notæ in Catalogum Monachorum Rhenaugienſium libro Fraternitatis Sangallenſis inſcriptorum*, a pag. 543 - 551.

Sunt utræque ejusdem Rev. Auctoris, notæ autem proprie commentarium efficiunt ſuper membranam antiquam, quam hic accurate ſecundum originale, quod Monaſterium S. Galli ſervat, forma quarta majore, ex ſæculo nono, æri incidere curavi.

Denique

Denique Voluminis hujus summæ, corollarii loco, aliquot sigillas quæ ad Diplomata Rhenaugiensia pertinent, addidi, æri incisa.

Cæterum quam celeriter vel tarde secundum Volumen hujus certæ non despiciendæ collectionis insecuturum sit, ipsemet primo a promotoribus illius scire cupio; si illi expectationi meæ responderint, & orbem litteratum opportune edocturus. Non deerit industria mea, non deerunt scitu digna argumenta, & gravia & varia. Modo faveant Editori Eruditi & Mecænates. Dabam Augustæ Vindelicæ die I. Mart. Anno æræ vulgaris MDCCLXXXV.



I. DIPLO-

I.

DIPLOMATARIUM MISCELLUM

NOTIS HISTORICO-DIPLOMATICIS ILLUSTRATUM

EX

BIBLIOTHECA

ILLUSTRISS. ATQUE EXCELLENTISS.

DN. LIB. BARON. de ZURLAUBEN.

I.

Diploma Imperatoris HLudovici datum die XXVIII Julii DCCCXV Matri Ecclesie Sancte Marie Lausonne ubi Fredurius Episcopus preest.

Cartularium Lausannense, Saeculi XIII, cujus apographum Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana, l. I. *Helveticarum Cartarum a Saeculo septimo*, p. 73-75 & 350, & l. VII. *Monumentorum Helvetico-Tugiensium* p. 87-88.

IN NOMINE DOMINI DEI ET SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI (1). HLUDOVICUS DIVINA ORDINANTE PROVIDENTIA IMPERATOR AUGUSTUS. Quiquid (2) enim pro obportunitate servorum Dei agimus. hoc nobis ad eternam retributionem pertinere confidimus. Igitur notum sit omnium fidelium nostrorum solertie presentium & futurorum. quia placuit nobis ad matrem ecclesie sancte Marie Lausonne (3). ubi Fredurius (4) episcopus autore Deo preest. propter congregationem ibidem consistentium. ad suplementum eorum aliquid de rebus proprietatis nostre concedere, atque per hoc preceptum nostrum confirmare. id est. quandam cellulam que est in eodem pago (5) Lausonne super rivulum qui vocatur Venobia (6). nuncupatam Balmeta (7). que est constructa in honore sancti Desiderii. una cum portione nobis debita in forarias (8). apud villam que dicitur Sclepedingus (9). cum ruboria (10) que vocatur Mauromonte. habentem plus minus colonicas XX. cum ecclesiis. domibus. edificiis. mancipiis. colonis. terris. vineis. pratis. pascuis. silvis. aquis. aquarumque decursibus. quesitum. & inquirendum. quiquid in eisdem locis nostra iusta videtur esse possessio. totum a die presente & deinceps. in iure sancte ecclesie tradimus donationem (11). ad necessitates videlicet fratrum ibidem Deo famulantium suplendas, & ad pauperes alendos. ut futuris temporibus in nostra elemosina ibidem Deo opitulante proficiat in augmentum. Recipientes ergo iubemus. ut nullus ex fidelibus sancte Dei ecclesie ac nostris adversus predictam ecclesiam. vel ad eius rectores aliquam calumpniam inferre. aut aliquam contrarietatem facere temptet. Sed liceat ipsas res. sicut superius intulimus. iure perpetuo habere. atque absque alicuius resultatione perennis temporibus tenere. atque possidere. Et ut hec donatio preceptionis nostre per curricula annorum inconvulsa valeat manere. & a fidelibus sancte Dei ecclesie

melius

melius credatur. vel confervetur. manu propria fubfcripfimus & de annulo noftro fubter iuffimus figillari. Data V. Kalend. Augufti anno primo (12) Chrifto propitio. imperii noftri. indictione (13) VII.

Notae.

(1) Eruditus Abraham *Ruchat*, Academiae Laufannenfis Profeffor qui anno 1750 obiit, legebat: *JHESU Chrifti.*

(2) Idem legebat *quicquid.*

(3) Idem legebat: *Laufanne.* Cartularium autem Laufannenfe in quo praefens apographum cernitur, *paginâ* 567. faeculum circiter medium XIII. a Cunone *de Stavaiaco* Praepofito Capituli Laufannenfis, è vetuftiori tranfcriptum, plures donationes Imperatorum & Regum Burgundiae, &c. & alias magni momenti, prelo dignas, continet cum multis Anecdotis Hiftoricis.

(4) *Ruchat* legebat: *Fredarius.* Sequentia dat Cartularium Laufannenfe, Saeculi XIII: *Tempore Karoli fuit Udalricus Epifcopus. Tempore Ludovici Imperatoris filii Karoli Magni quidam Fredarius Epifcopus Laufannenfis Anno ab incarnatione Domini DCCCXV. Sed non inveni quamdiu.* Sed obfervavit idem *Ruchat Pafcalem* fuiffe Anno DCCCXVII Epifcopum Laufannenfem. Vide *Chronicon breve veteris Chartularii Laufannenfis* p. 7. Tomo feptimo *Monumentorum Helvetico-Tugienfium*, inter manufcriptos Codices Bibliothecae Zur-Laubianae.

(5) In duobus Apographis Cartularii Laufannenfis legitur: *in eodem pago Laufonn. fupra rivulum Venobia.* Pagus autem Laufonnenfis vel Laufannenfis erat unus è latinienfis Burgundiae Trans-Juranae pagis.

(6) *Venobia*, Gallicè *La Venoge*, fluviolus qui oritur unâ mediâ itineris leucâ fupra pagum *L'Isle*, in praefectura *Morges*, ditione autem Reipublicae Bernenfis.

(7) *Ruchat* legebat: *Balmetha.* Cella *Balmeti* vel *Baulmes* aut *Baume* fupra Venobiam, *fur la Venoge*, a pluribus jam deftructa eft faeculis. erat dedicata *Sancto Defiderio*, Gallicè *Saint-Didier.*

(8) Voce *Forrarias* vel *Forarias* defignatur *debitum fodri.* vide *Cangii* Gloffarium infimae latinitatis.

(9) In uno ex apographis Cartularii Laufannenfis legitur: *in forrarias vel villa que dicitur Sclepedingus cum ruboria* — aliud apographum habet: *una cum Villa que dicitur Scepedingus.* Legebat autem *Ruchatus*, *Slepedingis*, &

Riva-

Rivatus, doctus Vallesianus, *Sclependigis.* Hunc locum putamus fuisse *Esclepens*, hodiernum pagum & Parochiam cum duobus castellis, in Baronia *La-Sara*, & praefectura *Romain-Motier*, latinè *Romanum Monasterium*, ditione Reipublicae Bernensis. Iste pagus veteri Burgundionum linguâ vocabatur *Schlapdingen*, *Sclepedingis*, & *Islapadengs*, vide Amplissimi D. *Leu* Historicum Helvetiae Lexicon *T. VI. p.* 444.

(10) *Ruboria*; locus ubi magna ruborum, veprium & dumorum copia. Sic interpretatus est *Ruchatus.* Rivati autem lectio fert: *cum roborea qui vocatur Mauromonte habentem plus minus Colonicas XX.*

(11) Ruchatus & Rivatus legebant: *tradimus dominationem.*

(12) & (13) Illud diploma, fuit editum 28 Julii, primo anno Imperii Ludovici, indictione septima, quae adhuc currebat hâc epochâ anni 815, cum octava indictio sequenti Septembri incoeperit. Observandum autem est Ludovicum *Pium* & illius filios usos fuisse absque discrimine, mox indictione quae incipit primâ die Septembris, & illâ quae die primâ Januarii initium sumebat. Ludovicus verò *Pius*, licet Imperii consors fuisset a Patre Carolo *Magno* declaratus mense Septembri 813, notare consuevit initium Imperii sui a die obitûs Patris sui cui successit 28 Januarii 814. idcirco numerabat adhuc ille die 28 Julii 815. primum annum sui Imperii; quia secundus annus nondum erat plenus, quem usum illius Nepos Carolus *Crassus* etiam servavit in suis diplomatibus. *Rivatus*, sic legebat finem praesentis Instrumenti *Data V. Kal. Aug. Anno DCCCXIV. Anno primo Christo propitio Imperii nostri. Indictione VII.*

II.

Donatio à Rechone Monasterio Lucernensi circa Annum DCCCXLVIII. facta.

Apographum è Museo Perillustris Domini Felicis de Balthasar, Senatoris intimi & supremi Quaestoris Reipublicae Lucernensis.

Notum (1) sit omnibus tam presentibus quam futuris. Qualiter ego Recho in Dei nomine desideravi Seculum relinquere & pro remedio anime mee donavi ad Lucernense Monasterium Monachis ibidem Deo servientibus quidquid in Kulpenacho (2). in Alpenacho (3). in Sarnono (4). & in Kysawylare (5) habui firmiter

 tenen-

tenendum. & in perpetuum poſſidendum. Si ego aut ullus poſterorum meorum hanc donationem irrumpere voluerit. aliud quadruplum reſtituat. & ponat. id eſt auri uncias XIIII. Argenti Libras LXX. Ego Reginboldus Monachus ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi diem & annum. Anno Incarnationis Domini noſtri .....

Notae.

(1) Neſcimus quo fretus titulo hanc cartam Clariſſimus Renwardus *Cyſat*, Reipublicae Lucernenſis anno 1580 Peritiſſimus Archigrammateus ſub anno DCCCXLVIII retulerit. Porro autem Amanuenſis Anonymus qui eam deſcripſerat Saeculo XIV, ſed plurimâ ſquallidus, ut videtur, inſcitiâ, ſic eam concluſerat cartam: *Anno incarnationis Domini noſtri* 509, quamvis eo anno Lucernenſe Monaſterium nondum extitiſſet, quod anno quinto regni Clodovei III. id eſt DCXV. fuit fundatum, ut docet Inſtrumentum ſaepius recuſum a Shlumpſio, Tſchudio, Guillimanno, Hottingero, &c. &c., ex Apographo ſatis corrupto cui ignarus Amanuenſis adſcripſerat Epochas merovingicis temporibus inſolitas, utpote Indictionem &c. Criticis indiget notis illud fundationis inſtrumentum, cujus Autographum jam Saeculo XIII vel XIV incendio conſumptum fuerat. Alia documenta antiquitatem Lucernenſis Monaſterii, jam Pipini Regis donatione Marbacenſi in Alſatia Abbatiae Saeculo VIII ſubditum aſſerunt, ſed talis disquiſitio ampliorem exigeret formam. Hic tamen obſervabimus *Rechonem*, magnificum Lucernenſis Monaſterii circa annum DCCCXLVIII donatorem, de quo praeſens agit carta, ejusdem Monaſterii poſtea Abbatem fuiſſe, uti videtur ex alia carta quae data fuit *regnante Ludovico Secundo* hujus nominis, Rege Franciae Orientalis & Baioariae, qui anno DCCCLXXVI obiit. Monaſterii Lucernenſis Abbas *Recho* occurrit in alia carta circiter DCCCXLIX expedita, quam etiam referemus.

(2) *Kuſſenachum*, hodié *Kuſſnacht*, numeroſus pagus cum parochia ad radices montis *Rigi* & ſiniſtram lacûs quatuor ſilveſtrium, ut ajunt, civitatum, in ditione Suitenſium.

(3) *Alp-nacht*, aliàs quoque *Altnacht*, parochia & pagus, ad fines ditionis Silvaniae ſuperioris, unâ & mediâ itineris horâ infra pagum *Sarnen*, ad pedes montis Fracti ſeu Pilati, & ad ramum lacûs quatuor ſilveſtrium civitatum qui hac in parte vocatur *Alpenacenſis lacus* vel *ſinus*, Germanicé *Alpnacher-See*, in quem incurrit fluviolus *Aa*, pagi *Alp-nacht* proximus.

(4) Sar-

(4) *Sarnonum* nominatur hodié *Sarnen*, pagus, parochia & caput, Reipublicae seu Cantonis Silvaniae superioris, infra lacum Sarnensem & inter flumina *Aha* & *Melcha*.

(5) Pagus *Giffweil* vel *Gysweil* quem praesens carta antiquitùs nominavit *Kyfawyler*, jacet cum sua parochia in superiori Silvania, inter pagos *Sarnen* & *Lungeren*.

III.

Donatio a duobus fratribus Hartmanno, & Prunolfo Lucernensi Monasterio facta, circiter DCCCXLIX, sub Abbate Rechone.

E Museo Perillustris Domini Felicis de Balthasar, Senatoris intimi & supremi Quaestoris Reipublicae Lucernensis.

In Dei nomine (1). Nos fratres Hartmannus & Prunolfus donamus ad Lucernense Monasterium quod est constructum in honore sancti Leodegarii Martyris. totum conquestum nostrum pro remedio anime nostre. Monachis ibidem Deo servientibus. videlicet totam Sylvam que vocatur Emmualt (2) in longitudine & latitudine que ad nos pertinet. ut firmiter teneant atque possideant sine ullius contradictione usque ad Langnowa (3). Si quis istam donationem infringere voluerit. Anathematizatus sit a Deo & Sanctis ejus. Et dupliciter ad supra dictum locum restituat. Actum incarnationis Domini nostri Anno .... Regnante gloriosissimo Rege Ludovico Secundo. Sub Abbate Rechone. & coram optimatibus (4) loci hujus.

Notae.

(1) Hanc cartam sub anno 849 inscripsit *Cysatus;* legebat autem indoctus Amanuensis Saeculi XIV *Actum Incarnationis nostri anno* 510 *regnante gloriosissimo Rege Ludovico 2do.* Lucernense Monasterium nondum fuerat anno 510 exstructum, Ludovicusque hujus nominis alter, Ludovici pii Imperatoris primi hujus nominis unus ex filiis, Rex Franciae Orientalis & Bavariae, mortuus est 876: parebat illi Helvetia in qua & fundavit anno 853 inclitam Abbatiam Sanctimonialium *in curte regia Turego*, hodié *Zurich*. Jam obser-

observavit doctissimus *Heumann* (a) tres varias epochas in diplomatibus Ludovici *Germanici*, ex quo 817 mense Julio Ludovicus pius Imperium inter filios Lotharium, Pipinum & Ludovicum diviserat. Porrò autem omnes chronologicae notae quas Amanuensis Saeculo XIV Apographis documentis Monasterii Lucernensis adjunxit, testantur illius crassam Minervam.

(a) *Commentarii* de re diplomatica Imperatorum ac Regum Germanorum inde a Ludovici Germanici temporibus adornati Tom. II. p. 199 - 203. Norimbergae 1753. in 4to cum fig.

(2) Silva dicta *Emmvalt*, aliás *Emmenwald*, propter vicinum flumen *minorem Emmam*, quae suum quoque dat nomen parochiae & pago *Emmen*, non procul à flumine *Rusa*, & unâ leucâ à Civitate *Lucerna*, in praefectura *Rotenburg*.

(3) Dantur villae superior & inferior *Langnau* in parochia & praefectura *Malters*, Lucernensis ditionis.

(4) *Optimates* de quibus praesens carta, justitiam *hujus loci*, id est *Lucernae* administrabant.

IV.

Notitia data in Curtilia die 28 Martii DCCCLVI. concernens Hartmannum Episcopum Lausannensem & ejus praedecessores, Heldolfum & Davidem & Ecclesiam ad Butulo, bodié Boll *vel* Bull.

Cartularium Lausannense, *Saeculi XIII. pag.* 42. *apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Tomo primo* Helveticarum Cartarum à Saeculo Septimo, *p.* 345 - 346. *& Tomo VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *p.* 79 - 80. in fol.

Cum resedisset (1) dominus & venerabilis Hartmannus (2) Lausannensis urbis Episcopus in Escarlingus (3) villa ad dedicationem Capelle in honore sancte Marie. & ibi pro hac dedicatione Conventum sacerdotalem quem ad Butulo (4) matre Ecclesia habere solebat. ibi adtetendit ibique veniens presbiter nomine Leudandus (5) in voce reclamationis contra Fredolonem presbiterum repetebat ei quod ipso anno recepisset decimas de curte nuncupante Marsingus (6) & Escarlingus. vel inter duos juricinos (7) Wipedingus (8) & villare Clingerio (9) & villare

villare Aldico (10) & villare Rantuwico (11) quod ipse Leudandus ante Hartmanno Episcopo seu antecessor suus Heldolfus (12) ante David (13) Episcopo eum dicaverunt. & ipsas notitias adprehensos tendidit. & ipsas decimas malo ordine recepisset. Unde se per manum Salomoni presbiteri affirmavit. & de ovo eum remalavit (14). Sed predictus Fredolanus presbiter in suo responsum dixit, quod ita non esset. quia de iam memoratas villas nullas decimas non recepisset in ipso anno. nec pro hoc ipsas ei reddere non deberet. Tunc ipsi sacerdotes secundum canonicam autoritatem (15) decreverunt judicium. ut in proximo sinodo sicut Canones docent cum suis juratoribus (16) hoc ostenderet, & securus resedisset. si autem non potuisset hoc juramentum non perficere per manum supra fide jussore suo faciat exinde quod lex est. Nuper vero veniens in Curtilia (17) sinodo ante jam prefato Episcopo. tunc interrogavit eum Episcopus si suos conjuratores habuisset an non. ipse vero respondens dixit quod ad ipsum placitum minime perportare non potuisset. Tunc ipse Episcopus precepit illis sacerdotibus, ut exinde secundum legem judicassent. Tunc ipsi sacerdotes judicaverunt ut ipsas decimas una cum lege redderet. Tunc quoque in presente reddidit secundum legem & fide jussores ejus Lardradus & Gysono prebuerunt, ad solvendum quod & transehunt his presentibus Adigarius presbiter presens fuit. Hartmannus (18) Episcopus presens fuit. Gisolnus diaconus presens fuit. Arulfus presbiter presens fuit. Amilbertus diaconus presens fuit. Hierda presbiter presens fuit. Ericus presbiter presens fuit. Farulfus diaconus presens fuit. Signum Baldigerio testis. Amalricus presens fuit. Signum Ratulfi testis (19). Signum Fredario testis. Ego in Dei nomine Airiboldus diaconus scribsi & subscribsi. Datavi hanc notitiam V. Kal. April. Anno primo (20) regnante Ludovico Imperatore.

Notae.

(1) In veteri Cartulario Lausannensi, fronte praesentis notitiae legitur: *In Oge Bollo judicium & definitio de decimatione de Butulo.*

Jacet in Cantone Friburgensi & in parochia *Avry-devant-Pont*, pagus nomine *Pont-en-Ogoz.*

Oppidum *Bull* vel *Boll* pertinuit mensae Episcopali Lausannae, usque ad annum 1536. quo Episcopus Lausannensis omnia sua jura resignavit civitati Friburgo pro censu annuali quinque centum Librorum. Haec autem transactio fuit a sanctissima Sede anno 1615. confirmata. Oppidum *Bull* vocabatur Saeculo IX. *Butulum.*

(2) Ab

(2) Ab anno 851. usque ad suam mortem 871. fuit Episcopus Lausannensis *Hartmannus*. Quae diversae epochae in veteri Cartulario Lausannensi sunt consignatae.

(3) Hodié *Echarlens*, pagus & parochia in Praefectura *Wuippens*, Germanicé *Wippingen*, in Cantone Friburgensi.

(4) *Butulo*, sic latiné appellabatur oppidum *Boll* vel *Bull*, hodierna praefectura Cantonis Friburgensis. Vide *Notam* 1.

(5) In uno Apographo legitur: *Leodandus*.

(6) Hodié *Marcens*, pagus in Praefectura *Wippingen* & ditione Reipublicae Friburgensis.

(7) *inter duos juricinos*, hujus vocis radix investiganda est in Glossario infimae Latinitatis, Auctore *Cangio*, vel potiùs repetenda à proximo monte *Jura* vel *Jurasso*.

(8) Unum Apographorum fert: *Wipedindus*; hodié *Vuipens* vel *Wuippens*, Germanicé *Wippingen*, & primitùs *Wippedingen*, oppidulum vel burgus cum parochia & arce in qua residet Praefectus nomine Reipublicae Friburgensis.

(9) *Clingerio*. Legebat etiam *Ruchatus Clingerio*, quem locum interpretabatur *Clendier*, vel *Clendy*, sed absque designatione Cantonis in quo jacet ille pagus.

(10) In uno Apographo legitur, *Altrico*.

(11) Hunc locum *Ruchatus* putat esse *Rances*, pagum & parochiam in praefectura *Yverdon*, & ditione Reipublicae Bernensis, duabus leucis ab oppido *Yverdon*, antiquitùs *Ebroduno*, & mediâ leucâ a monte *Jura* vel *Jurasso*.

(12) *Heldolfus* Episcopus Lausannensis fuit omissus cum pluribus suis Antecessoribus in Cartulario Lausannensi. Rexerat ille ante *Davidem* Episcopum de quo Nota sequens: Porro autem nominatur *Egilolphus* sub anno 620. in Catalogo Episcoporum Lausannensium typis vulgato 1724. *in* 12. *pag.* 15, Gallicé *Catalogue des Evêques de Lausanne pour servir de réponse à l'Histoire Ecclesiastique du païs de Vaud par le Ministre Abraham Ruchat.*

(13) *David* sacratus anno 827. Episcopus Lausannensis, rexit per XXIV. annos & occisus fuit 850. in pago *Anes* vel Anet, Germanicé *Ins* a Nobili de *Tegerfelden* & ejus servis: referemus illius Epitaphium barbaris expressum versibus in antiquo Cartulario Lausannensi pag. 5-6. Nobilis *de Tegerfelden* suum habebat castrum in Argovia, Comitatu autem Badensi, in pago *Taegerfelden* inter *Zurzach* & vallem *Sigenthal*. Pagus autem *Anet* jacet inter lacus Neo-Castrensem (*Neuchâtel*) & *Muratensem* (*Morat*), ditione Republi-

cae

cae Bernensis & praefecturâ *Cerlier* vel *Erlach.* Invenitur in parochia *Anet* pagus *Traitron*, vel *Traiteron*, seu *Treiten* de quo Cartularium modo laudatum Lausannense sequentia continet.

David Episcopus Lausannensis ordinatus est anno ab incarnatione Domini DCCCXXVII. & tenuit Episcopatum XXIV annis. & fuit interfectus. Audivi a Conone Sacerdote de Anes quod David Episcopus interfectus fuit a domino de Tegerfelt quod est juxta Rifelt & suis in villa de Anes iuxta rivum quod currit per villam juxta quendam grossum lapidem in quo sanguis apparuit per multos annos. & quidam homines dicti Episcopi ipsum prodiderunt. Unde & villa unde ipsi erant adhuc vocatur Trettum.

Scriptor autem Cartularii ponebat Dominium *de Tegerfelt juxta Rifelt,* id est *Rinfelden* quo nomine designatur urbs, ad fines *Friccae Vallis* vel *Fricktkal* cujus superiori parti adjacet Comitatus Badensis in quo pagus *Taegerfelden* reperitur. Ecce *Epitaphium David Lausannensis Episcopi* è Cartulario deprompturn.

Hoc tumulo tegitur crudeli morte peremptus
Antistes quondam Lausanne. nomine David.
Qui proprium perimens hominem jugulatur & ipse.
Nam pacis studio dum neutri federa servant.
Occurrunt sibimet stipantibus undique turmis
Impulsu rapido & nimio fervente tumultu
Confligunt gladiis. pariterque in morte ruerunt.
Tunc igitur stagno exanguis. pigraque palude
Effertur modico peregrina ad latera (*) lembo.
Heu laniata rigent rigidą sub glarea membra.
Nempe tua tristis lapsus (**) miserande sacerdos
Improvidi exitii exemplo memorandus in aevum.
Vetro precipitis properans ad pocula mortis
Infula commaculat cuius violata decorem
Ecclesiae sanctus iugulis dum carpitur ordo.
O Domini. O Fratres. pariter genus omne piorum.
Ætas. conditio. sexus. succurrite cuncti.
Quippe ejus animam haud tartarus igneus urat.
Quin potius Dominus rutila pietate benignus
Exemptum flammis celi regione receptet.

(*) Legendum puto *littora.*

(**) Legendum putabat *Ruchatus* tristi lapsu.

(14) *Re-*

(14) *Remalavit:* radix hujus verbi in voce *Mallum* jacet.

(15) Aliud Apographum portat: *Auctoritatem.*

(16) *Cum suis juratibus:* ità legitur in alio Apographo. Gallica vox *Juré* vel *Jurat* inde oritur.

(17) *Curtilia*, hodié *Courtille*, *Courtilles* vel *Curtille*, pagus in parochia *Lucens*, unâ distans leucâ ab oppido *Moudon*, ad amnem *La Broye* in praefectura *Moudon* & ditione Bernensium.

(18) In uno Apographorum omissa sunt: *Hartmannus Episcopus presens fuit. Gisolnus diaconus presens fuit.*

(19) In alio Apographo legitur: *Radulfi.*

(20) Primus annus Imperii Ludovici II. incidebat 28. Martii, successerat ille patri suo Imperatori Lothario DCCCLV. die 28. vel 29. Septembris. Idcircò praesens Notitia, data 28. Martii primo anno Imperii Ludovici referenda est ad eundem diem anni DCCCLVI. Dominabatur quoque in Burgundia transjurana Ludovicus ab anno DCCCLV. quo Lotharius Imperator, paulò ante suam mortem, suos diviserat status inter tres filios, Ludovicum, Lotharium & Carolum.

V.

Notitia scripta anno DCCCLXVIII, decimo tertio anno Regni Lotharii, quae agit de synodo ab Hartmanno Episcopo Lausannensi in villa Curtilia celebrata.

Cartularium Lausannense, Saeculi XIII, pag. 42. Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I. Helveticarum Cartarum à Saeculo VII. *p.* 346-347. *& T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *pag.* 81. in fol.

In Christi nomine notitia qualiter in villa Curtilia (1) in synodo venerabile Hartmannum (2) Episcopum seu etiam ceterorum fratrum qui ibidem secundum canonicam autoritatem congregati erant. Teutlandus Presbiter de villa Butulum rogantem iam dictum Episcopum & ceterorum fratrum Leutramno presbitero de villa Wipedingus decimas sancti Eusebii de supra villa ei in beneficio prestavit. Item Wipedingus & inter duos juricinos & villare Clingerio. & villare Atri-

Atrico. & villare Randowico. Arulfus presbiter presens fuit. Adigarius presbiter presens fuit. Salomme presbiter presens fuit. Sicuvenus presbiter presens fuit. Amalbertus diaconus presens fuit. Arulfus diaconus presens fuit. Facta notitia regnante Domino nostro Lothario Rege anno (3) XIIII.

Notae.

(1) Vide antefatam notitiam die 28. Martii DCCCLVI. in villa Curtilia datam, & in qua eadem praesentis notitiae anni DCCCLVIII. topographica nomina designantur.

(2) Aliud Apographum habet: *Hartemannum.*

(3) Successerat Lotharius patri suo Imperatori Lothario ea in parte regni Austrasiae quae Coloniâ Ubiorum usque ad Oceanum extenditur, quamque ab illius nomine deinceps vocaverunt Galli *Lothierregne*, vel *Lorraine*, latiné *Lotharingia*, Germanicé *Lothringen*; illius Regis inauguratio fuit Metis facta 22. Septembris DCCCLV. Dominabatur etiam Lotharius Rex per Burgundiam transjuranam. Obiit autem Placentiae in Italia die 8. Augusti DCCCLXIX: illius regni annus decimus tertius incoeperat 22. Septembris DCCCLXVIII, qui annus est vera epocha praesentis *Notitiae.*

VI.

Donatio Monasterio Lucernensi sub Abbate Wychardo facta Anno DCCCLXXIX.

E Museo Perillustris Domini Felicis de Balthasar, Senatoris intimi & supremi Quaestoris Inclitae Reipublicae Lucernensis in Helvetia.

Notum (1) sit omnibus tam presentibus quam futuris. Qualiter nos fratres Kibicho. Odker. Waltker. pro remedio anime nostre. ad monasterium Lucernensium fratrum. ubi Wychardus Abbas preest. omnia quae ad nos pertinent a Schwanden (2) usque ad Rimulcum (3). ut perpetualiter teneant atque possideant. consulimus. Si quis hanc donationem infringere voluerit. tripliciter Deo reddat & Sanctis ejus ad supradictum locum. Et in fiscum Regis coactus persolvat tres uncias auri & argenti libras VIIIJ. Acta coram Engelgero advocato. Anno Incarnationis Dominicé ...... Indictione XII. regnante Carolo III. gloriosissimo Rege Francorum.

Notae.

(1) Malè addiderat Amanuensis qui Saeculo XIV. veteres Monasterii Lucernensis cartas descripsit, *Anno Incarnationis Dominice* 507. *Indictione* 2. *regnante Carolo* 3. *gloriosissimo Rege Francorum.* Cum enim Carolus tertius vulgò *Crassus*, tertius filius Ludovici Regis Franciae Orientalis & Bavariae, patri die 28. Augusti 876. mortuo successisset in Provinciis Sueviae, cujus tunc pars Helvetia Orientalis, & Alsatia, & in quibusdam Lotharingiae civitatibus, cumque anno 880. Imperator coronatus fuisset, constat praesentem cartam in qua nominatur *Rex Francorum*, fuisse traditam inter epochas 876. & 880. Indictio autem XII. quam inscius Amanuensis currente calamo inscripserat 2. pro numero 12, occurrebat anno 879. Hanc igitur donationem eodem fuisse factam anno opinamur. Neque satis mirari possumus cur *Cysatus*, aliàs versatissimus medii Aevi scrutator, hanc cartam ad annum 846. rejecerit. Confundebat, ut videtur, Carolum II. *Calvum*, Regem Francorum, & postea Imperatorem, cum hujus nepote Carolo III. dicto *Crasso*. Caeterum Helvetia Carolo *Calvo* nunquam paruit. Prudenter verò omisit epocham praesentis instrumenti Casparus *Lang*, (*Hist. Eccles. Helvetiae Tomo I.* p. 719.), & eâdem usus est praetermissione in Germanica aliarum cartarum Saeculi IX. versione quarum damus exemplaria. Donatores apud illum nominantur *Ribicho*, *Odker* & *Walker*, & donationis limites *von Oswanden bis gen Rimulck*, scilicet ab *Oswanden* usque *Rimulck*.

(2) Datur villa *Schwand* in pago *Littau*, qui nunc pars est praefecturae *Malters*, Lucernensis ditionis.

(3) Fluviolus *Rumlig* seu *Ruemlig*, qui oritur e monte Fracto, aliàs *I ui*, intrat *minorem Emmam* inter *Buchsen* & *Eningen*, in ditione Lucernensi. Jacet quoque in eodem Cantone villa *Rumliken*, in parochia Sempach, & praefectura *Rotenburg*.

VII.

Donatio facta Anno DCCCLXXXI. Monasterio Lucernensi sub illius Abbate & Restauratore Wychardo.

E Museo Perillustris Domini Felicis de Balthasar, Senatoris intimi & supremi Quaestoris inclitae Reipublicae Lucernensis in Helvetia.

Omnibus (1) fidelibus notum fieri volumus tam presentibus quam futuris. quali-

qualiter ego Atha & Soror mea Chriemhilt in omnipotentis Dei nomine omnem hereditatem nostram dare optamus ad Monasterium Lucernense pro remedio animarum nostrarum. & quia nuper audivimus opinatissimum virum Dei Wychardum in supra dictum locum venisse. & de redditibus suis Monasteriales muros reedificasse. omnibusque bonis & temporalibus commodis renovasset. Ideo libuit etiam nos omnes res nostras quas in Chrientes (2) habemus ad eundem locum tradere. id est ab altitudine fracti montis usque ad Lacum & inde ad medietatem fluvii Rusae. in omnibus utensilibus per circuitum quidquid dici vel nominari potest ex integro donamus Monachis ibidem servientibus. ut in evum teneant atque possideant sine ullius contradictione. & quidquid exinde pro opportunitate basilice sancti Leodegarii facere decreverint libera potestate perfruantur faciendi. Si quis vero istam traditionem destruere voluerit. quam nos filiee Witarde pari consensu facere decrevimus. nullatenus valeat perficere quod inchoavit. & pro temeritate sua persolvat monasterio aliud duplum quantum repetit. & insuper sit culpabilis in aerarium Regis auri uncias III. argenti Libras XII. actum anno Incarnationis Domini nostri .... in atrio saepe dicte Ecclesiae coram Advocato Wilhelmo & populi multitudine in dominica die in diebus Caroli Imperatoris hujus nominis tertii.

Notae.

(1) Casparus *Lang*, qui hanc cartam in sua Helvetiae Ecclesiastica Historia *T. I. p.* 719 - 720. Germanicé excerpsit, legebat *Thriamild* pro *Chriemhild*, nec non *opinatissimum virum Dei* tanquam *celeberrimum* interpretabatur. Epocham quidem cartae & nomen locale donationis omisit. Sed prudentissime distinxit *Wychardum* de quo praesens instrumentum, quique *Restauratoris* encomium meruit, a *Wigghardo* vel *Wichardo* fundatore, qui frater *Ruperti* Ducis militum Regis Ludovici seu Clodovei III. circa finem Saeculi septimi clarebat. Audacissimus autem iste Amanuensis qui hanc cartam Saeculo XIV. descripsit, anno 543. eam addidit, scilicet aevo quo nondum stabat Lucernense Monasterium, & ferè duobus saeculis ante annum 880. quo Carolus *tertius* hujus nominis sub quo praesens carta, coronatus Romae fuerat Imperator die solemni Nativitatis Christi. *Cysatus* illud instrumentum ad annum 882. proferebat. At cum *Wychardus* eâdem memoratus cartâ Lucernensis Monasterii restaurator, quemque alia carta Abbatem ipsius loci anno 883. designat, eundem Abbatis titulum jam obtinuerit anno 879.

uti

uti conjectare licet ex alio instrumento ante relato, dicendum est, illum praestantissimum virum Lucernam advenisse eodem anno 879. moxque propter suas virtutes quas inter eminebat maxima animi generositas, Abbatem fuisse nominatum, & cartam donationis *Chrientes* factam primo anno Imperii *Caroli tertii*, idem 881.

(2) *Chrientes*, hodiernus pagus *Kriens*, praefectura Cantonis Lucernensis, prope meridionale latus *quatuor silvestrium civitatum* versus montem *Pilati*, seu *Pileatum* qui eâdem vocatur in carta *Fractus Mons*, videlicet propter saxorum anfractus & ob fractas illius rupes, quo nomine adhuc designatur Germanicé *Fraekmunt*; *Fraekmont*, *Fracmont*, sicut & similiter *Mons Pileatus*, *Pilatus-Berg*, Gallicé *le Mont Pilat*, propter nebulas quae cacumen ejus tanquam pileo saepius circumdant, veluti praesagium gratissimae tempestatis. *Fluvius Rusa* de quo eâdem carta, significat flumen ejusdem nominis, Germanicé *Reuss* vel *Russ*, & Gallicé *la Reusse*, qui e lacu Lucernensi erumpens recipit torrentem dictum *Kriensir-Bach*, cujus origo in *Fracto Monte* & nomen a pago *Kriens* quem praeterfluit.

VIII.

Donatio Monasterio Lucernensi sub Abbate Wychardo facta anno DCCCLXXXIII. regnante Carolo Imperatore tertio.

E Museo Perillustris Domini Felicis de Balthasar, Senatoris intimi & supremi Quaestoris Reipublicae Lucernensis.

In Dei nomine. Nos fratres Heriger & Witowo (1) tradimus ad Monasterium Lucernense. Ubi (2) venerandus vir Dei Wychardus gregi Dei preesse dinoscitur. & hoc est quod donamus omne quod ad nos pertinet in Maltrensi (3) Marcha. Sine ullius contradictione. ut firmiter teneant atque possideant. Si quis hanc traditionem destruere voluerit. quod fieri non credimus. aliud quadruplum ad supra dictum locum restituat. & in Aerarium Regis coactus persoluat auri uncias IV. argenti Lib. XII. actum anno incarnationis Domini . . . . . Indictione prima. in atrio supra dicte Ecclesie. coram advocato Engelgero (4). & populi multitudine. Lunis die. in diebus Caroli Imperatoris hujus nominis tertii.

Notae.

Notae.

(1) Legebat *Langius Witawo* pro *Witowo.*

(2) Hanc cartam ad an. 884. referebat *Cysatus.* Perperam autem addidit Amanuensis qui eam Saeculo XIV. descripserat, *anno incarnationis Domini* 545. pro DCCCLXXXIII. quo coeperat mense Septembri *Indictio prima* quam notavit praesens carta. Jam quoque observavimus Carolum *tertium* vulgo dictum *Crassum*, fuisse Romae coronatum Imperatorem ipsa Nativitatis Domini die Anno DCCCLXXX.

(3) *Maltrensis marcha*, hodie *Malters*, pagus & parochia inter *Blatten* & *Schachen*, cum Praefecturae titulo in ditione Lucernensis civitatis, à qua distat duabus leucis. Eodem in pago olim fuerat arx *Malters*, sedes nobilium hujus nominis quorum *Walterus* anno 1326. & Jodocus anno 1363. supremum Sculteti munus Lucernae gerebat.

(4) *Engelgerus Advocatus Monasterii Lucernensis* eâdem pollebat dignitate anno 879. uti videtur e carta jam relata in qua etiam occurrit *Wychardus Abbas* ejusdem Monasterii.

IX.

Diploma Imperatoris Caroli Crassi, *XV Februarii DCCCLXXXV, cuidam Vasallo Ruodolfi Marchionis nomine Vodelgiso, in Comitatu Waldense, Burgundia Trans-jurana.*

Cartularium Lausannense, Saeculo XIII. transcriptum, p. 29. *Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I.* Helveticae Cartae *a Saeculo septimo, p.* 344. *& seq. & T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 77. *& seq.*

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. KAROLUS Divina favente Clementia Imperator Augustus. Omnibus fidelibus presentibus & futuris notum esse volumus. qualiter Nos cuidam Vasallo Ruodolfi (1) fidelis & dilecti marchionis nostri nomine Vodelgiso quasdam res proprietatis nostre jure perpetuo concedimus in proprietatem. Hoc est in Comitatu Waldense (2) in diversis villis subnotatis. Campania (3). Fiaco (4). Corceles (5). Clingerio (6). & Clendie (7). Spelterias (8). Suzchie (9): Gravato (10) & Grava (11). capellam unam & mansos VI. ad unumquemque mansum iugera sexaginta. & cum

omni-

omnibus ad eandem capellam & ad eos dictos manfos iure afpicientibus. edificiis. mancipiis utriusque fexus. terris. aquis. aquarumque decurfibus. exitibus. & regreffibus. viis & inviis. & juffimus ei hoc noftre poteftatis preceptum inde confcribi. per quod decernimus atque jubemus. ut predictus Vodelgifus de predictis rebus deinceps liberam ac fecuram habeat poteftatem tenendi. donandi. vendendi quecunque fibi placuerit faciendi. ficuti & iuftitia unicuique hominum de proprietate concedit habendum. & ut hec noftra auctoritas firmior habeatur manu propria fuper eam firmavimus. & anulo noftro infigniri iuffimus. Data XV. Kalend. Martii Anno Imperii Imperatoris Karoli in jtalia (12) V. in Francia (13) III. Indictione III. (14)

Notae.

(1) Idem *Ruodolfus* fuit anno DCCCLXXXVIII. coronatus Agauni Rex Burgundiae Trans-juranae, in qua erat antea *Marchio* & *Comes*. Secunda autem Stirps vel Domus Regum Burgundiae illum pro fuo agnofcit fatore.

(2) *Comitatus Waldenfis*, Gallice *le Comté de Vaud*, continebat Saeculo nono, non folum *pagum Vaudi*, *le païs de Vaud*, qui hodie pertinet civitati Bernae, fed etiam praefecturas *Brandfon*, *Efchallens* & *Orbe*, & feré totum Cantonem Friburgenfem, Comitatum Neo-Caftri, *le Comté de Neuchâtel*, &c.

(3) *Champagne*, rufticus vicus in parochia fancti Mauricii, *Saint-Maurice*, in praefectura *Grandfon*, quae ambobus Cantonibus Bernae & Friburgo paret.

(4) *Fy*, *Fye*, vel *Fied*, aut *Fiez*, pagus & parochia in praefectura *Grandfon* quae Bernae & Friburgo pertinet.

(5) *Corfelle* vel *Corfelles*, pagus in parochia *Concife* & praefectura *Grandfon*. Datur quoque in Cantone Bernenfi & diftrictu Vaudi, *au païs-de Vaud*, & in praefectura *Yverdon*, pagus cum caftello & parochia nomine *Corfelle* feu *Corfelles*. Alius adhuc ejusdem nominis pagus fupra montem *Juram*, in praefectura Minnidunenfi, Gallicé *Moudon*, jacet, quemque vulgus appellare folet, *Corcelles-la-jorat*. Invenimus praeterea alium pagum cum parochia *Corfelle* vel *Corfelles* apud eosdem Bernenfes in praefectura Paterniacenfi, *Payerne*, ad fluviolum *Arbogne*, mediâ leucâ diftantem ab oppido *Payerne*.

(6) *Clingerio*, ejus pagi hodiernum nomen ignoramus.

(7) Forfan *Clendi*, *Clindi* vel *Clendiez*, villa cum lateraria in parochia & praefectura *Yverdon*, apud Bernenfes.

(8) *Spel-*

(8) *Spelterias*, vel secundum *Ruchatum*, *Spetterias*. Nomen hodiernum nos latet.

(9) *Suchiez* vel *Suchy*, pagus & templum in parochia *Epandes*, in praefectura *Yverdon* ubi & datur pagus *Corcelles*.

(10) *Gravato*, nomen recentius ignoramus.

(11) *Grava*, forsan *Grandvaux*, vulgari idiomate *Grava* vel *Gravau*, pagus & ecclesia filialis parochiae *Cully* in valle *Reifthal*, Gallicé *La-Vaux*, in praefectura Lausannae, Cantone Bernensi, & ubi crescit excellens vinum.

(12) Primus annus Imperii Caroli *Crassi* incoeperat die 25. Decembris DCCCLXXX. Quintus igitur annus ejusdem Imperii eodem die DCCCLXXXV. finiebat.

(13) Carolus *Crassus*, anteà Rex *Sueviae* vel *Allemanniae*, cum successisset suo fratri Ludovico *Saxonico* in regno *Franciae orientalis*, die 20. Januarii DCCCLXXXII, ab illa suas designabat cartas epocha tanquam *Rex Franciae*. Sed cum eruditissimo Domino *Clement*, Benedictino é Congregatione sancti Mauri, (*l'Art de verifier les dates pag.* 434.) observabimus, superesse diplomata è quibus deducitur primum annum illius Imperii qui initium sumpserat die 25. Decembris DCCCLXXX, adhuc cucurrisse finiente Januario DCCCLXXXI. Cujus moris sequens affertur causa: aliquoties in suis diplomatum epochis solos plenos Imperii sui annos numerabant, quin incoeptos annos in rationes induxerint. Verbi gratiâ, tertius annus regnantis Caroli in Francia Orientali, qui 20. Januarii DCCCLXXXIV. incoeperat, suum obtinebat complementum eodem die anni DCCCLXXXV. sed ab illo die usque ad vigesimum Januarii DCCCLXXXVI, Carolus adhuc solebat sua diplomata designare cum tertio anno Regni sui *in Francia*, usque ad vigesimum Januarii DCCCLXXXVI. quo penitùs complebatur quartus annus hujus epochae. Praesens autem Caroli *Crassi* instrumentum datum fuit 15. Februarii tertio anno illius regni *in Francia*, quia solebat taliter numerare usque ad plenissimam epocham quarti anni sui regni. Porrò autem idem doctissimus Benedictinus diversas sagacissimé interpretatus est epochas quibus Carolus *Crassus* in suis utebatur diplomatibus à partitione statuum sui Genitoris Ludovici *Germanici* Mense Augusto DCCCLXXVI. conclusa.

(14) Indictio tertia currebat anno DCCCLXXXV. quo praesens diploma Caroli *Crassi* fuit datum.

 X. Car-

X.

Carta die 6. Augusti DCCCLXXXVI. quâ Ecclesia Beati Prothasii in pago Valdense, (Saint-Préz au païs de Vaud,) *una cum villa Draciaca confirmatur Ecclesiae Lausannensi: cum consensu Rudolfi Comitis*, (posteà Regis Burgundiae.)

Cartularium Lausannense, Saeculi XIII. pag. 66. Apographa autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Tomo primo Helveticarum Cartarum *à Saeculo VII. pag.* 350-351. *& T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, p. 88-89. in fol.

Dum hujus mundi finem. similiter etiam & terminum nostrum advenire non dubitamus. unicuique Christiano providere oportet. ut de terrenis ac transitoriis rebus adquirere satagat perpetuis ac sine fine gaudiis mansuris. quia Deum locis sanctorum in luminaribus sive in stipendiis servorum Dei pro amore Dei & Sanctorum illius aliquid ex nostra largitate couferimus. illud nobis procul dubio ad felicitatis augmentum apud misericordem Dominum retribuere non dubitamus. Quapropter Ego in Dei nomine Reginoldus nimis peccator & flagitiosus Divino - - - Omnipotentis Dei auxilio tractus. sumpsit me bona voluntas. ut pro redimenda meorum labe peccaminum quasdam res mee proprietatis. quas mihi Dominus Karolus (1) Imperator per sui precepti auctoritatem dedit. que sunt site in pago Laussannense sive Valdeuse (2) id est Ecclesia beati Prothasii cum villa Draciacâ (3) cum omnibus apendiciis sive adjacenciis (4) suis cum ingressibus & regressibus. ad Ecclesiam beate Marie Laussonnensis (5) concedere vel condonare deberem. quod & ita in Dei nomine a die presente feci. Igitur volo atque decerno. ut presata ecclesia cum supra memorata villa Draciaco. sicut iam fuit priscis (6) temporibus subdita. ita deinceps Christo annuente ad iam dictam sedem Laussonens. cui Vir venerabilis Hieronimus (7) Episcopus preesse videtur. pro anime mee remedio sit subjecta ad omnem cultum Divinitatis atque in luminaribus. quoniam & in terrenis aetibus (8) seu & tectis ipsius ecclesie vel recuperatione domorum & in stipendia Clericorum ibidem Domino serviciencium. Ea videlicet ratione ut in justa donatione ipsius sedis Lausonensis (9) Episcoporum absque ulla donatione permaneant. Et talem in ipsa ecclesia Beati Prothasii Dei servitium eligat quod divinum cultum providere studeat. Et Episcopus ipsius Civitatis pro remedio anime mee & genitoris mei seu genitricis mee in die depo-

sionis

ſionis mee dare debeat fratribus (10) prefate civitatis. & iam dictam Eccleſiam ſancti Prothaſii refectionem unam qualem meliorem potuerit. videlicet panem modia IIII. friſcingos III. porcinam I. pul X. vinum modia IIII. & ipſi fratres pro nobis Domini miſericordiam exorare debeant. & ipſa luminaria omnino non deficiant. jllud quoque ſub obligationis vinculo adnecti placuit. ut ſiquis. quod abſit. ego ipſe aut qualiscunque perſona ullo utroque tempore contra hanc donationem aliquid agere voluerit. iram Dei Omnipotentis incurrat. & cum juda traditore in ſupplicio eterno. & inſuper hec donatio immutabilem Chriſto propicio obtineat firmitatem cum ſtipulacione ſubnixa. Signum Reginoldi qui hanc donationem fieri & firmare rogavit ſign. Rodulfi glorioſi (11) Comitis qui hanc donationem rogatus conſenſit. S. Warinberto (12) qui conſenſit. Dadolgiſo (13) teſtis. Vuarat teſtis. Trogo teſtis. Advocato Altrico teſtis. Huodone teſtis. Ladone teſtis.

Ego in Dei nomine Rodoinimus Presbiter hanc donacionem a iam dicto Regindldo rogatus ſcribſi. Datavi die Veneris VIII. jdibus Auguſti Anno VI. jmperante Domino noſtro Karolo tercio (14) per circumquasque (15) Regiones feliciter.

Notae.

(1) Scilicet *Carolus III.* cognomento *Craſſus.*
(2) In alio apographo legitur: *Waldenſe.*
(3) In uno apographo legimus: *Draciaco.*
(4) Unum apographum fert: *adjacenſiis.*
(5) Variant apographa: *Lauſonens.* — *Louſonens.*
(6) In alio apographo legitur: *primis.*
(7) *Hieronimus* erat ab anno 881. Epiſcopus Lauſannenſis.
(8) *Ætibus* corrupta vos ſaeculi noni, pro *dedibus.*
(9) Unum apographum ſonat: *Lauſanenſis.*
(10) *Fratribus*, id eſt, Canonicis Eccleſiae Cathedralis Lauſannae qui tunc vivebant in commune, veluti in uno monaſterio vel ſeminario congregati.
(11) *Comes Rodulfus*, de quo praeſens inſtrumentum, ex inclitiſſima *Welforum* proſapia oriundus, filius Conradi II. Comitis in Burgundia Transjurana; videas, ſi lubet, noſtram diſſertationem Gallico idiomate ſcriptam cujus titulus: *Obſervations hiſtoriques ſur l'Origine & le Regne de Rodolphe premier*

 Roi

Roi de la Bourgogne Trans-jurane, & sur l'étendüe de ce royaume; dans l'histoire de l'Académie Royale des Inscriptions & Belles-Lettres, *Tome XXXVI. pag.* 142 — 158. Paris, de l'Imprimerie Royale, 1774. *in 4to avec fig.* Porro autem *Comes Rodulfus* de quo supra, fuit anno 888. Agauni in Valesia sacratus Rex Burgundiae Trans-juranae, postquam Imperio depositus fuisset Carolus *Crassus*. Adest Carta quâ *Rodulfus humilis Comes, nec non & monasterii sancti Mauricii Agaunensis Abbas*, dedit Imperatrici Ingelbergae, viduae Imperatoris Ludovici II., ad dies vitae, fructuarios fundos in Tuscia sitos qui ab Abbatia Agaunensi pendebant. Illa autem Carta monogrammate Comitis *Rodulfi* & signo Diaconi Erifridi, Praepositi Canonicorum Agaunensium, munità, sed absque epocha anni, quam nemo facilè stabiliet, attamen plenâ conceditur praesumptio *Rodulfum* appellatum fuisse Comitem, vel Marchionem, imo Ducem Burgundiae Trans-juranae, primâ vice postquam illius Genitor Conradus, Comes Parisiensis, obiisset anno 881. uti refert *Chronica Senonensis*: Idem *Rodulfus* titulum *Marchionis* anno 886. sumebat, quem titulum illi dedit ipse Carolus *Crassus* Imperator in diplomate hujus anni. Eruditissimus *de Riva* infeodationem a Rodulfo Comite, & Abbate Agaunensi Imperatrici Ingelbergae concessam circa annum 882. adscripsit, quod instrumentum autographum Placentiae apud Sanctum Sixtum servatur, & à Clarissimo *Muratorio* (Antiq. medii aevi l. III. p. 155. & seq.) & ab *Heumanno*, (Commentar. de re diplomatica Imperatricum ac Reginarum Germaniae pag. 55 - 56. Norimbergae 1749. in 4to cum fig.) vulgatum fuit.

(12) In uno apographo legitur: *Warimberto.*

(13) Aliás, *Dadelgiso*, sicut fert quoddam apographum.

(14) Scilicet Carolus *Crassus*, III. hujus nominis, qui Romae coronatus fuerat Imperator die Natali Domini 880. a Papa Joanne VIII, quam epocham omnes Historici coaevi confirmant.

(15) Idem Imperator Carolus *Crassus* anno 884. omnes Caroli Magni status possidebat. Sed cum illud onus ejus viribus impar esset, sub propriae dominationis pondere tandem miser succubuit, & anno 887. Triburiae ab Optimatibus Germaniae qui illi substituerunt ejus Nepotem Arnulfum, Carinthiae Ducem & Nothum Regis Carlomanni, Imperio depositus fuit.

XI. *Car-*

XI.

Carta data die XIII. Augusti DCCCLXXXVI. quâ Rodulfus Comes & Marchius, *(& posteà Rex Burgundiae,) confirmavit donationes factas Ecclesiae* Lausonensi *die VI. eorundem mensis & anni à Reginolfo.*

Cartularium Lausannense, Saeculi XIII, pag. 66. *Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Tomo VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *pag.* 90. *& Tomo primo Helveticarum Cartarum a Saeculo VII. p.* 351-352. *in fol.*

Noticia vestitoria qualiter vel quibus presentibus bonis hominibus veniens Dominus Rodulfus Comes nec non etiam inclitus Marchius ad Ecclesiam almi (1) Prothasii revestivit amabili Episcopo Hieronimo (2) Lausonensis Ecclesie una cum Canonicis eiusdem Ecclesie qui ibidem aderant in vice Reginolfi de ipsa Ecclesia que diu fuerat subtracta a prefato loco similiter cum villa Draciaco (3) omnibusque ibidem aspicientibus cum integritate. ob remedium predicti Reginolfi. sicut in ipsa Carta (4) donacionis continetur quam ei fecit propter remunerationem vite eterne & ut memoriale ipsius annis singulis specialiter ibi celebrent sicut in prefata Carta insertum est. & tum ipse Pontifex quamve successores illius potestatem habeant faciendi ex hoc quod voluerint tam secundum Deum quam secundum Sanctum sicut ipsa Carta loquitur. & ut vigorem firmitatis per cuncta evi curricula obtinere queat. Noticia illorum qui presentes fuerunt subter habentur inserta. Hec fuerunt acta in ipsa Ecclesia idibus (5) Augusti cum stipulatione (6) subnixa. Rodulfus Comes qui hanc noticiam consensit. Arismundo. Turimberto. Ransone. Itone. Folcardo. Ruodperto. Ameldrico. Leuprant. (7)

Notae.

(1) Hodie *Saint-Prez*, oppidulum tribus leucae quadrantibus distans ab oppido *Morges*, in parochia *Etoi*, praefecturâ *Morges*, & ditione Reipublicae Bernensis.

(2) *In antiquo Cartulario Lausannensis Ecclesiae p.* 6. *legitur.* Ieronimus Episcopus fuit ordinatus anno ab incarnatione Domini DCCCLXXXI. tertio anno post decessum Hartmanni predecessoris sui, & tenuit episcopatum XII. annis. Ejus sancta plurima & bona erant scripta in Kartulario.

(3) In

(3) In apographis Cartularii Lausannensis binâ vice legitur, *villa Draciaca*, & semel, *villa Daciaca*. Hodiernum loci nomen penitùs ignoro.

(4) Donatio de qua hic agitur quaeque inter praesentes est transscripta cartas, fuerat facta die VI. Augusti sexto anno Imperii Caroli III. qui incibat an. DCCCLXXXVI.

(5) Die XIII. Augusti, scilicet DCCCLXXXVI, quippe donatio *Reginolfi* vel *Reginoldi* die VI. Augusti eodem anno fuerat facta.

(6) In uno apographo legitur: *stipulatione subadnixa*.

(7) Vel *Luprant*, uti fert aliud ejusdem Cartularii exemplar.

XII.

Fragmentum Cartae 21. *Decembris* 888. *anno primo regnante Ruodulpho in Burgundia Transjurana, quâ Vodelgisus omnes proprietates quas illi anno* 885. *concesserat Imperator Karolus in Comitatu Waldense, concedit Hieronymo Episcopo Lausannensi.*

Cartularium Lausannense, Saeculo XIII. transcriptum, Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Tomo primo Cartarum Helveticarum a Saeculo septimo, pag. 76. in fol.

Pro praevia notitia praesentis instrumenti legendum est ante descriptum diploma Imperatoris Caroli Crassi *die XV. Februarii DCCCLXXXV.* Vodelgiso Vasallo Ruodolfi Marchionis *concessum.*

Ego Vodelgisus — concessi Hieronymo qui Lausonnensi Ecclesie preesse videtur, omnes proprietates quas mihi concesserat Karolus — Imperator — de consensu uxoris — & meorum filiorum & filiarum — propter remedium anime predicti Imperatoris (1). Scilicet etiam Ruodulphi (2) Serenissimi Regis. & pro remedio anime mee uxoris — meorumque filiorum & filiarum — — quatenus apud pium judicem veniam peccatorum impetrare potuissent.

Actum die Sabbatho (3) XII. Kal. Januarii. Anno primo regnante Domino Ruodulpho (4) Rege.

Notae.

(1) Omni laude digna *Vodelgisi* erga Imperatorem Carolum *Crassum*, a suis rebellibus subditis circa finem anni DCCCLXXXVII. Imperio depositi & ad ex-

extremam redacti miseriam, gratitudo. Licet vasallus Marchionis *Ruodulphi* qui post mortem Caroli mense Januario DCCCLXXXVIII. Burgundiae transjuranae regnum arripuit, non oblitus est sui primi Domini & Benefactoris.

(2) Idem is fuit qui in diplomate Caroli Imperatoris anno DCCCLXXXV. eidem Vodelgiso concesso vocatur *fideliter dilectus Marchio;* qui Helveticis oris intra Juram & Alpes praefectus, in partes dilabente Francorum Monarchiâ, post destitutum Carolum, Burgundiae Regnum arripuit, ineunte anno DCCCLXXXVIII. & Agauni coronatus est. (*Nota Abrahami Ruchati*, cui addere placet, Carolum obiisse die XII. vel XIII. Januarii DCCCLXXXVIII, postquam die XI. Novembris praecedentis Imperio fuerat ejectus.)

(3) Recte se habet hic caracterismus temporis; anno enim DCCCLXXXVIII. dies 21. Decembris sive XII. Kal. Januarii, erat dies Sabbathi. (Nota *Ruchati.*)

(4) Vide antecedentem notam (2).

XIII.

Donatio facta a Comite Manasse Ecclesiae Lausannensi inter 2. & 5. Septembris DCCCXCI. Anno III. regnante Ruodolfo Rege Burgundiae trans-juranae.

Cartularium Lausannense, Saeculo XIII. scriptum pag. 68. Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Tomo I. Helveticae Cartae a Saeculo septimo, *p.* 354-355. *& T. VII. Monumentorum Helvetico-Tugiensium, p.* 95-96. in fol.

Dum (1) hujus mundi finem simulque etiam & terminum nostrum advenire non dubitamus. unicuique Christiano providere oportet. ut de terrenis & transitoriis acquirere satagat perpetuis ac sine fine gaudiis mansuris. jdeo Ego Manasses (2) cogitans casum humane fragilitatis mee. decrevi apud me aliquid de rebus meis: quas mihi dedit per precepta Dominus Rudolphus (3) Rex. cedere loco sancte Marie Lausannensis Ecclesie ubi Dominus Hieroninus (4) esse videtur Pastor. seu sancti Justi (5) vel Landperti (6) vel ceterorum Sanctorum qui ibidem sunt reconditi ad Luminaria ipsius concinnanda. quatenus pius Judex

veniam

veniam peccatorum Domini Rudolphi (7) Regis retribuere dignetur in futuro (8) nec non etiam mihi indigno peccatori. Pro qua re trado ad ipſam caſam Dei caſale cum caſade ſuper ſtante. & ipſe caſalus habet determinationes. De uno latere via publica. de alio latere & una fronte terra ſancti Mauricii (9). & de alia vero fronte terra ſancte Marie Lauſanuenſis in pago (10) Genovenſe in fine Creolane (11) in villa Muſtiniaco. Donamus etiam ibi Colonicam veſtitam cum mancipiis his noſtribus Atone & Uxore ſua Chriſtiana & infantes ſui Athoni — Wolferico (12). Atha. Adelburgis. Edeltreuda. Inſuper etiam trado quidquid ad ipſum manſum adſpicit vel adſpicere videtur cum omni integritate. vineis. campis. pratis. rivis. fontibus. arboribus pomiferis & impomiferis. aquis & aquarum decurſibus. acceſſisque omnibus. totum & ad integrum. ad ipſam caſam dictam trado atque transfundo de vice & poteſtate mea. ad ipſam caſam dictam trado donatione perpetualiter ad poſſidendum habendi. tenendi. vendendi. donandi. liceatque commutandi. & faciatis. ex iſta quidquid facere volueritis liberam ac firmiſſimam in Dei nomine. in omnibus habeatis poteſtatem faciendi. ſi quis vero fuerit in poſtmodum ullus de heredibus meis vel quibuslibet ulla emiſſa perſona ullo vel quo tempore qui contra hanc donationem quam ego ſcribere pleniſſima voluntate rogavi venire dicere aut agere aut calumniare vel eam infrangere voluerit. non hoc valeat. evindicare quid repetit. hic inſuper ſit culpabilis & impleturus ad ipſam caſam Dei. cum aliud & cum quantum ipſe rei ameliorare apparuerint coactus perſolvat. Et nihilominus ea in voſtram Chriſto propitio omnique tempore firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa. actum Lauſanne. caſtro (13). S. Manaſſe qui iſtam donationem fieri & firmare rogavit. S. Alexandrane que viro ſuo conſenſit. S. Geylendo (14) Comite. S. Turimberto (15). S. Paconis. S. Fredario. Sigillum Auſterio (16). S. Turimberto. S. Adelberto. Ego in Dei nomine Bernardus Diaconus ſive Cancellarius qui hanc cartulam donationis ſcripſi rogatus & ſubſcripſi. Datavi XI. (17) Non. Septembris anno III. Regnante Domino noſtro Ruodolfo Rege.

Notae.

(1) Fronte hujus cartae ſequens legitur Inſcriptio in antiquo Lauſannenſi Cartulario: *Donatio qua Manaſſeus Comes dedit in villa Muſtiniaco ad ſanctum Juſtum in loco ſepulture.* In alio legitur apographo: *Donatio — in villa Muſtiniaco.*

(2) *Ma-*

(2) *Manasses* Comes in Regno Burgundiae trans-juranae & uti videtur, Comes Genevensis pagi. Vide ad hujus cartae majorem lucem, Instrumentum anni DCCCXCIII. posteà relatum.

(3) Scilicet Rodolfus I. Rex Burgundiae trans-juranae ab anno DCCCLXXXVIII. usque ad suam mortem anno DCCCCXI. vel DCCCCXII.

(4) Hieronimus Lausannensem rexit Ecclesiam ab anno DCCCLXXXI. usque DCCCXCII.

(5) *Sanctus Justus* cujus reliquiae reconditae erant cum reliquiis divi *Landberti* & aliorum Sanctorum, fuisse videtur *sanctus Justus*, Martyr in Bellovacensi pago, in Galliâ, vulgò *le Beauvoisis*; illius festum celebratur 18. Octobris.

(6) In alio apographo legitur: *Lamperti.* Forsan agitur de sancto Lamberto, aliàs *Landeberto*, *Landiberto*, Patrono Leodii, Episcopo Trajecti ad Mosam anno DCLXVIII. qui martyrio affectus fuit 17. Septembris circa annum DCCVIII. & cujus festum celebratur eodem die.

(7) In alio legimus apographo: *Rodolphi.*

(8) Secundùm aliud apographum: *in futurum.*

(9) *Terrâ sancti Mauricii* designatur possessio Abbatiae Agaunensis, *Saint-Maurice en Valais.*

(10) *In pago Genovense*, id est in Comitatu Genevensi, Gallicè *le Genevois, Comté de Genève.*

(11) *In fine Creolane in villa Mustiniaco* vide sequentem cartam anni DCCCXCIII.

(12) Juxta aliud apographum: *Wolferio.*

(13) Id est, in castro quod erat in civitate Lausanna constructum.

(14) *Galindus Comes* nominatur in diplomate Regis Rodolphi, anno DCCCCXXII. vel DCCCCXXIII. vel secundùm *Ruchati* mentem, anno DCCCXCIX.

(15) In alio legimus autographo: *Turinberto.*

(16) *Auterio*, sic legitur in alio apographo.

(17) *XI. Non. Septembris.* Irrepsit hîc error in apographis, quippe mensis September habet in veteri Calendario Romano *quatuor dies nonarum*, neque *undecim.* Carta Comitis Manesses fuerat inter 2. & 5. Septembris anni DCCCXCI. expedita, qui annus tertius regni *Rodolfi I.* adhuc numerabatur.

XIV.

Donatio facta 27. Aprilis DCCCXCIII. Hieronimo Episcopo Lausannensi a Comite Manasse, Anno sexto Regnantis Rodolphi in Burgundia Trans-jurana.

Cartularium Lausannense, scriptum Saeculo XIII, pag. 68. *Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Tomo I.* Helveticarum Cartarum a Saeculo septimo, *p.* 355-356. & *Tomo VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *p.* 98-99. in fol.

Dominis (1) sanctis in Christo — — — venerabilibus (2) fratribus de Lousonna civitate de Episcopatu domini Hieronimi (3) Episcopi ubi die nocteque Domino famulante norma silentium funguntur officio. & in ipsa congregatione Garibertus presbiter. Willermus presbiter. Ambrico presbiter. ceterique fratres sub regimine Presulis superius nominati ad regendum & custodiendum videntur. Igitur ego in Dei nomine Manasse (4) Comes inspirante pietate divina sumsit mihi bona voluntas ut aliquid de rebus meis propriis quas Dominus Ruodolphus (5) Rex per preceptum mihi dedit pro remedio anime mee vel Genitricis mee vel Senioris mei Rodolphi (6) gloriosissimi Regis nostri ad ipsam Ecclesiam alme Virginis Marie Genitricis Dei seu ad stipendia sacrorum ibidem consistentium concedere vel condonare deberem. quod & ita volui perpetualiter & feci. Dono ibi in pago Genovense in fine Hercolana (7) in villa Mustiniaco capellam unam cum mansis VII. Lunaticis (8) V. ad Ladrinio Colonica I. ad Logrino Capella I. cum Colonicas VI. Lunaticos II. & omnia quicquid ad ipsos mansos adspicit cum campis. pratis. vineis. silvis. arboribus pomiferis & impomiferis. alpis. (9) aquis. aquarumque decursibus. vel accessisque omnibus mancipiis & utriusque sexus masculum videlicet & femmelum ibi pertinentibus ad proprietatem concessi. jdeoque hanc paginam testamenti conscribere ac subtus roborari decrevi. ita ut ab hac die & deinceps prefata res vel mancipia ibidem pertinentes ad jam fatam Ecclesiam deservire debeant & luminare sive in servicio clericorum qui ibi divinis officiis diebus & noctibus militari & pro animabus supradictis seu pro tota Ecclesia divinam misericordiam exorare studeant. si vero aliquam potestatem ullo vel quocunque tempore qui hanc paginam scripturarum quam pro Dei amore & honore sancte Dei Genitricis Marie fieri rogavi. violare aut corrumpere conatus fuerit. iram Dei omnipotentis & omnium celestium virtutum incurrat. & tres

auri

auri libras five fexaginta argenti coactus perfolvat. & infuper hanc donationem perpetuam & inconvulfam Chrifto propitio obtineat firmitatem. S. Manaffe qui hanc donationem fieri & firmare rogavit. S. Alexandrone (10) que viro fuo confentit. Warimberto (11) teftis. Gerlendo teftis. Turinberto teftis. Litone teftis. Ratone teftis. Amaldrico. Ego in Dei nomine Bernardus Diaconus five Cancellarius hanc donationem rogatus fcripfi & fubfcripfi. Datavi die Jovis V. Kalend. Maij anno VI (12) regnante Domino noftro Rodolpho Rege.

Notae.

(1) Fronte hujus Inftrumenti legitur in Cartulario Laufannenfi: *Hic eft donatio quam Manaffes Comes dedit in Mufliniaco.*

(2) *Fratribus*, idem *Canonicis*.

(3) *Hieronimus* Epifcopus Laufannenfis ab anno 881. usque ad fuam mortem 892. fecundùm computum in Burgundia ufitatum & anno 893. juxta noftram calculandi normam.

(4) *Manaffe* erat Comes in regno Burgundiae, in quo poffidebat anno 888. plura dominia, videlicet in Genovenfi, Chablafio &c.

(5) *Ruchatus* legebat *Ruodulphus Rex.* Erat enim Rodolfus I. qui anno 888. Rex Burgundiae trans-Juranae Agauni facratus fuit.

(6) In apographo Bernenfi legitur: *Rodulfi.*

(7) *In pago Genovenfe in fine Hercolana in villa Mufliniaco.* Genevenfis pagus eft hodiernus Comitatus Genevenfis, Gallicè *le Genevois.* Alia Comitis Manaffes Carta eodem in Cartulario Laufannenfi fub anno 891. relata fequentem praebet lectionem: *In pago Genovenfe in fine Creolane in villa Mufliniaco.* Jacet ad lacum Lemanum in Chablafio (*le Chablais*), pagus *Lugrin* inter *Evian* & *Saint-Paul.* Datur etiam in Chablafio alius pagus *Lugrin*, in proximitate *Montigni.* Sufpicor locum *Logrino* de quo Comitis Manaffes donatio, fuiffe unum ex his duobus pagis *Lugrin.* Ignoro penitùs nomina recentia *Mufliniaco* & *Ladrino.* Forfan *Mufliniacum* erat *Montigni*, latinè *Montiniacum*, prope *Lugrin.* Facile enim peperit vox *Mufliniacum*, Gallico idiomate *Mutigni*, *Moligni* & tandem *Montigni.*

(8) *Lunaticis V.* — *Lunaticos II.* quo verbo defignabatur pars ruris, fcilicet quantum unus rufticus poterat arare *per menfem Lunarem.* Vide *Cangii Gloffarium.*

(9) *Alpis.* Omnes montes olim dicebantur in univerfum *Alpes.*

(10) In apographo Bernensi legitur: *Alexandrine.*

(11) In alio apographo legimus: *Warinberto.*

(12) Sextus annus regni *Rodolphi I.* Regis Burgundiae die 27. Aprilis currebat anno 892. vel 893. Sacratus fuerat anno 888. sed quo mense incertum.

XV.

Diploma datum 28. *Januarii DCCCXCV. quo* Rodulfus I. *Rex Burgundiae contulit Clero & populo Ecclesiae Lausannensis liberam potestatem eligendi suum Episcopum.*

Cartularium Lausannense, Saeculo XIII. transcriptum, pag. 9. *& illius Cartae Apographum inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Tomo VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *p.* 39-40. *Tomo primo* Helveticarum a Saeculo VII. Cartarum *p.* 77-79. *&* 324, *& Tomo primo* Cartarum Burgundiae, Sabaudiae & Helvetiae *p.* 57. in fol.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. RODULFUS (1) DIVINA ANNUENTE CLEMENTIA PIISSIMUS REX. Quanto liberius & largius militantibus Domino (2) opem contulerimus congruam. & quod ad cultum ipsius pertinet libenter (3) impercierimus auxilium. credimus a benigno Deo multiplicatam nobis reddi in futuro mercedem. & in presenti etiam auxilium opportunum confidimus largiri. Qua de causa omnium fidelium sancta Dei nostrorum videlicet & futurorum Industria sciat. Quum venerandus Pontifex Lausannensis Ecclesiae. Boso (4) humillimis clementiam Majestatis nostre precibus expostulavit. quatenus sicuti pluriores Ecclesie per Galliam ex largitate Imperatorum & Regum habent liberam in eligendo Pastorem potestatem. (5) Ita & nos dono benignitatis nostre supra nominate sancte Ecclesie Lausanensi cui ipse preesse videbatur libenter indulgeremus. cujus denique petitionem Deo hominibusque acceptam prono (6) suscipientes animo. has litteras per authoritatem (7) regiam facere ob honorem alme Dei Genitricis Marie & emolumentum anime nostre regnique nostri tranquillitatem iussimus. constituentes omnimodis. ut quando proprium Rectorem morte interveniente filij frequenter prelibate Lausan. amiserint Ecclesie habeant liberam potestatem. secundum canonicam institutionem. eligendi. sicuti dignius (8) reperiri valuerint. de propria Ecclesia pastorem.

ſtorem. ſi autem quod non optamus. in eadem ad hoc opus idoneus minime fuerit repertus. de convicina Eccleſia petant ſibi dari. tantum ut nullus ibidem confectus (9) non proponatur niſi qui a Clero & Populo ſancte Eccleſie Lauſan. fuerit electus. ſi quis autem aliter agere tentaverit (10). apud Dominum & ſanctam Mariam ſit reus. ut ergo hoc privilegium inconvulſum per cuncta ſecula conſervetur manu noſtra ſubterfirmavimus. & de annulo noſtro ſigillari fecimus. Almaricinus (11) notarius ad vicem Vualtharii archicancellarii recognovi.

Datum V. Kalend. Februarii anno ab Incarnatione Domini DCCCXCV. Anno vero Domini Rodulfi Regis VIII. Indictione (12) XIII.

Notae.

(1) *Ruchatus* legebat: *Rudolphus.*

(2) *Ruchat* & *Rivaz* legebant: *militantibus Deo optm.*

(3) Iidem docti legebant *liberaliter*, pro adverbio *libenter.*

(4) *In antiquo Cartulario Lauſannenſi pag. 6. ſtant ſequentia verba:* Boſo Lauſannenſis Epiſcopus electus eſt anno ab incarnatione Domini DCCCXCII. & fuit ordinatus in Solodoro II. Non. Decembris. & tenuit Epiſcopatum XXXV. annis. quomodo fuit electus. & quedam ſancte valde bona ſcripta erant in Kartulario ſupradicto. fuit autem comprehenſus in villa Ranſoldingis anno ab incarnatione Domini DCCCCXII.

(5) *Ruchat* & *Rivaz* legebant: *liberam in eligendo paſtorem libertatem.*

(6) *Ruchat* legit: *proprio ſuſcipientes animo.*

(7) *Ruchat* & *Rivaz* legebant: *auctoritatem.*

(8) *Ruchat* legebat: *Sicuti dignus reperiri potuerit.*

(9) Ambo docti *Ruchat* & *Rivaz* legebant: *ut nullus ibidem conſecretur nec preponatur niſi qui —*

(10) Iidem docti legebant: *temptaverit.*

(11) Secundùm *Ruchati* oculos legendum foret: *Almaruinus* vel *Almaricinus.* Quaedam apographa Bernenſia habent: *Almavuinus.*

(12) Indictio XIII. currebat die 28. Januarii, octavo anno Regni Rodolfi qui ſacratus fuerat Rex Burgundiae in Abbatia ſancti Mauritii in Valleſia anno DCCCLXXXVIII, uti teſtantur coaevi ſcriptores.

XVI.

XVI.

Diploma Rodolphi *Regis Burgundiae trans-juranae, datum XVIII. Augusti DCCCCI. quo concessit Aimoni Sacerdoti duos mansos in Comitatu Valdense in villa Modernaco.*

Cartularium Lausannense, Saeculo XIII. scriptum pag. 14. Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I. Helveticae Cartae a Saeculo septimo, *pag.* 337. & *Tomo VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *pag.* 63-64. in fol.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. RODOLPHUS (1) DIVINA ANNUENTE CLEMENTIA SERENISSIMUS REX. Mos regalis Celsitudinis est fideles Regni sui muneribus. opis & ingentibus beneficiis honorari atque sublimari. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum solercia presentium videlicet & futurorum qualiter nos adiit quidam noster fidelis nomine Aimo sacerdos venerabilis petens nostram excellentiam. ut sicut aliis fidelibus nostri regni illi & aliquas res de nostro proprio iuxta morem regium. quod libenter fecimus denique illius dicti Aimonis servitii iugis reminiscentes donamus ei postulatas res. videlicet Mansos II. in Comitatu Valdense (2) in ipso Comitatu in villa que dicitur Modernaco (3) cum omnibus illorum appenditiis. hoc est cum campis cultis & incultis. vineis. pratis. arboribus pomiferis & impomiferis. casalibus. fontibus. aquis. aquarumque decursibus. exitibus & regressibus. cum omni integritate qualicunque que in dicto Comitatu Waldensi in dicta villa Moderniaco habetur. dicto fideli Aimoni concedimus & donamus jure in ejus jus habendum solemni more transferimus quatenus hereditario jure ipsas res possideat. ex ipsis que facere voluerit faciat absque ulla contradictione. Ut autem nostri precepti autoritas (4) ab omnibus credatur & eternaliter inconvulsa observetur totius firmitatis obtinens vigorem. manu propria ista (5) firmavimus & annuli nostri impressione sigillari jussimus. Data XV. Kalend. Septembris Regnante Domino Ruodolpho Rege anno (6) XIIII.

Notae.

(1) *Ruodolphus*, Rex Burgundiae trans-juranae ab anno DCCCLXXXVIII. usque ad suam mortem anno DCCCCXI. vel DCCCCXII.

(2) Aliud

(2) Aliud apographum fert: *Waldense.* Agitur hic de Comitatu Vaudi, *du Comté ou païs de Vaud.*

(3) *Modernacum* vel *Moderniacum*, forsan *Mordagne* vel *Mordaigne*, pago in parochia *Tuonand*, in praefectura *Grandson* quae pertinet ambobus Cantonibus Bernae & Friburgo. At Instrumentum anni DCCCXIX. docet *Modernacum* fuisse situm *in pago Lausannensi in fine Runnigorum*, id est prope villam *Rugnens*, vel *Renens.* Notitia anno DCCCCII. scripta & in eodem Cartulario Lausannensi *pag.* 14. relata nominat *Morneacum*, sicut & sequens Carta die 9. Novembris MCCXXXVIII. (*ibidem* pag. 14.) quem locum *Mornay*, olim *Modernacum*, jam dudum destructum fuisse affirmat *Ruchatus*. *Johannes de Lora miles* invadiavit Domino Cononi preposito Lausane pro X. libris Lausan. decimam quam habebat in feudum a Capitulo apud *Mornay*, & posuit in fidejussores pacis Petrum Dapiferi. W. Beuro. Girardum de Cheses milites. & fecerunt gerintare capitulum. Actum in portali anno ab incarnatione Domini M.CCXXXVIII. quinto idus Novembris. Testes C. Sacrista. Josep. Jacobus de Burgo. Amedeus. Petrus de Vileta. J. Celerarius. V. Dapifer. W. de Gomoins Canonici. Johannes de sancta Cruce. Otto de sancto Nickolao. Bl. d'Oschie. Volmarus de Bevax sacerdotes. P. de Chesas. W. Dapifer. Lodoicus Major Lausan. W. d'Esclepens. W. de Grancie milites. P. Capellanus sancti Stephani. P. Clericus de Donneluy. M. de Combremont laicus & alii quam plures.

(4) In alio legitur apographo: *Auctoritas.*

(5) Aliud apographum fert: *istam.*

(6) Annus XIV. regni *Ruodolphi*, die XVIII. Augusti, currebat anno DCCCCI.

XVII.

Carta data Lausannae Castro Anno DCCCCIII. quâ Fredarius Comes Palatinus Regis Ruodulphi donavit Ecclesiae Lausannensi quicquid possidebat in villa Beio in pago Lausannensi in fine Runingorum.

***Cartularium Lausannense*, *Saeculo XIII. scriptum*, *pag.* 16. *Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae*, *T. I.* Helveticae Cartae *a Saeculo VII. p.* 340-341. *&* *T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *pag.* 68. in fol.**

Dum

Dum hujus mundi finem ſimulque & terminum venire non dubitamus. unicuique homini providere oportet. ut de terrenis ac tranſitoriis rebus acquirere ſatagat quod ei in perpetuum placere poſſet. jdeoque Ego in Dei nomine Fredarius (1) inſpirante Divina pietate ſuſcepit mihi bona voluntas. ut aliquid de rebus meis quas Dominus Ruodulphus (2) Rex per preceptum tradidit pro remedio anime mee ad alme Virginis Marie Lauſannenſis Eccleſie ſeu ad ſtipendia fratrum ibidem Deo ſerviencium donare debere. quod & feci. Hoc eſt in pago Lauſannenſi in fine Runigorum (3) in villa Beio (4) quodcunque in ipſa villa conceſſum habere aut poſſidere. totum & ad integrum ad ipſam caſam Dei vel ad ipſos ſervos Dei dono. ligo. trado. atque transfundo. Hec ſive caſalibus. vineis. campis. pratis. paſcuis. ſilvis. rivis. fontibus. arboribus pomiferis & impomiferis. aquis aquarumque decurſibus. acceſſisque omnibus vobis dono. de meo jure & dominatione in veſtram trado poteſtatem. Ea vero ratione dum Ego vivo uſum & fructum poſſideam. poſt meum diſceſſum quando quidem Dominus voluerit ad vos revertat nullo contradicente. Si quis vero. quod futurum eſſe non credo. ſi ego ipſe aut ullus de heredibus meis vel proheredibus vel ulla emiſſa oppoſita perſona ulliunque tempore qui contra hanc donationem venire. diſcreptare. calumniari vel eam infringere voluerit. non hoc valeat evincare qui repetit. ſed inſuper ſit culpabilis & inſuper ſit impleturus tam eum & alium tantum una cum tertio auri Libras III. coactus perſolvat. & hec donatio firma & ſtabilis permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum Lauſanne Caſtro. Signum Fredarius qui hanc donationem fieri rogavit & firmare. Sig. Adalburgare qui genitori ſuo conſenſit. Ego David qui Genitori meo conſenſi & ſubſcripſi. Ego Waldemarus conſenſi & ſubſcripſi. Sig. Albuico teſtis. Sig. Ennendrico teſtis. Sig. Eldoeno teſtis. Sig. Berengario teſtis. item Sig. Albuico. Ego in Dei nomine Saturninus ac ſi indignus presbiter ſive cancellarius rogatus ſubſcripſi & datavi die Dominica V. hora matutina A. XVII. (5) regnante Domino Ruodulfo Rege.

Notae.

(1) *Fredarius* de quo praefatum Inſtrumentum, videtur fuiſſe Comes Palatinus ejusdem nominis, qui conceſſerat anno DCCCCII. veſtituram villae *Mornacum* presbitero Aimoni praeſente Boſone Epiſcopo Lauſannenſi.

(2) *Ruodulfus* primus Rex Burgundiae transjuranae ab anno DCCCLXXXVIII. usque ad ſuam mortem anno DCCCCXI.

(3) *In*

(3) *In fine Runingorum*, prope *Renans* vel *Renens* in proximitate Lausannae.

(4) In alio apographo legitur: *Beis* vel *Biex*. Hujus autem loci nomen hodiernum ignoramus.

(5) Annus XVII[us]. Regni *Ruodulfi* primi currebat anno DCCCCIII. quo etiam expeditam hanc donationem fuisse sequentibus affirmat verbis antiquum Chronicon Cartularii Lausannensis.

Anno DCCCCIII. Fredarius Comes Palatinus dedit Ecclesiae Lausannensi in pago Lausannensi in fine Runingorum. quicquid proprietatis habebat in villa quae dicitur Beio. Actum Lausannae in Castro. die Dominica VI. Kal. . . . anno XVII. regnante Domno Ruodolfo Rege.

XVIII.

Bulla Papae Sergii III. data VIII. Kal. Martias DCCCCIV. in gratiam Salomonis Episcopi Constantiensis & Abbatis Monasterii sancti Galli.

Autographum pergamenum in Scriniis Principalis Abbatiae sancti Galli, & Apographum inter Codices manuscriptos Zur-Laubianae Bibliothecae, Tomo I. Helveticae *a septimo Saeculo* Cartae *p.* 532-533. in folio.

SERGIUS (1) EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI. Omnibus sancte Dei Ecclesie fidelibus. cognoscat amabilis Religiositas. quia quidam venerabilis vir ex partibus Germanie nomine Salomon (2) Constantiens. Ecclesie Episcopus & Abbas venerabilis Monasterii sancti Galli causa orationis Romam pervenit. & pro delictis suis sanctorum Apostolorum suffragia humiliter imploravit. Qui cum ab Apostolica sede benigne atque humaniter susciperetur, concessa sibimet apostolatus nostri auctorali familiaritate, inter alia nobis referebat, qualiter idem Monasterium ab antiquis temporibus usque in Arnulfum (3) Regem, qui hoc illi concessit, à Regibus vel Imperatoribus potestatem & privilegium haberet, ut ipsi fratres inter se Abbatem eligerent, & nulli hominum nisi Regibus subjecti esse deberent preter in eo solum Episcopum suum quod ad Ecclesiasticam pertinet disciplinam. sed cum hoc propter eum fuisset interruptum, apostolatui nostro innotuit quomodo ob amorem Dei & dilectionem fratrum eorundem submissis precibus apud Arnolfum Regem & Ludovicum (4) filium ejus Regem impetrasset, quatenus ipsi per precepta sue auctoritatis privilegium & potestatem fratribus

ipsis à Regibus antiquitus concessam denuo restaurarent & corroborarent, ac roborata successoribus suis in evum relinquerent, ita scilicet ut fratres predicti, si idem Episcopus adhuc in vita manens Monasterium illud relinquere vellet, vel si non, statim post obitum ejus, prout superius dictum est, pro eligendum & constituendum sibimet Abbatem, ac etiam de rebus omnibus eidem Monasterio addictis, prout voluerint, faciendis, firmissimam haberet potestatem, petiitque nos idem religiosus Episcopus, ut ob clementiam nostram per conscriptum nostre Apostolice potestatis Privilegia & Statuta a Regibus vel Imperatoribus sepe dicto Monasterio concessa, solidissime confirmaremus. Cuius petitioni libenti animo assensum prebentes nostri Apostolatus vigore sancimus ut hec omnia supra scripta temporibus cunctis inviolabilem obtineant stabilitatem. si quis autem, quod fieri nolumus, contra hoc nostre auctoritatis privilegium agere presumpserit, & hoc contraire tentaverit, sciat se, nisi resipuerit, anathematis vinculis innodandum, & a regno Dei alienandum. Qui autem verus custos & observator extiterit, Benedictionem & gratiam a Domino Deo consequi mereatur. Scriptum per manum Leonis (5) Scriniarii S. Romanæ Ecclesiæ in Mense Martio Indict. (6) VII. ✝. Bene (7) valete ✝. Data VIII. K. (8) Martias per manus Nicolai Episcopi S. Sutrinae Ecclesiae & Bibliothecarii (9) S. Sedis Apostolicae. Imperante Domino piissimo perpetuo Augusto Ludovico (10) a Deo coronato Magno Imperatore anno IV. & post Consulatum anno IV. jndict. VII.

Notae.

(1) *Sergius III.* summum obtinuerat Pontificatum mense Junio 898, sed mox ejectus, postea autem cum per septem annos delituisset, reintegratus anno 904, obiit anno 911. mense Augusto. (Vide *l'Art de verifier les dates* pag. 276.)

(2) *Salomon III.* Abbas sancti Galli ab anno 889. & Episcopus Constantiensis ab anno 890, obiit 5. Januarii 920. peregrinatus fuerat binâ vice Romam 904. & 918.

(3) *Arnulfus* Rex Germaniae electus die XI. Novembris 887, obiit VIII. Decembris 899. fuerat coronatus Imperator à Papa Formoso circiter medium Aprilem 896. At Papa Sergius III. qui damnaverat memoriam Formosi & approbaverat processum Stephani VI. contra hunc Pontificem, solum Regis titulum concessit *Arnulfo* in bulla Salomoni Episcopo data.

(4) *Ludovicus IV.* dictus *Infans*, successerat patri suo Arnulfo in Regno Germaniae anno 899, obiit anno 911. vel 912.

(5) Vox

(5) Vox *Scriniarii* a *Scrinio* fupra quod fcribi folet. Erant in Ecclefia Romana duodecim Scriniarii, qui cuftodiebant publicum Ecclefiae Archivum, dirigebant Cancellariam, & omnes fcribebant bullas, diplomata, &c. ex ore Cancellarii & Protofcriniarii. Illud muns cum Notarii officio fere femper unitum erat.

(6) Indictio feptima a menfe Septembri 903. usque ad eundem menfem 904. currebat.

(7) *Bene valete*, taliter finiebant Pontificales Bullae.

(8) Idem, 22. Februarii.

(9) *Bibliothecarius S. Sedis Apoftolicae* idem erat atque *Cancellarius*. Vide novum tractatum Diplomaticae Gallicé fcriptum a Benedictinis Congregationis fancti Mauri.

(10) Agitur hìc de *Ludovico III*, cognominato *Coeco*, filio Bofonis Regis Provinciae, qui intravit Italiam anno 900, & Romae coronatus fuit Imperator die 12. Februarii 901, quartus igitur ejus Imperii annus *die 22. Februarii* 904. currebat.

XIX.

Judicium Ruodolfi Regis Burgundiae latum die XVIII. Julii DCCCCVIII, in gratiam Bofonis Epifcopi Laufannenfis, poftquam unus fervorum ferrum calidum portaverat.

Cartularium antiquum Ecclefiae Laufannenfis, Saeculo XIII. tranfcriptum.
Apographum *autem inter Codices manufcriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I. Helveticarum Cartarum a Saeculo feptimo, pag.* 79-82. *& T. I. Cartarum Burgundiae, Sabaudiae & Helvetiae pag.* 67-68. in fol.

In nomine Domini noftri Jefu Chrifti. Cum refediffet Dominus & gloriofiffimus Ruodolfus (1) Rex. ob utilitatem Regni gubernacula peragens. venit in Corfiaco (2) villam. ad multorum caufas audiendas & finiendas. fecundum quod regie decet dignitati. ibique venit Dominus & venerabilis Bofo (3). mifericordia Dei humilis Laufanne Ecclefie prefu]. proclamavit fe in prefentia regia. quia forefte. quod eft in pa o Laufannenfe. ufum habeat poteftas fancte Marie. ad porcos fanigandos. & ad Ecclefias Dei. & ad manfiones. & ad omne opus fervile. quicquid facere voluerit. fane poteftatem hanc faciendi. quod pafcionaticum (4)

 nec

nec silvaticum debet ad regiam potestatem persolvere. audivit Dominus Rex illam rationem. Missos suos direxit. nomine Warimberto & Vultpotone. Venatores. Fuscone (5). Arbert. Tuzone. ceterosque Ministrales. qui cum venissent in Lustraco (6) villam & ibi fuissent. & ibi diligenter inquisissent. sicut mos est antiqua. Qua autem die venerunt missi Domini Regis in Lustraco villam superius nominati. & alii plures boni homines. & inquirebant diligenter. stetit Dominus Boso presul in area in ipso placito. & dixit de illa silva. secundum aquam. quam vocabant (7) fontem (8) Maurone. usque in foreste (9) Vennas. quod plus per Legem Domnus (10) Boso Episcopus & successores ejus & Canonici sancte Marie & servi sancte. debent habere potestatem quicquid exinde facere voluerint quam ad partem Domini Regis impendere. Dixerunt ipsi venatores & super (11) silvatores. Senes & Juveni. quod Dominus (12) Episcopus veritatem dicebat. & se in omnibus recrediderunt & uerpierunt. (13) Nuper venit Dominus (14) Episcopus alia vice in Orciaco (15) villam. ante presentiam Domini Regis. deprecatus est mercedem (16) Domini Regis. ut legale judicium concedere dignetur. quam ipse Dominus Rex deprecationem illius clementer concepit. Tunc jussit ad illum judicium Dei. Emiconem suum venatorem ire. qui illum judicium fecisset (17). & diligenter inquisisset. (18) Quod ita & fecit. Venerunt in Domno (19) Martino villam & alii plures boni homines. & illam silvam circuerunt. & ibi unum servum. nomine Arulsum. ad judicium Dei. hoc est ad ferrum calidum. jactaverunt. quod de illa silva (20) sancto Martino Dominus (21) Boso Episcopus & successores ejus. & Canonici sancte Marie. & servi sancte Marie. deberent Ecclesias construere. & mansiones facere. & porcos faginare. & alios porcos non debere colligere. vel nullum alium (22) servitium Regi persolvere. & liberavit eum Deus. & illi se recrediderunt & custodierunt illum illi silvatores usque ad tertium diem. Tertia vero die venerunt. & dissigillaverunt illam manum. & invenerunt illam salvam & illesam. Emico presens fuit. Sierdus p. f. Elbo (23) p. f. Albuvicus (24) p. f. Oso p. f. Abel p. f. Emico p. f. Fredoilus (25) p. f. Adalbertus p. f. Amalgarius p. f. Natalis p. f.

Ego in Dei nomine Saturnius (26). ac si indignus presbiter sive Cancellarius. hoc judicium Dei scripsi. & Datavi die (27) Lun. XV. Kal. Aug. anno XX. regnante Domino nostro Ruodulfo (28) Rege.

Notae.

(1) *Ruchat* legebat *Ruodulphus.*

(2) For-

(2) Forsan *Corzi* vel *Corzier*, pagus in parochia *Lutri* & praefectura Lausannensi, ditione autem Reipublicae Bernensis, quique vocatur *Corzi-Sus-Lutri*, ad illum distinguendum a pago numeroso dicto *Corzi-Sus-Vevey*, qui jacet prope oppidum *Vevey*, latiné *Viviacum*, quique conflat unam e quatuor grandibus parochiis vallis *Rysthal*, in eodem Cantone Bernensi. Hujus ultimi pagi olim erat Dominus & Collator Episcopus Lausannensis.

(3) Ab anno 892. usque 927. Lausannensem Boso rexit Ecclesiam.

(4) *Ruchat* legebat, *pasciovaticum nec silvaticum.* (Vide Glossarium infimae Latinitatis Auctore *Cangio.*)

(5) *Ruchat* legebat *Tucone.*

(6) Hodie *Lutry*, oppidulum Cantonis Bernensis in praefectura Lausannensi, ad Lacum Lemanum, olim pertinebat Episcopo Lausannensi.

(7) *Ruchat* legebat *vocant.*

(8) *Fontem Maurone;* fluviolus *Morens* oritur in Baronia *Montricher*, & praefectura Lausannae, & praeterfluit pagum *Morens*, *Morrens*, vel *Maurans*, prope Lausannam.

(9) *In foreste Vennas*, datur pagus *Ouens* in praefectura *Yverdon*, ditione Bernensium.

(10) *Ruchat* legebat *Dominus.*

(11) Gallicé *Gardes de forêts*, Germanicé *Forstmeister.*

(12) *Ruchat* legebat *Domnus.*

(13) *Ruchat* legebat *uverpierunt.*

(14) *Ruchat* legebat *Domnus.*

(15) *In Orciaco* credo legendum *Corciaco*, quia secundùm cartam *alia vice* illuc venit Boso Episcopus.

(16) *Mercedem Domini Regis*, id est, *gratiam*, *benevolentiam*, *benignitatem.* Hispani adhuc eodem dicunt sensu, *Merce* inde quoque vox Gallica, *Merci.*

(17) *Fecisset*, id est, *faceret.*

(18) *Inquisisset*, id est, *inquireret*, barbaries cartas hujus aevi deformabat.

(19) Hodie *Dom-Martin*, numerosus pagus cum parochia in foresto *jorat*, tribus leucis Lausannâ distat, olim pertinuit Capitulo Lausannensi. Latiné vocatur *Templum Martini.*

(20) *Sancto Martino* pro *Domno Martino.*

(21) *Ru-*

(21) *Ruchat* legebat *Domnus.*

(22) *Ruchat* legebat *aliud Servitium.*

(23) *Ruchat* legebat *Ebbo.*

(24) Idem legebat *Albuvius.*

(25) Idem legebat *Fredoilus.*

(26) *Ruchat* rectè legebat *Saturninus.*

(27) Id eſt, die XVIII. Junii, die Lunae, anno DCCCCVIII. quo Paſca die XXVII. Martii fuerat celebrata, & eodem anno usque DCCCCIX. menſe Januario numerabatur vigeſimus annus regni Rodolfi I. Regis Burgundiae, qui regnare in Burgundia Trans-jurana anno DCCCLXXXVIII. menſe Januario coeperat. (Vide *l'Art de verifier les dates.*) Porro autem ſequens Nota Eruditiſſimi D. de *Rivaz* non omittenda eſt: *Legendum* eſt 13. Kal. Anno enim 20. Rodulphi qui erat Chriſti 907. dies 13. Kal. Auguſti, non 15. erat dies Lunae, aut ſi legendum omnino 15. Kal. etiam legendum eſt anno XXI. non XX. cum anno Chriſti 908. 15. Kal. Auguſti Lunae dies fuerit.

(28) *Ruchat* legebat *Ruodulpho.*

XX.

Carta qua Aimo presbiter donavit die 22. *Septembris DCCCCXIX. Canonicis Lauſannenſibus aliquas poſſeſſiones quas tenebat e ſpeciali gratia* Ruodolphi I. *Regis Burgundiae per inſtrumentum die* 18. *Auguſti DCCCCI. expeditum.*

Cartularium Lauſannenſe, Saeculo XIII. e veteriori tranſcriptum, pag. 14. *Apographum autem inter Codices manuſcriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I.* Helveticae Cartae a Saeculo ſeptimo, *p.* 338-339. *& T. VII.* Monumenta Helvetico-Tugienſia *p.* 64. in folio.

Dum hujus mundi finem ſimulque & terminum advenire non dubitamus. unicuique homini providere oportet. ut de terrenis ac tranſitoriis rebus adquirere ſatatagat. qua in perpetuum placere poſſit. jdeoque Ego in Domini nomine Aimo umilis presbiter inſpirante pietate Divina ſeu pro eterna retributione. & pro remedio anime mee. ſumpſit mihi voluntas bona. ut aliquid de rebus meis quas mihi Dominus Ruodolphus piiſſimus Rex in omnibus mihi benefactor per pre-

preceptum (1) dedit. dono ad Canonicos sancte Marie Lausannensis Ecclesie hoc est in pago Lausannensi in fine (2) Runnigorum in villa Modernaco quicquid in ipsa villa visus sum habere vel possidere. totum & ad integrum. ad ipsos Canonicos dono. ligo. trado. atque transfundo. hec sicut casibus. casalibus. edificiis. vineis. campis. pratis. pascuis. silvis. rivis. fontibus. arboribus pomiferis & impomiferis. aquis. aquarum decursibus. accessisque omnibus quique dici aut esse possunt vel inde presenti tempore possidere videor vel in annona conquirere potuero. vel inde aspicere videtur. totum & ad integrum ad ipsos Dei servos dono. de meo jure & dominatione in vestram trado potestatem jure legitimo ordine perpetuo ad possidendum habendi. liceatque commutandi. & faciant exinde quiquid voluerint. liberam ac firmissimam in Dei nomine in omnibus habeatis potestatem faciendi quam vos quam & successores vestri nullo sane contradicente. ea vero ratione dum ego vivo usum & fructum possideo. post meum decessum quando Deus voluerit ad vos revertat. & si fuerit in postmodum aliqua persona aut prestariam aut in beneficio dare voluerit. veniant heredi mei propinqui & recipiant ipsas res. si quis vero quod fieri minime esse credo. si ego aut ullus de heredibus meis vel Proheredes vel quibuslibet ulla emissa persona ullocunque tempore contra hanc donationem dici tentare. calumpniare vel eam infrihgere voluerit. Ne hec valeat evindicare quod repetit. insuper sit culpabilis & impleturus dupla pecunia & una cum tertio auri libras XII. coactus persolvat. & ista donatio omni tempore firma & stabilis permaneat stipulatione subnixa. Ego in Dei nomine Ainio presbiter hanc donationem a me factam relegi & subtus firmari rogavi. Ego in Dei nomine Saturninus ac si indignus presbiter hanc donationem rogitus scripsi Datavi (3) die Sabati X. Kalend. Octobris anno VIII. post obitum Ruodolphi Regis. regnante filio suo Domino Ruodolpho Rege.

Eodem in cartulario praefatam Cartam sequitur subscripta notitia.

Notitia (4) vel vestitura qualiter vel quibus presentibus bonis hominibus & eos qui subtus firmaverunt. qualiter tenuit Fredarius (5) Comes Palatinus missus a Domino Rege Ruodolpho in Morneaco (6) villa. eo quod res quas Dominus Rex per preceptum Aimoni presbitero dedit per ipsum preceptum qualiter lex fuit in omnibus vestituram fecit his presentem. Dominus Boso Episcopus fuit presens. Adalbertus presens fuit. Frodoenus presens fuit. Ludelaicus presens fuit. Alpericus presens fuit. Perengarius presens fuit. Ermandricus presens fuit. Elpricus presens fuit. Albuicus presens fuit. Maguerius presens fuit. Arlavoldus presens fuit. Marinus

presens

presens fuit. Possessor presens fuit. Xristoforus presens fuit. Stephanus Levita presens fuit. Ingaluvinus presens fuit. Airfredus presens fuit. Ego in Dei nomine Saturninus ac si indignus presbiter hanc vestituram scripsi. Datam die Jovis XIIII. Kalend. Septemb. anno XV. (7) regnante Domino Ruodolpho Rege.

Notitia seu traditio qualiter & quibus presentibus bonis hominibus & eos qui heredes fuerunt. Qualiter venerunt Nepotes (8) sui Ingalmarius & Borno in (9) usa Domino Aimone Archidiacono in Modernaco villa eoque Christi nomine huic in nomine fratrum per ipsam cartam & per (10) axodoriam & scindolam vestituram fecerunt quomodo in ipsa carta commemorat Domino Preposito Wugulfo (11) & ceteris fratribus (12) Aifredo. Aimone. Beroldo. Sicfredo. Vitale. Saturnino. Bosilino. Uberto. Teuderico. Iohanne Adamo & alii plures qui receperunt vestituram ipsam facta notitia data ut (13) supra.

Notae.

(1) Diploma *Rodolphi Regis* die 18. Augusti DCCCCI. Aimoni sacerdoti concessum retulimus sub anno DCCCCI. cum notis topographicis quas benevolo Lectori commendamus pro majori luce praesentis Instrumenti.

(2) Id est, ad limites pagi *Rugnens* vel *Renens* prope Lausannam.

(3) *Breve veteris chartularii Lausannensis Chronicon*, à *Ruthato* transcriptum, sequentia profert: *Anno Domini DCCCCXI. Rodulphus Rex obiit die Dominica VIII. Kalend. Novemb.* ad quem textum haec notavit idem eruditus vir: *Pro VIII. lege XIII. illo enim anno mense Octob. dies Dominica incidit in XIII. Kal. Novemb. non vero VIII.* illud Chronicon ab anno DI. usque MCCXXXIX. procurrit: ejus quoque apographum adest Tomo primo *Helveticarum a saeculo septimo Cartarum;* in Bibliotheca Zur-Laubiana, Tugii Helvetiorum. Porro autem octavus annus *post obitum Regis Ruodolphi, regnante filio suo Ruodolpho Rege*, die 22. Septembris, erat annus DCCCCIX. quo anno, uti notavit *Ruthatus*, innixus veteris de quo supra Chronici auctoritate, occurrebat *dies Sabati X. Kalend.* Octob.

(4) Chronicon breve veteris chartularii Lausannensis haec de praesenti notitia profert. *Anno* 902. de memoratis mansis investitus fuit idem Aymo presbyter in villa Moernaco per Fredarium Comitem Palatinum; praesentes fuerunt Boso Episcopus, & Adelbertus, Frodoenus, Alpericus, Berengarius, Ermendricus, Elpricus, Albericus, Artavoldus, Ingalwinus & alii. Actum die Jovis XIV. Kal. Septembris anno XV. regnante Domino Ruodolfo Rege.

(5) De

(5) De illo Comite Palatino adhuc ait sub anno DCCCCIII. supradictum Chronicon chartularii Lausannensis hisce verbis: *Anno* 903. Fredarius Comes Palatinus dedit Ecclesiae Lausannensi in pago Lausannensi in fine Runigorum, quicquid proprietatis habebat in villa quae dicitur Bejo. Actum Lausannae in castro, die Dominica VI. Kal. .... anno XVII. regnante Domino Ruodolfo Rege. (*Vide illud donationis instrumentum sub anno DCCCCIII.*)

(6) Secundum aliud apographum, *in Moernaco.*

(7) Regnare inceperat anno DCCCLXXXVIII. mense Januario *Ruodulfus I.*, anno igiur DCCCCII. die XIV Kalend Septembris, id est XIX. Augusti numerabatur il lus regni annus XV. dies Jovis XIV. Kal. Sept occurrebat anno DCCCCII. die Jovis XIX Augusti. Vide *l'Art de verifier les dates.*

(8) Erant illi nepotes Aimonis sacerdotis qui hac in notitia *Archidiaconus* vocatur.

(9) *In usa*, forsan corruptè pro *in usu.*

(10) *Per axodoriam & scindolam.* Gangii glossarium infimae Latinitatis explicat omnia varia genera investiturae medio aevo usitata. Vox *scindula* vel *scandula*, significabat apud veteres Romanos, *Regulam*, *Ambrices*, *Tessellam*, *asserem doliarem*, &c. vox corrupta *axodoria* suam forsan habet radicem in *assere*, quo nomine designabatur *sigillum*, *trabecula*; Radix prima *axis*, unde *axiculus*, *asser*, vel *assis* vel *axis crassior.*

(11) Secundùm aliud apographum, *Wagulfo.*

(12) *Fratribus*, id est, *Canonicis.*

(13) Haec traditio Canonicis Lausannensibus a nepotibus Aimonis Archidiaconi facta eandem habebat epocham atque antefata ipsius donatio die 22. Septembris DCCCCXIX.

XXI.

Donatio facta Bosoni Episcopo Lausannensi a Comite Gerlando & ejus uxore Airoara vel Airoana, Anno DCCCCXX. Regnante Ruodulfo in Burgundia Trans-jurana.

Cartularium Lausannense, *Saeculo XIII. scriptum*, *pag.* 17. *Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae*, *T. I.* Helveticae

Cartae

Cartae *a Saeculo septimo*, *p.* 70. & *T. VIII.* Monumenta Helvetico-Tugiensia, *pag* 341. in fol.

Dominis sanctis & in Christo Jesu venerabilibus fratribus de Lausanna civitate de Episcopatu Domini Bosoni (1) Episcopi ubi die noctuque Domino famulantes iuxta normam silentium funguntur officio uti ipsa congregatione Arambertus (2) prepositus ceterique fratres sub regimine Presuli superius nominato ad regendum & custodiendum habere videntur. jgitur Ego in Dei nomine Gerlandus (3) Comes & uxor mea Airoara Comitissa inspirante pietate divina sumsit nobis bona voluntas. ut aliquid de rebus nostris quas Dominus Ruodulfus (4) Rex per preceptum nobis dedit pro remedio anime nostre vel anime senioris bone memorie Chonradis (5) Comitis in omnibus mihi benefactor, seu anime gloriosissimi Regis nostri Ruodulfi (6). ad ipsam Ecclesiam alme Virginis Marie Genitricis Dei seu ad stipendia fratrum ibidem consistentium concedere vel condonare deberemus. quod & ita in Dei nomine a die presente & fecimus. donamus & Colonicas V. hoc est in pago Lausannensi in fine Runigorum seu in ipsa villa Runingis. (7) Sig. Gerlandi & uxoris sue Airoane. sig. Eldueno Atvocatus (8) sancte Marie testis. S. Borgone testis. S. Walpertus T. S. Warinus T. Ego Ausbertus rogatus subscripsi. Oderlendus rogatus subscripsi.

Ego in Dei nomine Saturninus (9) Cancellarius ac indignus Presbiter hanc donationem rogatus subscr. Datavi die Martis anno VIII. intrante IX. (10) regni Domino Ruodulfo.

Notae.

(1) *Boso* fuit ab anno DCCCXCII, per XXXV. annos, Episcopus Lausannensis.

(2) *Arambertus* erat Praepositus Capituli Lausannensis.

(3) *Gerlandus*, Comes in Regno Burgundiae trans-juranae.

(4) Anno DCCCCXII. successerat patri suo *Ruodulfo I.* in Regno Burgundiae trans-juranae *Ruodulfus II.*

(5) Hic agitur de *Conrado*, Comite Pariensi, qui obierat Anno DCCCLXXXI. & fuerat pater *Ruodulfi* vel *Rodolfi I.* Regis Burgundiae trans-juranae, & avus *Rodolfi II.*

(6) Scilicet *Rodolfus II. Rex.*

(7) Hodie *Renans*, *Renens*, vel *Rugnens*, pagus proximus Lausannae in praefectura Lausannensi, & Cantone Bernensi, quique cum pago *Preilly* parochiam conflat.

(8) In

(8) In uno legitur apographo: *Avocatus.*

(9) Idem *Saturninus* presbiter, *Cancellarius Regis* Burgundiae, *Ruodulfi*, multa ſubſcripſit illius diplomata in veteri Lauſannenſi inſerta Cartulario.

(10) Succeſſerat anno DCCCCXI. vel DCCCCXII. patri ſuo Rodolfo I. Rodolfus II, qui Rex Italiae proclamatus anno DCCCCXXII, permutavit anno DCCCCXXX. hoc regnum cum parte *Provinciae* (*la Provence*), quam Regno Burgundiae trans-juranae adjunxit, inde primus proprié extitit *Rex Arelatenſis.* Obiit autem anno DCCCCXXXVII. (*Art de verifier les dates pag.* 662. *Paris* 1770. in fol.)

XXII.

Diploma Ruodulphi *Regis Burgundiae datum* Lauſonna Caſtro *die XIV. Maii DCCCCXXII. vel DCCCCXXIII. in gratiam Eccleſiae Lauſannenſis & illius Epiſcopi Boſonis.*

Cartularium Lauſannenſe, Saeculo XIII. tranſcriptum pag. 68. *Apographum autem inter Codices manuſcriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I.* Helveticae Cartae *a Saeculo VII. p.* 356-357. *& T. I.* Monumenta Helvetico-Tugienſia *p.* 1. *&* 2. in fol.

IN NOMINE (1) SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. RUODULPHUS DIVINA ANNUENTE GRATIA SERENISSIMUS REX. Si ſervorum Dei iuſtis petitionibus aurem noſtram accomodavimus. procul dubio ad preſentis vite faſtigium hoc nobis prodeſſe credimus. ad futurum premium potius Nos hoc adiuvare nullo modo dubitamus. jdcirco noverit omnium noſtrorum fidelium ſolercia tam preſentium quam futurorum quod venerabilis vir Boſo (2) videlicet Lauſannenſis Ecleſie ipſe adiit noſtram Celſitudinem. petens autoritatem prediĉte ſue Ecleſie noſtra confirmari autoritate atque corroborari. Quod nos quidem utile cognoſcentes & digne illius petitioni minime tardavimus noſtrum prebere aſſenſum. Proinde voluimus ac firmiſſime decernimus ..... iam prefata Ecleſia vel preſentes ejus Reĉtores vel ad futuri Reĉtores huiusmodi res quas noſtri fideles ipſi Lauſanenſi Ecleſie per inſtrumenta cartarum contulerunt pro animarum ſuarum remedio quiete preſenti ac futuro tempore poſſideat hoc eſt quod bone memorie Rainolſus (3) contulit idem ad Ecleſiam ſanĉti Prothaſii villa cum ſuis omnibus appendiciis. vel quod ipſa Ecleſia de Voldegiſo (4) fideli

noſtro

noſtro in campanias vel gravatis acquiſivit. hoc etiam quod fidelis noſter Manaſſes (5) largitus eſt videlicet Muſtiniacum (6) villam cum ſuis omnibus appendiciis. Hoc etiam quod & Galindus (7) Comes fidelis noſter ibi dedit V. videlicet Manſa in Runingis (8) villa. hec omnia ſicut memoratum habemus & eo modo quod ipſi memorati noſtri fideles ipſas res ad ipſam Ecleſiam Lauſannenſem videlicet contulerunt permaneant & Gubernatores ipſius Ecleſie in percipiendis fruſtum regant & gubernent. atque nullo illis contradicente eternaliter poſſideant. ut autem hec noſtra autoritas inviolabiliter perpetualiter maneat. & in Dei nomine totius firmitatis vigorem obtineat. manu ipſa eam firmavimus. & annuli impreſſione conſignari volumus. Hieroninus notarius ad vicem Waltarii (9) Epiſcopi & Archicancellarii recognovi. Data pridie jdus Maii Chriſto propitio Ruodulfi piiſſimi Regis anno XII. judict. (10) VI. Actum Lauſonna Caſtro (11). in Dei nomine. Amen.

Notae.

(1) In Cartulario Lauſannenſi, decimi tertii Saeculi, fronte hujus Inſtrumenti legitur: *Preceptum quod Rodolphus Rex fecit ſancte Marie de ſancto Prothaſio & Muſtiniaco.*

(2) *Boſo* Epiſcopus Lauſannenſis ab anno 892. usque ad ſuam mortem 927.

(3) Aliud fert apographum: *Ruinolfus contulit idem ad ecleſiam ſancti Prothaſii villa* — Agitur hîc de donatione Eccleſiae hodie *ſaint Prex*, in pago Lauſannenſi vel Vaudi, quam fecerat *Reginoldus* Eccleſiae Lauſannenſi, anno ſexto Imperii Caroli Craſſi, id eſt 886, donatio illa inter inſtrumenta praeſentia jam relata, legitur in veteri Cartulario pag. 66. cum hac inſcriptione: *Donatio quam fecit Reginoldus ſancte Marie de ſancto Prothaſio.*

(4) Retulimus ſub annis 885. & 888. Inſtrumenta de *Vodelgiſo* agentia, cum notis topographicis illius donationem illuſtrantibus, quae praeſenti Cartae poſſunt inſervire.

(5) Retulimus quoque ſub anno 891. donationem Comitis *Manaſſes.*

(6) *Muſtinacum villa* erat ſita *in pago Genovenſe.*

(7) Retulimus ſub anno 920. donationem Comitis Gerlandi.

(8) Hodie *Renens*, *Renans*, vel *Rugnens*, pagus proximus Lauſannae.

(9) *Waltarius*, Gallicé *Vautier*, unus ex Epiſcopis Regni Burgundiae, & ſimul Archicancellarius Regis Rodolfi II.

(10) *Ru-*

(10) *Ruchatus* qui Comitem *Galindum* à Comite *Garlando* diſtinguebat, poſuit ſub anno 899. praeſens diploma, & ſub anno 920. Cartam quâ Comes *Garlandus* vel *Gerlandus* ex ſua uxore Comitiſſa *Airora* donationem fecerant Eccleſiae Lauſannenſi, & idem doctus vir indictionem *ſextam* praeſentis diplomatis inſcripſit *ſecundam* quae ceciderat anno 899. duodecimo anno Regni Rodolfi I. At noſtra mens eſt, *Comitis Garlandi* Cartam quem eundem credimus fuiſſe atque *Galindum*, anno 920. aſſignandam eſſe, & praeſens diploma ſub anno 922. vel 923. Amanuenſis male poſuit indictionem *ſextam* pro *decima* quae currebat anno 922. in quo Rex Rudolfus II. inceperat annum duodecimum ſui regni.

(11) Reges Burgundiae ſaepe reſidebant in Caſtro quod habebant in civitate Lauſanna.

XXIII.

Carta Boſonis Epiſcopi Lauſannenſis die XI. Novembris Anno XIII. regnante Ruodolfo in Burgundia.

Cartularium Lauſannenſe, *Saeculo XIII. tranſcriptum pag.* 42. *Apographum autem inter Codices manuſcriptos Bibliothecae Zur-Laubianae*, *T. I.* Helveticae Cartae *a Saeculo VII. pag.* 347-348. *& T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugienſium, *pag.* 81 - 83. in fol.

Concambium quod fecit Buoſo Epiſcopus Turimberto in Villa Roda.

Item cum in Dei nomine qualiter convenitenter Dominum & venerabilem Comitem Turimbertum & ab alia parte Dominum venerabilem Boſonem Epiſcopum de commutandis terris & decimis quas inter ſe commutare deberent. quod & ita in Dei nomine a die preſente & fecerunt. dedit igitur Turimbertus partibus ſancte Marie Lauſannenſis Eccleſie ſeu ſancti Euſebii ad Butulum (1) vel ad ipſos rectores colonicam unam de ſuo proprio cum caſa ſuprapoſitâ cum exio & regreſſio terra laborativa ad modum XXX. ſeni ad carradas. VIII. Mancipia cum his nominibus Solvardus. Adeltruda. Marburga. Geſſinda. ſimiliter in recompenſatione dedit Dominus Buoſo Epiſcopus, de decimis ſancti Euſebii. partibus Turimberti Comitis ſeu ad ſuam Capellam que eſt poſita in villa que dicitur Roda (2). in ipſa villa dedit dominicatum decimum. & ſic utriſque placuit, atque convenit. ut unuſquiſque quod accepit hoc habeat teneat atque poſſideat. &

ſuis

suis successoribus relinquat. si quis vero quod fieri minime credo. ego ipse aut ullus de heredibus meis aut ulla emissa persona aut oposita persona ullo unquam tempore que contra hanc commutationem quam ego promptissima voluntate fieri rogavi. ne hoc valeat evindicare quod repetit. sed sit culpabilis & impleturus. tum & aliud. tum quantum vel ipse res vel ipsa Mancipia eodem tempore emeliorata valuerint. & has commutationes uno tenore conscripte firme & stabiles permaneant pro omni firmitate subnixa. Signum Turimberti & uxoris sue Avane que hanc commutationem fieri & firmare rogaverunt. Signum Faloradi & uxoris sue (3) Oserilde que (4) consensit. signum Jordani testis. signum Andonis testis. signum Turimberti testis. signum Ansisi testis. signum Alarici testis. signum Waldrasii testis. signum Burgoni testis. Ego in Dei nomine Evo Presbiter hanc commutationem scribsi & subscribsi. Datavi diem Martis III. idibus (5) Novembris Anno XIII. regnante (6) Domino nostro Ruodolfo Rege.

Notae.

(1) *Butulum*, hodie *Bulle* vel *Boll*, oppidum in praefectura Cantonis Friburgensis.

(2) *Roda*, hodie *Rue*, latinè *Rota*, oppidum & praefectura Cantonis Friburgensis prope flumen *Broye*, olim in Comitatu *Valdensi*, *païs de Vaud*.

(3) Aliud apographum habet: *Gerilde*.

(4) In alio apographo legitur: *que consenserunt*.

(5) *Datavi diem Martis III. idibus Novembris*, qui incidebat XI. Novembris, die Martis, anno DCCCCXXIII. quo Paschatos solenne festum die VI. Aprilis celebratum fuerat.

(6) Annus *XIII.* Regnantis Rudolfi *II.* Regis finiente anno 923. currebat. Sed undecima die Novembris eodem anno adhuc numerabatur duodecimus ejus Regiminis annus. Ergo error chronologicus in Cartulario Lausannensi irrepserat.

XXIV.

Diploma Henrici Regis Germaniae datum in civitate Wormatia die III. Novembris DCCCCXXVI. in gratiam Waldonis Episcopi Curiensis, presente Rege Burgundiae Ruodulfo.

Autographum pergamenum in scriniis Episcopalis Ecclesiae Curiae. Apographum autem inter miscellanea Historica Aegidii Tschudii, & tertio Tomo Monumentorum Helvetico-Tugiensium p. 74. in Bibliotheca Zur-Lauhiana.

In

In nomine sanctae & individuae Trinitatis Heinricus divina favente clementia Rex. Noverit omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet & futurorum sollertia, qualiter nos ob amorem Dei & S. Mariae & petitione fidelium nostrorum videlicet Herigeri (1) Archiepiscopi, Adaluuardi (2) Episcopi & Riuuini (3) Episcopi & aliorum fidelium nostrorum, cuidam venerabili Episcopo Vualdoni (4) Curiensis Ecclesiae quendam locum proprietatis nostrae donamus in proprietatem, nomine Luminnis (5) in pago Curiensi, in comitatu Vdalrici (6) Comitis, cum rebus universis eidem ipso loco succedentibus in casis vel curtilibus, campis, agris, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis viis & inviis, exitibus & reditibus, mobilibus & immobilibus & cum omni censu ad eundem locum pertinentem, eidem Episcopo Vualdoni in proprietatem concessimus, ea videlicet ratione, ut dum ipse vixerit potestativè possideat, & post suum discessum equaliter dividatur inter duo monasteria hoc est Cacias (7) & jmapitines (8), quae constructa sunt in honore S. Petri Principis Apostolorum. Jussimus quoque nostrae auctoritatis praeceptum inde conscribi, quatenus praenominatus Episcopus Vualdo de supradictis rebus deinceps habeat potestatem dum vivit quodcumque illi libuerit exinde faciendi. & ut hoc nostrae auctoritatis praeceptum firmius teneatur ac melius veriusque credatur ab omnibus, subtus manu nostra illud firmavimus atque anuli nostri inpressione consignari mandavimus.

Signum Domini Heinrici (9) piissimi Regis.

Simon (10) Cancellarius ad vicem Herigeri Archi Episcopi recognovi.

Data III. Non. Novemb. Anno jncarnat. DCCCCXXVI. judict. (11) XIV. anno VI. (12) Domni Heinrici serenissimi Regis. actum in civitate Vuormatia. (13) praesente Domno Rege Ruodulfo (14). in Dei nomine feliciter amen.

Notae.

Hanc cartam excerpsit Clarissimus & Eruditissimus Dominus Canonicus *de Grandidier* in sua Historia Ecclesiae & Episcoporum Argentinensium, opere immortalis memoriae, neque satis laudando, Tomo secundo pag. 305-306. & eam datam fuisse die XI. Novembris 926. asseruit, quo anno Rex Germaniae Henricus convocaverat Principes Imperii Wormatiae, circa finem illius anni, ut testatur *Schannatus*, Hist. Episc. Wormat. Part. I. p. 323.

(1) *Herigerus* Archiepiscopus Moguntinus.

(2) Sanctus *Adalwardus* Episcopus Verdensis.

(3) *Riwinus* Episcopus Argentinensis.

(4) *Waldo* Episcopus Curiensis pluribus documentis celebris.

(5) *Luminnis in pago Curiensi*, hodie secundùm *Tschudium*, *Allmens* vel *Almaentz in Tumlesch*, qui pagus in Rhetia Curiensi, sive Ligâ Cathedrali jacet. Olim dicebatur latinè *Almenum*, *Luminnis*, vel *Lumins*.

(6) *Udalricus* Comes Rhetiae Curiensis, e stemmate Comitum de Lenzburg.

(7) *Monasterium Cacias*, aliàs *Cacium*, vulgariter *Caz*, *Cazis*, *Kazis* vel *Kazes*, olim pro Canonissis Saeculo medio VIII. fundatum a Pascali Episcopo Curiensi ad honorem sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, hodie Parthenon sub Regula sancti Augustini, in districtu Rhetiae dicto *Tomlesch*, in jurisdictione superiori *Thusis*, & in *Liga Grisea*. Vide *Leonis* Helveticum Helvetiae Lexicon, T. XI. pag. 55. & seq.

(8) *Monasterium jmapitines*, quod significat *imum pedis montis* & quod *Tschudius* conjiciebat fuisse *Churwalden*, aliàs *Monasterium Corvantiense*. Sed hanc opinionem multa impugnant.

(9) Monogramma Heinrici Regis hîc signatum videtur.

(10) *Simon Cancellarius ad vicem Herigeri Archiepiscopi Moguntinensis* occurrit in diplomatibus Heinrici I. Regis Germaniae.

(11) & (12) Die III. Novembris DCCCCXXVI. Indictio XIV. currebat, anno sexto Regni Henrici dicti *Aucupis*, qui electus fuerat anno DCCCCXIX, verno circiter tempore, ut ex ejus diplomatibus colligitur, de quibus sic judicat Eruditissimus Benedictinus, Dominus *Clement*, Auctor eximii operis, *l'Art de verifier les dates*, pag. 437. *Nous remarquerons que dans ses diplomes, quelquefois l'annee courante de son regne, & celle où il a commence à regner, n'entrent point en ligne de compte, c'est-à-dire, qu'on n'y fait état que des années completes; mais quelquefois aussi les années completes & incompletes y sont également admises.*

(13) *Vuormatia*, scilicet Episcopalis civitas *Worms* ad Rhenum.

(14) Rodolfus II. Rex Burgundiae trans-juranae fuerat coronatus Rex Italiae finiente anno 922, & hoc regnum servavit per tres annos & aliquot menses. At anno 926, conjuratione patefacta, illud deseruit & in Burgundiam rediit.

XXV.

XXV.

Bosonis Episcopi Lausannensis in gratiam Airfredi Diaconi propter villare Bitusiaco Concessio, quarta die Maii DCCCCXXVII. vel DCCCCXXVIII. Regnante Ruodulfo secundo in Burgundia.

Cartularium Lausannense, Saeculo XIII. transcriptum, pag. 20. *Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I.* Cartae Helveticae *a Saeculo septimo, pag.* 82-83. *& 342-343. & T. VII.* Monumenta Helvetico-Tugiensia, *p.* 72-73. in fol.

Si quis Christianorum fidelis accensus igne divini amoris Ecclesiam in rebus propriis edificare voluerit. Primum à proprio Episcopo consilium & licentiam expostulet velut institutio docet Ecclesiastica quatenus ejus consultu & auxilio sic futura edificetur Ecclesia. ut jugiter & laudabiliter in ipsa Domini & Sanctorum ejus peragatur (1) cultura. Denique Ego Boso (2) umilis Episcopus qui presum Ecclesie Lausanensi Sancte Dei genitricis Marie. Notum volo esse omnibus presentibus & futuris sancte Dei Ecclesie fidelibus. qualiter Airfredus diaconus petiit nos ut capellam que erat a nobis dedicata quibusdam decimis fulciremus. quod nos libenter audivimus. & juxta consilium Nostri Archidiaconatus sive Prepositi & Canonicis S. Marie & virorum Nobilium qui erant vicini. preces & votum illius adimplevimus. Concedimus itaque decimam ad prelibatam capellam que constructa est in honorem sancti Petri ut decimas quod ad villare Bitusiaco (3) adspicit ibi concedimus. excepto de terra sancto Paulo. habemus ut in prefata Ecclesia officium Christi omni tempore perficiatur & sacerdos qui ibi preerit tempore instituto in festivitate sancti Petri omni anno pro ipso decimo ad fratres persolvat. tritice Modium I. vinum (4) sex. frescengas (5) berbicinas II. & si in uno Anno negligens de ipso censo aparuerit. in alio anno in duplo componat. jdeo autem ut ab hominibus hec nostra auctoritas verius credatur & religiosius habeatur. propria manu firmavimus. una cum fratribus Nostris firmare jussimus. Ego Boso Misericordia Domini humilis Episcopus hanc auctoritatem consensi & suscripsi. Hieronimus presbiter subscr. Teudericus presbiter. Magnerius presbiter. Willihelmus presbiter. Beroldus subdiaconus. Possessor presb Aimo presb. Evo. Gamalbertus. Bernardus presbiteri. Drogo subdiac. Item Johannes levita. Sicardus

cardus levita. Samson presbiter. Lantbertus presb. Ego in Dei nomine Saturninus ac si indignus Presbiter sive Cancellarius hanc auctoritatem eo Ecclesie rogitus scripsi. datavi die Dominica IIII. (6) Nonis Maij Anno XVIII. Regnante (7) Domino nostro Ruodulfo Rege feliciter. Amen.

Notae.

(1) In uno legitur apographo. *celebretur.*

(2) Boso Episcopus Lausannensis ab anno 892 rexit per 35 annos, cui successit anno 927 Libo. Ita testatur vetus cartularium Lausannense.

(3) *Villare Bitusiaco*, illius loci hodiernum nomen ignoramus, situs erat, ut apparet, in proximitate Lausannae.

(4) Legebat *Ruchatus*, *unum* sextarium vini.

(5) *Frescengas berbicinas*, vide Cangii Glossarium infimae Latinitatis voce *frescenga* vel *friscinga.* *Frisching* vox est Teutonica & significat *agnum*, ubi jungitur voci *Berbix*, unde vox Gallica *Brebis.*

(6) *Die dominica IIII. Nonis Maii*, id est 4 Maii, qui anno 906 & 926 erat dies dominica. (Vide *l'Art de verifier les dates par les Benedictins de France.*)

(7) Eruditus *Ruchat* probavit e Documentis & Chronicis veteribus Episcoporum Lausannensium, Regem Burgundiae Rodulphum primum obiisse die dominica XIII. Kal. Novembris DCCCXI. cui successit suus filius *Rodulphus II.* de quo praesens carta & cujus regni annus XVIII. incoeperat XIII. Kal. Novembris DCCCCXXXVII. Boso autem Episcopus Lausannensis Solodori sacratus 2. Non Decembris DCCCXCII rexit per XXXV. annos. Obiisse igitur videtur anno DCCCCXXVII. quo mense, incertum. Praesens autem Instrumentum Bosonis Episcopi *Ruchatus* adscribebat anno DCCCCV. vel DCCCCVI. Ecce ejus verba: *vel legendum hic III. Non. Maii vel illic XVIIII. qui anno* 905. *Rudolfi primi Regis XVIII. Dies dominica incidebat eodem anno in III. Non. Maii.* Idem Eruditus *Ruchat* praesentem cartam adscribebat anno DCCCCV. vel DCCCCVI. Ecce ejus verba: *vel legendum hic III. Non. Maii vel illic XVIIII. qui anno* 905. *Rudolfi primi Regis XVIII. dies dominica incidebat eodem anno in III. Non. Maii.* Jam observavimus *diem dominicam IV. Nonis Maii*, id est 4. *Maii*, anno 906. fuisse diem dominicam, & hoc anno *Rudolfus I.* creatus mense Januario 888. Rex Burgundiae, XVI, non autem XVIII. annum regiminis numerabat, idcirca Instrumentum quod iisdem mense & die asseritur, anno XVIII. Regis *Rudolfi*, potius

tius adscribendum est anno 928. quo occurrebat *dies dominica IV. Non. Maii.* Atqui *Rudolfus* secundus Patri suo *Rudolfo* XIII. Cal. Novembris 911. successerat uti docet idem *Ruchatus* e *Chronico brevi veteris Cartularii Lausannensis.* Quarto igitur die Maii 928. currebat annus XVIII. illius regiminis. At cum Boso Episcopus Lausannensis de quo praesens carta, jam obiisset anno 927. (quo mense incertum), conjectandum est vel irrepsisse errorem chronologicum in illo Instrumento, quoad annos Regni Rudolfi; vel Bosonis cartam post hujus Episcopi cartam a Cancellaria Regis Rudolfi fuisse confirmatam.

XXVI.

Carta Lausannensis Ecclesiae die 5. Martii 928. anno XVII. regnante Rege Ruodolfo filio Ruodolfi Regis in Burgundia transjurana.

Cartularium Lausannense, Saeculo XIII. scriptum pag. 50. *Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, & T. I.* Helveticarum Cartarum a Saeculo septimo, *pag.* 348 in. folio. *& Tomo VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *pag.* 84-85.

Dilecto atque Amabile Vitale presbitero. Nos Dei in nomine Emmo presbiter. Beroldus sacrista. Aimo lector. Jeronimo presbitero. Desiderio levita. ceterique fratres ubi presente tempore sancte Dei Ecclesie die noctuque servientes. dum non est incognitum quod res tuas que sunt sitas in pago Lausannensi in fine Runigorum (1) in villare Masiriaco (2) — & alias res que sunt sitas in pago Valdense (3) in fine Braniacense (4) in villare Donaciaco (5) — Die Mercurii (6) IIII. Nonas Martii anno XVII. regnante Domino Rege nostro Ruodolfo filio Ruodolfi Regis.

Notae.

(1) *In fine Runigorum*, hodie pagus *Renens*, *Renans* vel *Rugnens*, prope Lausannam, in Lausannensi Praefectura, & ditione Reipublicae Bernensis.

(2) *In villare Masiriaco*, hodie *Mezeri* pagus qui cum pagis *Renans* & *Joulan*, in parochia *Prilliez* vel *Prelly* prope Lausannam situs est.

(3) In alio legitur apographo: *in pago Waldense*, hodie *le païs de Vaud*, in ditione Bernensium.

(4) *In*

(4) *In fine Branciacenne*, sic legitur in alio apographo: hodie *Braina*, *Bran*, *Villars-Bran*, pagus in Baronia *Blonai*, Praefecturâ *Vevay* & ditione Reipublicae Bernensis.

(5) *In villare Donaciaco;* aliud apographum fert: *in villa Donaciaco*. nomen hodiernum nos latet.

(6) Legendum puto *III. Non. Martii*, idem 5. Martii, quia anno 928. quo annus XVII. Regni Ruodolfi *secundi* currebat, inceptus Novembri 927, dabatur *dies Mercurii III. Martii; Ruodolpho I.* patri suo successerat mense Novembri 911.

XXVII.

Diploma datum Franconovurt *die nona Aprilis DCCCCXXX. quo* Heinricus I. *Rex Germaniae concessit vicum* Sindes, *hodie* Sins, in valle Eniatina, *Ecclesiae sancti Florini sitae* in vico Remusciae, *bodie* Remus.

Autographum pergamenum in Scriniis Episcopalibus Curiae Rhaetorum. Apographum autem ab Ægidio Tschudio transcriptum, saeculo XVI; inter illius miscellanea Helveticae Historiae. *Legitur quoque l. III.* monumentorum Helvetico-Tugiensium *pag.* 78. *in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

In Nomine sanctae & jndividuae Trinitatis, Heinricus Divina favente Clementia Rex. Noverint omnes fideles nostri praesentes scilicet & futuri. quia nos interventu venerabilis ac dilecti Comitis nostri Arnolfi (1) quandam Ecclesiam juris nostri in valle Eniatina (2) in Comitatu Bertholdi (3) Comitis nostri in vico Sindes (4) vocato cum decimis & cum omnibus pertinenciis suis pro amore Dei & aeterna remuneratione ad sanctum (5) Florinum cujus corpus in vico Remusciae (6) requiescit juri perhenni in proprietatem donavimus ipsam quoque Ecclesiam sancti Florini cum jam supra scripta Ecclesia cuidam Proespitero nomine Hartperto quam Reginuuardus quidam Proespiter jam pridem cum regali praecepto insedit ipsique Nepoti suo reliquit. Nos iterum perenniter possidendam confirmavimus cum omnibus pertinenciis suis, cum cursibus & curtilibus, aedificiis, mancipiis, agris, pratis, pascuis, vineis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, molinis, alpibus, cultis & incultis, exitibus & regressibus, quaesitis & inquirendis cum fisco de ipsa valle & cum universis ad ipsum pertinentibus loca. jussimus quoque hoc nostrae

ftrae auctoritatis Praeceptum inde confcribi per quod volumus firmiterque jubemus quatenus praefatus proespiter Hartpertus de fupra fcriptis noftrae largitionis Ecclefiis & locis liberam atque fecuram teneat poteftatem habendi donandi vendendi feu quicquid fibi libuerit faciendi. & ut haec auctoritas noftra ftabilis permaneat, manu noftra fubtus eam firmavimus & annulo noftro infigniri praecepimus.

Signum Domini Heinrici (7) fereniffimi Regis.

Simon (8) Notarius ad vicem Hiltiberti Archi Capellani recognovit.

Data V. jdus april. Anno Incarnationis Dominicae DCCCCXXX. judict (9) III. Regnante Heinrico gloriofo Rege anno (10) X. actum Franconovurt feliciter in Dei Nomine Amen.

Notae.

(1) Ignoramus quali fatus fuerit ftemmate Comes *Arnolfus*, de quo praefens Carta.

(2) *Vallis Eniatina*, Italicè *Engadina* vel *Enjatina*, Gallicè *L'Engadine*, diftrictus in *Liga Cathedrali Curienfi Rhetiae* appellatur linguâ Romanâ aliàs *Romanche*, *En Co d'Oen* ad defignandum illius fitum capite fluvii *Oeni*, Germanicè *Inn*, & linguâ vulgari Regionis *Oen* vel *Oeno*. Ifte diftrictus fexdecem leucas longitudinis habet, & dividitur in duas partes, fuperiorem & inferiorem Engadinam.

(3) Comes Engadinae erat *Bertholdus*,, & Valdonis Epifcopi Curienfis confanguineus, ut teftatur Fortunatus *Sprecher* (*Palladis Rheticae lib. III. pag.* 105-106. *Lugduni Batav.* 1633. *in 24to cum fig.*) *Tſchudius* autem fufpicabatur Bertholdum fuiffe Comitem Palatinum in Bavaria, & fratrem Arnolfi, Ducis Bavariae, cui fucceffit anno 937. in illo Ducatu, & Bertholdi mortem fub anno 947. referebat.

(4) *In vico Sindes*, hodie *Sins* vel *Sent*; olim latinè dicebatur *Sentum*, eft numerofus pagus cum parochia *Religionis reformatae*, magnâ diftat leucâ fupra *Schuls*, ad finiftram fupra montem. Situs eft prope vicum *Remufii*. Communitas *Sins* jacet in fuperiori Jurisdictione inferioris Engadinae infra vallem *Tasna*, in *Liga Cathedrali Retiae*, vide *Leonis* Hiftoricum Helvetiae Lexicon l. XII. p. 187.

(5) *San-*

(5) *Sanctus Florinus*, Sacerdos Ecclesiae sancti Petri in vico *Remus*, & Ligâ Cathedrali Curiensi Retiae. Celebratur Patronus Diocesis Curiensis. Illum vixisse ferunt sexto vel septimo saeculo. Etenim Walafridus (*) Strabus scripsit in vita sancti Otmari, primi Abbatis sancti Galli, anno 720. & mortui anno 758. hunc Sanctum, cum adhuc esset Presbiter, fuisse a Victore Comite Retiae Curiensis praepositum curae Ecclesiae *sancto Florino Confessori* dicatae, quaeque sine dubio erat Ecclesia *Remus* vel *Eremusii* ubi sepultus fuerat sanctus Florinus. De sancto Florino legi possunt Henricus *Murer*, (*Helvetia sancta p.* 179.), Caspar *Lang*, (*Hist. Ecclesf. Helvetiae l. I. p.* 673.), &c. Bucelinus (**) vero notavit anachronismum *Mureri* qui sub anno 856. obitum sancti Florini ponebat.

(*) Cap. I. p. 177. l. I. parte II. Scriptor. Rer. Alaman. apud Goldastum, Françofurti 1661, in fol.

(**) *Rhaetia Sacra & Profana.* p. 150.

(6) Aliàs latinè *Eremusium*, hodie *Remus*, & linguâ vulgari, *Ramunsch* seu *Remosch*, pagus & jurisdictio ad fines *Ligae Cathedralis*, non procul Comitatu Tirolis. Hic pagus situs est ad sinistrum latus fluvii Oeni, ibi cernitur *Ecclesia sancti Florini*, olim celebris ante reformatum cultum peregrinationibus fidelium ad tumulum illius Confessoris. Vide *Leonis* Hist. Helvet. Lexicon l. XV. p. 161. - 162.

(7) Monogramma Regis Germaniae, Henrici I., hìc videtur inter *Heinrici* & *serenissimi Regis*.

(8) *Hiltibertus Archicapellanus* vel *Archicancellarius* erat Archiepiscopus Moguntinensis.

(9) Indictio III. currebat nonâ die Aprilis 930.

(10) Est hìc error Amanuensis. Legendum est *anno XI.*, vel *XII.* Legebat *Tschudius Regni XI.* (*Gallia Comata* p. 236.) Etenim Henricus I. cognomento *Auceps* fuerat Frizlariae electus Rex Germaniae ineunte anno 919. Porro autem observandum est, in diplomatibus illius Regis, nonnunquam annum currentem illius Regni, & illum in quo coeperat regnare, non inductos esse in rationes, id est solos annos plenos fuisse numeratos. Attamen anni & pleni & incompleti in illis diplomatibus aequaliter sunt aliquando admissi. (Vide *l'Art de verifier les dates* p. 437. *derniere edition.*)

XXVIII.

XXVIII.

Donatio Conradi Regis Burgundiae, Ecclesiae Paterniaci facta, consensientibus sua matre Berta, suo fratre Rudolpho & sua sorore Alaide; data Lausanna civitate die 8. Aprilis 967.

Autographum pergamenum in Scriniis inclitae Reipublicae Bernensis. Apographum autem a Notario de Toniniaio *expeditum; aliud apographum è* Ruchati *diplomaticis collectionibus desumptum, adest Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana*, *Tomo primo* Helveticarum Cartarum a Saeculo septimo, *p.* 105-108. *&* 517-518. *& Tomo primo Cartarum Burgundiae*, *Sabaudiae & Helvetiae p.* 177-178. in fol.

IN (1) NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. Chuonradus (2) divina numinis largitione piissimus Rex. Mos regalis celsitudinis est, omnibus sanctis subvenire, ac in cunctis bonis operibus perfectis (3) stare. Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum presentium ac futurorum atque omnium Christianorum industria. qualiter nos una cum matre nostra Berta (4) ac fratre nostro Rodulfo (5) inspirante pietate divina & pro remedio animarum nostrarum ac parentum nostrorum donavimus Ecclesiae sanctae Mariae paterniaci (6). nostrum Allodem (7) & carras, ut ibidem Deo famulantes subsidium haberent, Deo inspirante inter caetera impegimus in quandam cellulam huic sacro ordini aptissimam Balmo (8) nuncupatam. Hanc cum duabus silvulis quae super ejus rupem (9) eminent, una quarum frugifera, altera glandifera. Decimam etiam trium (10) vitium, unius vitis in qua ipsa sita est, caeterarum vocabula una Buoch (11) nominatur, altera Chempiniaco (12), atque aquae cursum quae ante portas ejus currit, cujus nomen Bibruna (13) a supradicto loco Chempiniaco usque in introitu Muratensis (14) laci. Haec omnia cum caeteris dotaliciis quae circumquaque adjacent. per interventum prelibatae nostrae matris ac fratris nostri Rodulphi & sororis nostre Alaidis (15) & per nostri proecepti paginam secundum nostrum morem regalem corroboraremus (16). quod & fecimus. volumus namque ac firmiter per hoc nostrum praeceptum decernimus. ut sicut praefate carte commemorant. denique & hoc quod noster (17) avus acquisivit in pago Wisliacensi (18) in loco qui dicitur Curte (19), simul cum fratre (20) nostro Rodulfo supra dictis rebus adjungimus. ac insuper monetam cum mercato prae-

fati

fati loci Deo favente haec omnia ficut fupra fcripta funt concedimus Domino Deo & ejus Genitrici, habitatoribus que etiam fupra memorati (21) loci. five Maiolo (22) Abbati — haec & caetera quae in praedictis cartis inferta effe videntur, de noftro iure haereditario in illorum jus & dominationem folemni more transferimus, ut habeant, teneant, firmiterque poffideant absque alicujus contradictione Regis aut Imperatoris feu Principis. ut autem hoc noftrum praeceptum ab omnibus obfervetur. & a nemine unquam violetur, manu noftra firmavimus ac de figillo noftro fubtus configuare (23) iuffimus.

Signum Domini (24) Chvonradi piiffimi Regis.

...... ricus (25) Not. ad vicem Keroweli Epifcopi recognovi. Data VI. jdus aprilis anno ab incarnatione Domini noftri JESU Chrifti DCCCCLXII. (26) Anno regnante Domino (27) noftro Chuonrado Rege XXIIII. Laufanna civitate feliciter. Amen.

Notae.

(1) Samuel *Guichenon* hanc cartam retulit cum multis erroribus in fua *Bibliotheca Sebufiana* pag. 395 - 397. Lugduni 1660. *in 4to.* Sequemur pro majori parte Clariffimum & Eruditiffimum Dominum *de Rivaz*, qui veram epocham hujus inftrumenti primus tradidit.

(2) In Bernenfi apographo legitur: *Cunradus Divino munere largiente potentiffimus Rex.* Ruchatus legebat; *Chuonradus Divino munere largiente piiffimus Rex.*

(3) In alio apographo legitur: *perfecto.*

(4) Scilicet *Bertha* filia Burcardi Ducis Suevlae, Regina Burgundiae Trans- & Cis-juranae, quae Monafterium Paterniacenfe (*Payerne*) in Diocefi Laufannenfi fundaverat. *Ruchatus* legebat: *una cum matre noftra Bertha ac fratre noftro Ruodulpho.*

(5) Titulum *Ducis* in carta fundationis Monafterii Paterniacenfis geffit Conradi Regis frater *Rodolphus*, qui varias poffeffiones tenebat in Burgundia Transjurana & Alfatia, ficuti docent plures cartae annorum 974, 997, 1024, & 1027. à clariffimo *Schoepflino l. I. Alfatiae diplomaticae* relatae, quae cartae etiam teftantur donationem ab eodem Duce Rodolpho Ecclefiae Paterniacenfi factam.

(6) Apographum Bernenfe fert: *Ecclefiae fanctae Mariae Paterniacenfis.* Similiter legebat *Ruchatus.*

(7) Idem *Ruchat* legebat: *noftrum alodeum per chartas* (vel *cartas.*)

(8) Gui-

(8) *Guichenon* legebat *Bailliuo nuncupatam*, sed vera lectio est, *Balmo nuncupatam.* Etenim agitur illic de Cellula *Balm.* Datur pagus cum parochia hujus nominis in praefectura *Laupen*, ditione Reipublicae Bernensis, ad dexteram viae Muratum tendentis. Illa parochia continet pagos *Biberach, Rizenbach, Hasel, Vogelbach, Gamman, Buchseln*, &c. eadem parochia etiam nominatur *inferius-Balm*, Germanicè *Nider-Balm*, ad eam distinguendam à superiori *Balm*, *Ober-Balm*, qui pagus jacet in parochia *Mesen*, praefecturâ autem *Buchenberg*, in Cantone Solodorensi. At *Ruchatus*, (*Histoire Ecclesiastique du païs de Vaud.* p. 5.), opinatur cellam *de Balmo*, quam Rex Conradus monasterio Paterniacensi donavit, fuisse *Baulme* vel *Baume*, pagum & parochiam ad radices montis Jurassi in praefectura *Yverdon*, ditione Bernensium. Mentio illius cellae agitur in veterrimis Ecclesiae Lausannensis cartis. Prioratus *Beaulme*, pendens a monasterio Paterniacensi, fuit foeculo addictus anno 1536. vide Amplissimi D. *Leu* Historicum Helvetiae Lexicon.

(9) Apographum Bernense portat: *quae super ejus rupem imminent, una quarum fagifera, altera glandifera;* similiter legebat *Ruchatus.*

(10) *Guichenon* correptè legebat: *decimam etiam unius vici in qua sita est caeterorum morabula, una Brioch nominatur, altera Chempiniaco, atque cursum aquae, quae ante portas ejus currit, cujus nomen Bibiuna, à supra dicto Chempiniaco, usque in introitu Muratensis laci.*

(11) Legebat Ruchatus *Buoch*, Guichenon verò *Brioch.*

(12) Hodie *Gempenach*, pagus in Praefectura *Muratensi*, (*Morat*,) propè *Buchseln* vel *Buchillon* (antiquitùs *Buoch*,) in parochia *Nider-Balm.*

(13) Agitur hìc de fluviolo *Biberen* qui oritur in parochia *Gurmels*, veteri territorio Civitatis Friburgi, praeterfluit pagum *Libisdorf*, irrorat communitatem *Kersetz* & ingreditur lacum Muratensem. Jacet quoque supra hunc fluviolum pagus *Biberach*, vel *Biberen*, in parochia *Nider-Balm*, praefecturâ autem *Laupen* & ditione Bernensium.

(14) *Lac de Morat*, Germanicè *Murter-See.*

(15) *Ruchatus* legebat, *Adeleide*, apographum Bernense fert: *Adelaidae. Guichenon* legit, *Aleidis.* Rex Germaniae Otto I. nupserat Paviae anno 951. in festis Natalis Domini cum *Adelaida*, sorore Conradi Regis Burgundiae & vidua Lotharii III. Regis Italiae.

 (16) *Guiche-*

(16) *Guichenon* legebat *corroboramus, quod & fecimus.*

(17) *Rodolfus I.* Rex Burgundiae Trans-juranae ab anno 888. usque ad fuam mortem 911.

(18) *Vulliés*, Germanicè *Wiftelach* vel *Wiftellach*, vel *Miftelath*, parva peninfula & vitifer mons inter lacus *Muratenfem* (Morat) & Neo-Caftrenfem, (*Neuchâtel*), & fluviolum *la Broye* & magnum ftagnum dictum *Moos*, in praefectura Aventici, *Avenche*, ditione Bernenfium.

(19) Gallicè *Court*, jacet oppidulum *Grand-Cour* cum titulo Baroniae, in Bernenfi praefectura *Avenche*, ad latus meridionales lacus Neo-Caftrenfis, & in proximitate peninfulae *Vulliés.*

(20) *Ruchat* legebat, *& fimul cum fratre noftro Ruodolpho fimul fupradictis rebus adjungimus.* Omifit *Guichenon*, repetitum *fimul.*

(21) *Ruchatus* legebat, *fupra commemorati loci.*

(22) Sanctus *Maiolus*, quartus Abbas Cluniacenfis, annis 948. vel 949. cum Aimardo, & poft hujus obitum folus anno 966, mortuus eft undecimâ die Maii 994.

(23) *Ruchatus* legebat: *confignari juffimus.*

(24) Apographum Bernenfe continet poft figuratum monogramma, CHONRADI POTENTISSIMI REGIS. *Guichenon* omifit *Monogramma* & *SIGNUM DOMINI CHUONRADI PIISSIMI REGIS.* Hîc fecuti fumus *Ruchatum.*

(25) *Guichenon* retulit in fua *Bibliotheca Sebufiana* p. 239-240. notitiam Conradi Burgundiae Regis, pro Ecclefia Cluniaci, datam *anno VI. regnante Domino Conrado*, id eft anno 943. vel 944. Legitur ad finem illius Cartae: *Ego Henricus Notarius hoc judicium fcripfi;* praefens Carta noftra ait: *...ricus Not. ad vicem Kerrovehi Epifcopi.* Guichenon autem & Rivafius omiferunt hanc fubfcriptionem, fed eam non omifit Ruchatus. Epifcopi, qui Cancellarius erat Regis Burgundiae, nomen videtur hîc effe corruptum. Forfan in Autographo legitur, *Keroldi* vel *Geroldi.*

(26) *DCCCCLXII.* Sic apprimè legebat *Rivafius*, peffimè autem Guichenon *DCCCXXXII*, & *Ruchatus DCCCCXXXVII.* Nullam verò epocham dat apographum Bernenfe.

(27) Ecce verba Clariffimi *de Rivaz*, ex idiomate Gallico ad illius cartae calcem: *Excerpferat* illud inftrumentum Guichenonius e codice manufcripto Taurinenfis tabularii, cum epocha 932, anno XXIV. regni Conradi. Sed ille Hifto-

Historicus non attendebat, si haec epocha fuerit vera, necesse fuisse ut idem Rex dedisset possessiones monasterio Paterniacensi, triginta annis ante hujus fundationem, & quinque annis ante mortem Rodolfi II. Regis ipsius patris. Autographum autem praesentis diplomatis adhuc servatur in Tabulario inclitae Reipublicae Bernensis, & haec donatio fuit expedita Lausannae eodem tempore quo Regina Berta dotaverat Paterniacense monasterium.

Ergo secundùm mentem *Rivasii* annus XXIV. regni Conradi, notatus in instrumento anni DCCCCLXII, sumendus est ab epocha DCCCCXXXIX. vel DCCCCXL: qua ille Rex, liber a tutela Ottonis Regis Germaniae, in suum remissus fuit regnum.

XXIX.

Diploma Ottonis I. Imperatoris datum die 8 Julii DCCCCLXVII. in gratiam Victoris Archipresbiteri Ecclesiae Curiensis.

Autographum pergamenum in Scriniis Celsissimi Principis Episcopi Curiensis. Apographum autem inter excerpta Historica Ægidii Tschudii & T. III. monumentorum Helvetico-Tugiensium *pag.* 86. *Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

In Nomine sanctae & jndividuae Trinitatis. Otto Divina favente clementia jmperator Augustus. Si fidelium nostrorum petitionibus aures serenitatis nostrae inclinaverimus devotiores eos ad famulatum nostrum non est nos efficere ambiguum. quapropter noverit omnium sanctae Dei Ecclesiae fideliumque nostrorum praesentium scilicet & futurorum universitas. qualiter interventu & consultu Adelheidae nostrae dilectissimae conjugis & imperii nostri consortis prout .... Largimur Victori fideli nostro & sanctae Curiensis Ecclesiae Archipresbitero pro immensa fidelitate & servitio quod semper circa nos exhibere non desistit quandam terram quae dicitur Mortuorum & sine haeredibus hactenus regni nostri pertinentem & conjacentem in Comitatu Rhetiae in Vallibus Venustae (1) & jgnadinae (2) & de nostro jure & Dominio in ejus jus & Dominium transfundimus & delegamus una cum terris, campis, vineis, pratis, pascuis, sylvis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, salectis, molendinis, montibus, vallibus, planiciebus, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus cum omnibus eorum pertinentiis adquisitis & adquirendis, ut habeat, teneat firmiter, in per-

 pétuum-

petuumque possideat ipse suique haeredes, habeantque potestatem tenendi, donandi, vendendi, commutandi, alienandi, seu pro anima judicandi & quicquid eorum accreuerit animus faciendi omnium hominum contradictione remota. Si quis autem hujus nostri praecepti donationis seu concessionis frangere tentaverit, atque violare inferre praesumpserit, sciat se compositurum auri optimi libras sexaginta, medietatem Camerae nostrae, & medietatem praefato Victori Archipresbitero suisque heredibus. quod ut verius credatur & firmius obseruetur. manu propria subter firmantes & annulo nostro in calce jussimus sigillari.

Signum Dñi Ottonis (3) serenissimi Jmperatoris.

Ambrosius Cancellarius ad vicem Rodberti (4) Episcopi & Archicancellarii recognovi.

Data VIII jd. julii. anno Dominicae jncarnationis DCCCCLXVII. jmperii vero Dñi Ottonis piissimi Caesaris VI. jndictione (5) X. actum in Comitatu Lucense (6) in villa quae vocatur Marila. jn Dei Nomine feliciter. Amen.

Notae.

(1) *Vallis Venusta*, Italicè *Vennosta*, & Germanicè *Vinstgeu*, in qua oritur fluvius *Athesis*, olim pertinebat Comitatui Rhaetiae, sedes Vennonum, de quibus Romani scriptores, finitima vallis Engadinae.

(2) *Vallis Ignadina*, aliàs *Engadina*, *Enjatina*, superior & inferior, in qua *Oenus* fluvius oritur, est magna pars Ligae Cathedralis Curiensis in Rhaetia; vide *Leu* Hist. Helvetiae Lexicon l. VI. p. 328. & seq.

(3) Hic interjacet solitum monogramma Imperatoris Ottonis.

(4) *Rodbertus* Archicancellarius erat Archiepiscopus Moguntinus.

(5) Die 8. Julii 967. currebat Indictio decima, & Otto I. *Magnus* sextum Imperii sui annum numerabat.

(6) Anno 966. tempore autumni tertiam suam expeditionem in Italiam, Otto *Magnus* adortus est, & per Raetos Curienses in Longobardiam descendit. Natalitia Romae peregit & sequenti anno 967. ineunte interfuit Concilio in urbe habito; totum hunc annum consumpsit in Italia. Comitatus Lucensis ubi jacebat *Marila* est hodiernum territorium Reipublicae Lucensis.

XXX.

XXX.

Carta Eginolfi Episcopi Lausannensis qua Capitulo suo donat villam Chiwrusie, die Mercurii 25. Octobris DCCCCLXXI. regnante Chuonrado *Rege in Burgundia.*

Certularium Lausannense, Saeculo XIII. transcriptum pag. 28. Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I. Helveticae Cartae *a Saeculo septimo pag.* 84-86. & 344., *T. VII.* monumenta Helvetico-Tugiensia *p.* 77. in folio.

Dum hujus mundi finem, simulque etiam & terminum nostrum advenire non dubitamus, unicuique homini oportet, ut de terrenis ac transitoriis rebus acquirere fatagat, quae ei in perpetuum placere possint. Igitur in Dei nomine, ego Eginolfus (1) humilis Episcopus & Advocatus meus Saleco, pro remedio animae meae, & aeterna retributione sumsit mihi bona voluntas, ut aliquid de rebus meis, quas mihi Recco dedit (2), ad altare Sancte Marie, Johannis Bautiste, & ad vos Canonicos sancte Marie, qui ibidem Deo serviunt, concedamus. Quod & ita fecimus, hoc est in pago Everdunense, (3) seu in villare quod vocatur (4) Chiwrusie (5) quicquid visus fui habere, & Recco mihi dedit, hoc sit, casis, casalibus, edificiis, vineis, campis, pratis, silvis, rivis, arboribus pomiferis & impomiferis, aquis aquarumque decursibus, accessisque omnibus, totum ad integrum, ad ipsam casam (6) Dei & ibidem Deo servientibus, donamus, ligamus, tradimus atque transfundimus. Ea vero ratione, ut annis singulis ipsi Canonici in festivitate sancti Johannis Bautiste, unam refectionem (7) ad fratres persolvere debeant. Si quis vero, quae fieri minime credo, si ego aut ullus de haeredibus meis, quicunque hanc donationem, quam ego plenissima voluntate scribere rogavi, venire, disceptare, calumpniare, & eam infraugere voluerit, imprimis Dei omnipotentis iram incurrat offensa, & a liminibus sancte Dei Genitricis Marie & omnium Sanctorum extorris efficiatur, & sicut Datan & Abiram (8), qui viventes descenderunt in infernum, & sub anatema maranata in supplicio deputentur, etiamnum non valeat evindicare quae repetit, sed insuper sit culpabilis & impleturus dupla pecunia, & una cum tertio, auri libras V. persolvat. Et haec donatio firma omni tempore & stabilis permaneat, stipulatione scilicet annixa. Sig. Eginulfi (9) Episcopi, & Advocati sui Saleconi, qui

simul

ſimul donationem iſtam fecerunt & firmare rogaverunt. Sign. Emiconi. Sign. Willerii. Sign. Saleirio (10). Sign. Epponi. Et ego in Dei nomine Adalwinus presbiter hanc donationem rogatus ſcripſi & ſubſcripſi. Datavi die Mercurii (11) VIII Kalend. Novembris. Anno XXXVI. regnante Domino noſtro Chuonrado (12) Rege.

Notae.

(1) Secundùm aliud apographum, *Eginulſus.* Erat ille filius Comitis *de Kiburg,* ſacratus Epiſcopus Lauſannenſis anno 968, rexit per XVIII. annos, & obiit 985, cui ſucceſſit Henricus, ita teſtatur vetus Cartularium Lauſannenſe.

(2) Aliud Apographum portat: *tradit dono.*

(3) Idem *pagus Ebrodunenſis, le Canton d'Yverdon,* quo nomine deſignatur oppidum, Germanicè *Iſſerten,* in ditione Bernenſis Reipublicae.

(4) Secundùm aliud apographum, *quod vocant.*

(5) *Villare Chiwruſie.* Datur villa *Chiviſiez* in parochia *Cuarnier,* praefecturâ *Yverdon,* & ditione Bernenſium. At eruditus Ruchat opinatur hunc locum fuiſſe *Chevroud,* vel *Chevroux,* in praefectura Aventicenſi, non procul lacu Neocomenſi, ad quem pagus Ebrodunenſis ſitus eſt.

(6) Id eſt, *Domum Dei.*

(7) Id eſt, *convivium.*

(8) Corruptè *pro Abiron.*

(9) Secundùm aliud apographum: *Sig. Eginolſi Epiſcopi.*

(10) Ex alio apographo: *Sig. Salieric.*

(11) & (12) *Conradus* regnare coepit anno 937, annus igitur ejus regni XXXV. currebat *die Mercurii VIII. Kal. Nov.*, id eſt *die Mercurii* 25. Octobris, 971. quo anno celebrabatur Paſca die 16. Aprilis. (*Vide l'Art de verifier les dates*). Menſis autem anni 937. quo patri ſuo Rodolfo II. Conradus ſucceſſerat, incertus eſt. *Ruchatus* etiam ſub anno 971. hanc Cartam ponebat.

XXXI.

XXXI.

Eginulfus Episcopus Lausannensis concessit ad vitae tempus quaedam bona inter Albonam & Venobiam flumina Ausberto presbitero, regnante Chuonrado Rege in Burgundia, die Sabbati XVIII. Maii DCCCCLXXII.

Cartularium Lausannense, Saeculo XIII. transcriptum, pag. 66. Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Lauhianae, T. I. Helveticarum Cartarum a Saeculo septimo *p.* 352-353. *& T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *pag.* 91-93. in folio.

Precaria (1) quam fecit Ospertus de sancto Prothasio (2) de Molendino & Vinea I.

Sacro sancte Venerabilis Genitricis Dei Marie que sita est in Pago Lausonensi ubi Dominus Eginulfus (3) Episcopus Rector esse videtur. Turimbertus prepositus cunctique fratres ejusdem Ecclesie famulantes. Ego in Dei nomine Ausbertus Presbiter inspirante pietate divina sumpsit mihi bona voluntas. ut aliquid de rebus meis propriis ad ipsam Dei Ecclesiam vel ad ipsos servos Dei ibidem famulantes concedere vel condonare deberemus. quod a presente die feci. Videlicet Molendinum I. & vineam cum aurea super se habentem. que res site esse videntur inter Albona (4) & Venobia (5) flumina. & postea fuit mea petitio & doni predicti Pontificis cunctorum fratrum benevolentia. ut ipsas res. scilicet & Presbiteratum sancte Dei Prothasii Ecclesie loco Beneficii epistola donationis quousque dum vivis usum fructumque possideat. eo namque ordine ut per unum quodque annum in festivitate sancti Clementis (6) refectionem potestatis fratribus in sancte Dei Genitricis Ecclesia servientibus persolvas. sit vero talis refectio duos porcos optimos. dua Modia frumenti purgatissimi & unum Modium vini. & post tuum decessum quam quidem Deus permiserit ad ipsam Dei Ecclesiam vel ad fratres ejusdem Ecclesie famulantes deveniat. At vero si uno anno neggligens aparueris. alio anno per vim duplum componere cogaris. si quis vero aut ego ipse aut ullus Heredum meorum contra hanc donationem. quod plenissime per bonam voluntatem edi. aliquid dicere agere tentaverit. sciat se compositurum auri libras V. & ut hec nostra donatio inconvulsa permaneat, Ego Eginolfus humilis Episcopus. hec donatio a me facta est. Ansigisus presens fuit.

Turim-

Turimbertus prefens fuit. Emmo prefens fuit. Upertus prefens fuit. Hieringus Presb. Everardus prefens fuit. Ego in Dei Nomine Adulvinus Presbiter hanc donationem rogitus fcribfi. & datavi die Sabbato XV. Kal. (7) Junii Anno XXXIII. (8) Regnante Domino noftro Chuonrado Rege.

Notae.

(1) *Precaria*, vocabatur medio aevo *Libellus fupplex* quo quisque poffeffor bonorum Ecclefiafticorum petebat à *Titulari* feu illo qui titulo beneficii Ecclefiaftici infignitus erat, cujus Ecclefiae haec bona pertinuerant, ut illi concederet ad vitae tempus ufum eorum bonorum; ea conditione, ut profiteretur fe ea ab illo in beneficium tenere, & illi eorum bonorum decimam vel nonam partem folveret. Vide *Gangii Gloffarium infimae Latinitatis* de *forma precaria.*

(2) Jacet in Comitatu Vaudi, (*païs de Vaud*), ditione Reipublicae Bernenfis, oppidulum fancti Prothafii, Gallicè *Saint-Prex* vel *Saint-Prez*, in praefectura *Morges*; quod oppidulum olim pertinebat Capitulo Ecclefiae Laufannenfis. Sanctus Prothafius celebratur Epifcopus Aventicenfis fub anno Domini 501.

(3) Sequentia leguntur in veteri Laufannenfi Cartulario: *Eginolfus Laufannenfis Epifcopus ordinatus eft anno ab incarnatione Domini DCCCCLXVIII, & tenuit Epifcopatum XVIII. annis. Ejus facta fcripta erant in Kartulario fupradicto. & filius fuit Comitis de Kibor.* (id eft *de Kiburg*), quo nomine claruit in Helvetia usque poft medium Saeculum XIII. vetuftiffima & praepotens Domus, cujus haereditatem & titulum Comites *Habsburgici obtinuerunt.*

(4) *Albona flumen*, Gallicè *l'Aubonne*, quod oritur prope pagum *Biere* in praefectura *Morges*, & ditione Bernenfium, praeterfluit oppidulum *Aubonne* vel *Albonam*, & in lacum Lemanum fe praecipitat, poft curfum maximè violentum.

(5) *Venobia flumen*, *la Venoge*, fluviolus qui mediâ leucâ fupra pagum *L'isle* in praefectura *Morges*, ditione Bernenfium, oritur, & Lemanum intrat lacum prope oppidum *Morges*, Germanicè *Morfee.*

(6) Sancti *Clementis* Papae & Martyris feftum celebratur die 23. Novembris.

(7) & (8) *Die Sabbato XV. Kal. Junii anno XXXIII. regnante Domino noftro Chuonrado Rege.* Obfervantur duae Epochae in diplomatibus Conradi Regis

gis Burgundiae, una ab anno 937. quo Pater illius *Rudolphus*, *Burgundiae Rex*, *defunctus Agauni*, *apud sanctum Mauritium sepultus est*, teste *Hermanno Contracto.* Successit in Regno filius Conradus, qui tum decem circiter annorum fuit. Altera Epocha sumitur ab anno 939. quo remissus est in regnum, postquam per duos annos in Aula Ottonis Regis Germaniae, & sub illius tutela educatus fuit. Annus autem 972. quo currebat *dies Sabbati XV. Kal. Junii*, id est dies Sabbati XVIII. Maii, quadrat cum XXXIII. anno Regiminis Conradi ab epocha 939. sumpto. Paschatos festum celebrabatur VII. Aprilis anno 972.

XXXII.

Diploma Ottonis II. Imperatoris Abbatiae Fabariensi datum die XI. Julii DCCCCLXXII.

Autographum in Scriniis Abbatiae Fabariensis, *Apographum autem inter Excerpta Historica Aegidii Tschudii*, *T. III.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *p. 92. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

In Nomine sanctae & jndividuae Trinitatis. Otto (1) divina favente clementia Jmperator Augustus. Noverit omnium solertia fidelium nostrorum tam praesentium quam futurorum. qualiter Abbas Fabariensis (2) Monasterii quod constructum est in honore sanctae Dei Genitricis Mariae in pago & in Comitatu (3) Rhetia nuncupatis nomine Majorinus (4) cum Monachis sibi subjectis nostrae adiens celsitudinis clementiam, precatus est ut eosdem Monachos atque res praedicti Monasterii propter quorundam perversorum hominum tergiversationes sub nostro Mundiburdio & tuitione constitueremus, atque illorum praecepta, ac privilegia quae ab antecessoribus nostris videlicet Regibus acceperunt, nostrae auctoritatis munimine roborando firmaremus, electionem illis concederemus. jnsuper etiam ostendit nobis praecepta ac Privilegia antecessorum nostrorum Jmperatorum Karoli (5) ac Ludovici (6). in quibus continebatur ut praefati Monachi Regiae vel jmperialis defensionem tuitionis super res ad idem Monasterium pertinentes habere debuissent. quorum nos petitioni ob amorem Christi futurae que mercedis augmentum benigne assentientes. jussimus eis hoc praecepti nostri privilegium conscribi super res ad praesatum Monasterium pertinentes. Jdcirco volumus firmiterque imperamus ut nullus judex publicus nec Episcopus vel Comes.

 vel

vel quislibet judiciaria potestate constitutus aliquam super eos in rebus vel familiis eorum exerceat potestatem intus vel foris. sed ejusdem Monasterii Abbas ad Monachorum necessarios usus potestative teneat atque possideat. & ut nullus iudae quippiam alicui in beneficium praestare praesumat. sed sub nostra defensione illorum res perpetualiter permaneant ad eorum ut supra diximus necessarios usus. Concessimus namque eis electionem & potestatem firmissimam quemcumque inter eos Abbatem voluerint eligendi. quatinus eos pro nobis libentius Deum exorare delectet. & ut haec presentis auctoritas praecepti firmius stabiliusque cunctis nostris fidelibus credatur, hanc cartam inscribi annulique nostri impressione sigillari jussimus propriaque manu nostra subtus firmavimus.

Signum Dñi Ottonis (7). Magni & invictissimi Jmperatoris & Augusti.

Vuilligisus (8) Cancellarius ad vicem Rotberti Archicapellani recognovi. Data V. jdus (9) julii anno jncarnationis Dominicae DCCCCLXXII. jndict. XIII. anno Regni Domini Ottonis XI. jmperii a. IIIJ. actum Brixiae feliciter Amen.

Notae.

(1) *Otto II.* cognomento *Rufus*, filius Imperatoris Ottonis I. coronatus Rex Germaniae Aquisgrani 961. die Pentecostes, electus Rex Italiae circiter finem anni 962, coronatus Romae Imperator *die* 25. Decembris 967. *Otto* Magnus, illius pater obiit die 7. Maji 973. Aegidius *Tschudi* praesentem Ottoni Secundo tribuebat cartam.

(2) *Abbatia Fabariensis*, vulgo *Pfeffers*, Ord. S. Benedicti, in Diocoesi Curiensi, & Comitatu *Sargans* qui nunc octo veteribus Cantonibus Helvetiae subest.

(3) *Comitatus Rhetia nuncupatus*, id est *Curiensis*.

(4) *Majorinus* Abbas Fabariensis, qui regebat anno Domini 972. V. jdus Julii, obiit 2. Non. Aprilis, secundùm vetus Necrologium ejusdem Monasterii ab Aegidio Tschudio descriptum, quod etiam legitur T. IV. *Monumentorum Helvetico-Tugiensium*, pag. 227. in Bibliotheca Zur-Laubiana. Sed annus non designatur in Necrologio. Recentiores ponunt ejus mortem anno 973.

(5) Scilicet *Caroli Magni*.

(6) Nempe *Ludovici Pii*.

(7) Jam in diplomatibus sub Ottone I. confectis saepe vocatur Otto *Magnus Imperator*, *a Deo coronatus*, *invictissimus*. Hujus *Monogramma* hic datur. Cujus sicut & sigillo utebatur illius filius Otto II. qui cum eo Co-imperabat ab anno

anno 967. quod probat ejusdem diploma 14. Augusti 972. concessum Monasterio *Einsidlensi.*

(8) Extat apud *Herrgottum* Codice Probat. Geneal. *Habsburgicae* pag. 84. diploma Ottonis II. *datum XIX. Kalend. Septemb.* 972. *Indictione XV. anno regni Domini Ottonis XII. Imperii autem V.* Ad cujus calcem legitur: *Willisus* (id est *Willigisus*) Cancellarius ad vicem *Rodberti Archicappellani subscripsi.*

(9) Anno 961. die 26. Maii Otto *Junior*, a patre Ottone I. Rex constituitur, & inde annos regni numerat. Annos vero Imperii deducit a tempore quo Romae coronatus est, nempe die 25. Decembris 967; incidit itaque annus Christi 972. die XI. Julii in annum regni XII., Imperii autem quintum: in hunc porro annum Indictio XIV. die XI. Julii recurrebat. Amanuensis quidem omisit unum numerum, cum indicaret Indictionem XIII. legendum vero est XIIII.

XXXIII.

Diploma Ruodolfi III. *Regis Burgundiae, datum* in Agauno *VIII. Feb. DCCCCXCVIII. pro Ecclesia Lausannensi.*

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitae Reipublicae Bernensis. Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. I. Helveticae Cartae a Saeculo septimo, *p.* 86-88. *& T. I.* Cartae Burgundiae, Sabaudiae & Helvetiae, *T. I. p.* 235. in fol.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. GRATIA DEI RUODOLFUS HUMILIS REX. Justis Domini Imperatoris (1) Augusti videlicet Ottonis ammonitionibus animum commisimus. ut expulsis scelerum tenebris ad veram lucem, quae Christus est, pervenire possimus. Quocirca nos oportet Ecclesiasticam providere Indigentiam, atque tanti Imperatoris ammonitionem perpendere & quaeque prisci (2) Parentes nostri iniuste abstulerunt, iuste & legaliter, prout possumus, restituamus. Est enim fiscus Lausonnensis (3) in Comitatu Waldensi (4), qui vocatur Wilra (5), pertinens ad eumdem Episcopatum. Hunc immerito tulerunt Bosoni (6) Episcopo, quem reddimus Deo & eius Genitrici Beatae Mariae Virgini, cum suis omnibus adiacentiis (7) & pertinentiis, cum campis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, montibus & planiciebus, cum Exhibitionibus & redhibi-

hibitionibus, seu cum iis omnibus quae ad praelibatum fiscum aspiciunt, vel aspicere debent. huius nostri inscriptione precepti. Per hoc itaque nostrae auctoritatis preceptum, & per tantam Charissimi Imperatoris Ammonitionem interdicimus, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vice Comes, Sculdascio (8), vel qualibet magna, parva, atque summissa persona sanctam Ecclesiam Lausannensem, sive eius Praesulem de iis omnibus praedictis in aliquo inquietare presumat. Quod si quislibet praesumpserit, non evendicet quod repetit, sed insuper sit culpabilis & impleturus, auri obrizi libras centum & nonaginta novem, medietas Camerae nostrae inferatur, & medietas quibus fuerit illata iniuria. Insuper Angelorum maledictionibus interitus, & clavigeri Petri sive nobilissimi Auctoris Pauli, seu omnium Apostolorum vinculis illaqueatus, Martyrumque, Confessorum, Virginum Anathemate perpetuo dampnatus, infernali cremetur incendio. ut autem huius nostrae donationis preceptum inviolabiliter perseveret, sigillo nostri nominis insigniri jussimus. Signum Domini & Serenissimi Regis Rudolfi, Anselmus (9) Domini Regis Cancellarius hoc preceptum recognovi. Anno Incarnationis Domini DCCCCXCVII. regni vero Domini Ruodolfi Regis (10) IV. acta in Agauno VI. Idus Februarii.

Notae.

(1) Otto III. erat sobrinus Regis Rodolfi, cujus veneratio erga *Ammonitiones* illius Imperatoris hic notanda est, quia illa vox *Ammonitio* vel *Admonitio* non propriè designat mandatum Clienti vel Vasso datum. Porro autem Burgundiae Regnum non pendebat ab Imperio Germanico usque ad obitum ultimi sui Regis Rodolfi III. e stemmate *Guelfico* vel *Welfico*, & ab hac etiam epocha Imperatores soli qui ab illis Burgundiae Regibus materno latere prognati fuerant, propriè potuerunt jus avitum in Regnum Burgundiae vel Arelatense repetere.

(2) Rodolfus I. proavus Rodolfi III. possessionem *Wilra* in damnum Ecclesiae Lausannensis occupaverat, vel ejus filius Rex Rodolfus II, dum Boso Episcopus Lausannensis existebat.

(3) Eruditissimus D. *de Rivaz* legebat: *fiscus Lausanensis in comitatu Valdensi.*

(4) Scilicet Gallicè *le Comté de Vaud*, cujus regionis majorem nunc possident partem Cantones *Berna* & *Friburgum*. Illius titulum Comitatus adhuc gerit Dux Sabaudiae, Rex Sardiniae.

(5) D.

(5) D. *de Rivaz* legebat: *Wibra*, *Ruchatus* verò *Wilra*. Huic lubentius assentior lectioni, quia dantur in Comitatu Vaudi plures pagi nomine *Villard* vel *Villars*, sed nullum locum *Wibra* in Topographia Helvetiae invenio.

(6) Ab anno 892. usque ad suam mortem 927. Lausannensem regebat Boso Ecclesiam.

(7) *Rivasius* legebat: *aiacentiis*.

(8) Idem legebat: *Sculdasio*. Primitùs in Germania & Helvetia vocabatur *Sculdascius* vel *Sculdasius*, Magistratus praepositus ad fidem debitoris creditori datam exigendam, ut coactus debitum fixo tempore persolvat. Vox enim Germanica *Schuld* significat *debitum*, & alia vox *Heissen*, *exigere*, *mandare*. Nominatur adhuc Bernae, Lucernae, Friburgi & Solodori, *Schultheiss*, latinè *Scultetus*, Caput justitiae, vel Princeps Senatûs, aliàs Gallicè *Avoyer*.

(9) *Anselmus*, Cancellarius *Rodulphi III*, expedivit apud sanctum Mauritium, *Agauno*, DCCCCXCVI, tertiô annô regni illius Regis, indictione decima, Instrumentum quo Comitatum Tarantasiae Archiepiscopo Amizoni concessit idem *Rodulphus*. Haec autem Carta legitur in *Antiquitatibus Italiae* Tomo quinto p. 416. Auctore Clarissimo *Muratorio*, & in libro cujus titulus: *Memoires pour l'histoire Ecclesiastique des Diocèses de Geneve, Tarantaise, Aoste & Maurienne, & du Decanat de Savoye, par M. Besson*, pag. 241-242. *Annessy* 1759. *in 4to.*

(10) Regi Conrado suo patri successerat Rodolfus III. anno 994. inter menses Januarium & Martium. Praesens autem diploma, die 8. Februarii, quarto anno regni Rodolfi, anno 997, datum, referendum est ad annum 998, quippe in Burgundia tunc numerabatur annus 997, licet alibi reapsè computatus fuerit annus 998.

XXXIV.

Diploma datum Vrbe *(hodie* Orbe *in Helvetia) die* 18. *Januarii M.IX. quo* Ruodulfus III. *Rex Burgundiae restituit Ecclesiae Lausannensi medietatem villae* Evonant.

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitae Reipublicae Bernensis.

Apographum autem in Cartulario Ecclesiae Lausannensis, Saeculo XIII. transcripto, pag. 53. & inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Helveticae

Cartae

Cartae a Saeculo feptimo, *T. I. p.* 88-90. & 348-349. Monumenta Helvetico-Tugienfia *T. VII. p.* 85. & Cartae Burgundiae, Sabaudiae & Helvetiae, *T. II. p.* 15. in fol.

IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS. RUODULFUS (1) DIVINA FAVENTE CLEMENTIA REX. Sanctas Dei ecclefias a Deo devotis fidelibus viris conftructas. eorum elemofinarum largitionibus locupletatas. dum nemo recte credentium abneget. aequum eft noftrique praecipue officii proprium. ut fi quis eis aut violenta manu praefumptuofe diripuit. aut forte valentior indifcrete & non iure auftulit. regia auctoritate reftituantur. Quapropter noverit fancta mater ecclefia catholica cum filiis fuis vivis & victuris. qualiter ob anime noftre remedium. humilesque petitiones Agaltrudis (2) Regine coniugis noftre dilectiffime. nec non petitiones Borcardi (3) Archiepifcopi fratris noftri cari. devotasque petitiones Epifcoporum Hugonis (4) & Anfelmi (5). Comitumque Ruodolfi (6) & Bertulfi. interventumque Henrici (7) Epifcopi nobis per omnia fideliffimi. reddidimus (8) fancte Dei Genetrici Marie ad Epifcopatum Laufannenfem cui ipfe preeffe videtur medietatem Evonant (9) ville. ficut antiquis determinationibus illo appendebat eo tempore quo Anteceffores noftri caufa ingruentium neceffitatum inde auftulerant (10). Sic illuc reddimus cum ecclefia fuperftante. & vineis. & pratis. filvis. aquis. aquarumque decurfibus. molendinis. pifcatoriis. omnibus que ad illam medietatem pertinentibus & omnibus ufibus & utilitatibus. ficut Tuto quidam quanquam iniufte vifus eft poffidere. quousque vite regnique noftri infidiator & praeiudicatus impugnator. quicquid in regno noftro habere vifus eft. legibus amifit. Volumus ergo ut deinceps ad Epifcopatum Laufannenfem fubiectum illo fervari & Henrico Epifcopo. & illi quemcumque Deus ei fubrogaverit per fucceffiones aeternas nemine contradicente & inquietante (11) . . . . fitum eft in Comitatu. Ut hec a nobis facta credantur & a pofteris noftris non infringantur. manu noftra roboravimus & figillari iuffimus. Signum Domni (12) Ruodolfi Regis piiffimi. Radulfus Cancellarius recognovi. Data XV. Kalend. Februarii Lunae XXX. anno ab incarnatione Domini MVIIII. Regnante Domno (13) Ruodolfo Rege anno XVII. Actum Vrbe (14).

Notae.

(1) *Ruchatus & Rivazius* legebant; *Ruodolphus.*

(2) Iidem legebant: *Ageldrudis.*

(3) Iidem

(3) Iidem legebant: *Burcardi.* Erat Burcardus, Archiepiscopus Lugdunensis, frater Regis Burgundiae Rodolfi III.

(4) Anno 1009. vivebant ambo Episcopi, unus Sedunensis, & alter Genevensis, uterque Hugo nomine.

(5) Scilicet Anselmus Episcopus Augustensis, aliàs *Aoste.* Vide *Besson, Memoires pour l'histoire Ecclesiastique des Diocéses de Geneve, Tarantaise, Aoste &c.* pag. 250. Annecy 1759. *in 4to.*

(6) *Ruchatus* legebat: *Ruodulfi.*

(7) *Henricus* fuit Episcopus Lausannensis ab anno 985, rexit per XXXV. annos & Martyrio finivit vitam 1019.

(8) *Ruchatus* & *Rivazius* legebant: *reddimus.*

(9) Hodie *Tvonand* vel *Tvonant.* pagus & parochia in praefectura *Grandson,* sub dominio Rerum-Publicarum Bernae & Friburgi.

(10) *Rivasius* legebat: *abstulerunt.*

(11) *Ruchatus* sequentem addidit notam: *Hic est lacuna quam deficiente instrumento originali, supplere nequivi,* qui doctus vir solo Cartulario Lausannensi usus est.

(12) *Ruchatus* legebat: *Signum Domini Rudolphi piissimi Regis.*

(13) Secundùm Bernense apographum: *Regnante Domino Ruodolfo Rege anno XVII. actum Vrbe.* Annus XVII. Regis Rodolfi qui anno 993. successerat patri suo Regi Conrado, currebat anno 1009. die 18. Januarii.

(14) *Vrbe,* aliàs *Vrba,* hodie *Orbe,* oppidum ruderibus arcis in qua residebant veteres Reges Burgundiae, praenobile, sub dominio Cantonum Bernae & Friburgi.

XXXV.

Diploma Rodulfi III. *Regis Burgundiae datum Vivesci die* 20. *Martii MXII. in gratiam Romani Monasterii in Comitatu Waldensi.*

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitae Reipublicae Bernensis. Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, Helveticae Cartae a Saeculo septimo *T. I. pag.* 118-119. in folio.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. RODULFUS DIVINA GRATIA REX. Justis fidelium nostrorum postulationibus acquiescere,

utile & honorificum ducimus. Quapropter notum esse omnibus volumus sanctae Dei ecclesiae fidelibus, qualiter ob animae nostrae remedium nec non petitiones Odelonis (1) venerandi Abbatis, reddimus Deo & sancto Petro ad Romanum (2) Monasterium in Comitatu Waldense, villam Ferrieris (3), cum omnibus appendiciis suis, in villa Morici (4) mansum unum, in Ornei (5) mansos duos, in Islapadenes (6) mansum unum, in Senarclens (7) mansum unum, Glans (8) mansum unum, in Penta (9) mansum unum & dimidium, intra Canvent (10) & in Ornens (11) mansos VIIII. in Gies (12) mansum unum, ad Fontanes (13) lunaticos duo, ad Munnens (14) mansum unum. Haec denominata habeant rectores Romani Monasterii, in servitio Dei & sancti Petri, & pro curatione fratrum ibi Deo famulantium, nemine contradicente. Et unum Casalicum cum casa super posita. terminat autem ipse Casalis de uno latus, pratum sancti Mauricii. de alio latus via publica. de alio latus fluvius currens. Ut haec a nobis facta credantur, & a posteris nostris non infrangantur, manu nostra roboravimus & sigillari jussimus.

Signam Domini Ruodolfi (15) Regis pii.

Paldolfus Cancellarius recognovi. Data XIII. Kal. Aprilis anno ab incarnatione Domini MXI. regnante Domno Ruodolfo Rege anno (16) XVIIII. Actum Vivesci (17).

Notae.

(1) Sanctus *Odilo*, Abbas Cluniaci, qui obiit nocte pridie I. Januarii, 1049. Illius festum celebratur 2. Januarii & 21. Junii.

(2) *Romainmôtier*, latinè *Romani Monasterium*, oppidulum Comitatus Waldensis, (*au païs de Vaud*) in arcta valle per quam fluit fluviolus *Diaz*, in praefectura *Romainmôtier*, ditione autem Reipublicae Bernensis, suum debet nomen monasterio cujus fundatio refertur sancto *Romano* Heremitae, qui vivebat Saeculo quinto. Erat illud dicatum *sancto Petro*, Principi Apostolorum.

(3) *Ferriere* vel *Ferreire*, pagus in parochia & Baronia *La Sara* & praefectura *Yverdun*, apud Bernates.

(4) *Morici*, verisimiliter *Moiry*, pagus in parochia *Cuarnans*, in praefectura *Romainmôtier*.

(5) *Orny*, pagellus in parochia & Baronia *La Sara* & praefectura *Romainmôtier*.

(6) *Escle-*

(6) *Esclepens*, antiquitùs *Sclepedingus*, & *Islapadenes*, & in veteri Burgundionum lingua, *Sclepdingen*, pagus & parochia cum duabus arcibus in Baronia *La Sara* & praefectura *Romainmôtier*.

(7) *Senarclens*, pagus & Castellum in parochia *Cossonay*, in praefectura *Morges*, apud Bernates.

(8) *Gland*, numerosus pagus in parochia *Vich*, in Baronia Prangin, praefectura *Nyon*, & Cantone Bernensi. Vocatur etiam *Gland* pars pagi *Vullierens*, in praefectura *Morges*. Vide *Leonis* Historicum Helvetiae Lexicon T. VIII. p. 533-534.

(9) *Penthaz*, pagus & parochia in praefectura *Morges*.

(10) Eruditus *Ruchat* qui illud instrumentum ex Autographo descripserat, ponebat *Canvent* in pago *Chamvent* vel *Champvent*, prope Urbem *Tverdun* in praefectura *Tverdun*, Cantone Bernensi. *Champvent* est quoque simul Parochia & Dominium cum arce. Vide *Leonis* Hist. Helvet. Lex. T. V. p. 209.

(11) *Ornens*, forsan *Ornier*, in praefectura *Romainmôtier*.

(12) *Gies*, forsan *Agiez* vel *Agg*, pagus & parochia in praefectura *Romainmôtier*. Datur quoque pagus *Gy* vel *Giez* in praefectura *Grandson*.

(13) Forsan *Fontaine*, pagus in parochia *Fy*, & praefectura *Grandson*, qui suum debet nomen limpidissimis loci scaturiginibus.

(14) Forsan *Monnaz*, pagus in parochia *Morges*, & praefectura hujus nominis, apud Bernenses.

(15) Interjacet hic monogramma Regis Ruodolfi.

(16) *Ruchatus* illud instrumentum designabat *ab incarnatione*, id est *ab annuntiatione Dominica* quae incidebat 25. Martii, & quia illa Carta die 20. Martii fuerat data, eam referebat ad annum 1012. neque ad annum 1011, incipiendo annum cum mense Januario; idem opinabatur legendum esse in praesenti Instrumento, *anno XVIII.* pro *XVIIII*, quippe Rudolfus III. successerat Regi Conrado mense Martio 993. secundùm rationem numerandi quae tunc valebat in Burgundia, qui calculus convenit cum anno 994. Idcirco annus XIX. regni Rudolfi incipiebat Martio 1011. secundùm Burgundiae calculum, quod denotat annum 1012. quemadmodum hodie supputamus.

(17) Hodie *Vevay*, elegans oppidum ad Lacum Lemanum, olim *Viviscum* vel *Bibiscum*, medio aevo & *Vivis*, dicitur adhuc Germanicè *Vivis*. Paret Bernensibus.

XXXVI.

Kundelo concambium facit cum Irmenrada Abbatissa, ei predium suum in Asscbe & in Chama contra illud predium quod situm est in villa Hottinga tradens.

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitae Reipublicae Thuricensis, Apographum autem in Historia Diplomatica Abbatiae Thuricensis, Auctore Erhardo Dursteler, pag. 29-30. MSc. in fol. & Tomo VIII. Monumentorum Helvetico-Tugiensium pag. 91. MS. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.

In Dei Nomine notum sit omnibus presentibus scilicet & futuris. qualiter ego Kundelo concambium feci cum Principibus (1) qui erant in Congregatione sanctorum Martyrum Felicis (2) & Regule ubi Monache serviunt Deo favente in presentia advocati nostri & Abbatisse ejusdem Ecclesie Dei gratia serviente. dedi tradidique in manum advocati (3) Adelrici. cum manu Abbatisse Irmenrade. (4) tale predium. quale visus sum habere potestative in Zurichcouue. (5) in loco & in villa que dicitur Assche. (6) & in loco & in villa que dicitur Chama. (7) contra illud predium quod situm est in villa Hottinga. (8) ut mihi fas sit tradendi & liberum arbitrium. quicquid inde velim faciendi. jure jurando confirmantibus. quorum nomina subnotantur. utilius Monasterio factum esse quam mihi. Iso. Renfrit. Ridiene. Lubenzo. Ycgeti. Yco. Adelric. Fizo. Wolferath. Hunolt. Eppo. Perker. Waolram. Roldene. (*vel* Koldene.) Pezzeli. Hoker. Rozeli. Renzo. Adelric. actum est in lapidea domo (9) castri. coram Advocato Adelrico & Comite Eberhardo. (10) subnotatis aliis testibus. Signum advocati Adelrici. S. Comitis Eberhardi. S. mei Kundelo. qui hanc Cartam concambii levavi & scribere rogavi. S. Walacho. Peter. Yto. Kerlo. Rudolf. Lutolt. Tetelo. Tieterict. Richolf. Spruto. Eppo. Luto. Yto. Walthere. Luifriht. Hunolt. Liebo. Ego Adelhardus scripsi (11) & subscripsi. notavi diem Mercurii .... (12) duodecima. Anno tertio decimo (13) Chunradi Imperantis. Hermanno (14) Duce. Adelrico Advocato. Eberhardo Comite.

Notae.

(1) *Principibus*, id est *primoribus* quorum nomina hoc designantur instrumento.

(2) *Sanctorum Martyrum Felicis & Regule*, quorum sub patrocinio stabant Turici Insignes duae Ecclesiae, scilicet *Canonialis* dicta *Groß-Munster*, circa finem

finem Saeculi VII. fundata, & *Abbatia Monialium*, vulgò *Frau-Munster*, cui parebat Turicum, quaeque anno 853. a Ludovico Rege Germaniae fuerat condita.

(3) *In manum advocati Adalrici*, qui forsan erat natus e stemmate Comitum *de Lenzburg*. Nominatur in Carta *Ruodolfi Suevorum Ducis* anno 1063. expedita *Arnoldus Comes de Lenzburg*, *Advocatus utriusque Monasterii sanctorum Martyrum Felicis & Regule* Turici, *& sancti Hilarii* Seconis vel Seckingen. Vide de illo instrumento *Tables Généalogiques des Augustes Maisons d'Autriche & de Lorraine par M. le Baron de Zur-Lauben*, *pag.* 8. *Paris* 1770. *in* 8*vo.*

(4) *Irmenrade*, legebat quoque Eruditus *Dursteler Irmenkardam* in eteologia Abbatissarum Turicensis monasterii.

(5) *In Zurichcouue*, pago Ducatûs Sueviae vel Alamanniae in quo situm Turicum, vulgò *Zurich.*

(6) *Assche*, pagus *Aesch* vel *Esch* jacet in parochia *Birmonstorff*, in ditione Reipublicae Turicensis, in proximitate Montis *Albis.*

(7) *Chama*, hodie *Cham*, vel *Kahm*, numerosa parochia & pagus ad lacum Tugiensem in ditione Civitatis Tugii, aliàs *Zug.*

(8) *Hottinga*, hodie *Hottingen*, latissima & sparsa communitas prope civitatem *Zurich.*

(9) *Castri.* Olim eminebat Turici in area dicta *Lindenhoff* Castrum vel imperiale Palatium, sedes Praefectorum.

(10) *Comite Eberhardo*, qui Comes pagi *Zurichcouue.*

(11) *Scripsi.* Hìc adest Notarii signum, *biforis janua oblonga.*

(12) Legebat Doctissimus Joannes Jacobus *Scheuchzer* Mercurii .... ✝_duodecima.

(13) *Anno tertio decimo Chunradi imperantis*, id est 1037. ab anno 1024. die 8. Septembris quo Conradus II. *Salicus* sacratus Aquisgrani Rex Germaniae. Imperator autem Romae coronatus die 26. Martii festo Paschatos 1027. Obiit Ultrajecti 4. Junii 1039. Indictio quinta currebat anno 1037.

(14) *Hermannus*, privignus Imperatoris Conradi, fit Sueviae Dux anno 1030. & moritur V. Kal. Augusti 1038.

XXXVII.

Notitia die 28. Octobris MLXXII. vel MLXXIII. qua Bucco Comes de Oltingen donationem fecit Ecclesiae Lausannensi pro satisfactione sui flagitii in villa Rode commissi.

Cartularium Lausannensis Ecclesiae, Saeculo XIII. transcriptum, pag. 44. *Apographum autem inter Codices manuscriptos Bibliothecae Zur-Laubianae, T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *p.* 83-84. & Helveticae Cartae a Saeculo septimo, *T. I. pag.* 348. in fol.

Notum sit omnibus Christi fidelibus tam natis quam nascendis, quod ego dictus Comes Bucco (1) reus & culpabilis septifacie (2) Ecclesie Lausannensi pro forifacto (3) quod commisi in Cimeterio Rode (4) & in Ecclesia edificata in honore Salvatoris. unde cupiens Deo satisfacere pro absolutione culpe & pro remedio anime mee, tribuo vineam unam que est in pago Viliacense (5) & in villa que dicitur sancti Albini (6), terminat autem ipsam vineam via publica qua itur de sancto Albino ad silvam ipsam quam vineam tribuo Ecclesie Lausan. ac Salvatori Deo, ut ab omnibus meis criminibus me absolvat, ea autem Conditione ut si quis eam subtrahere voluerit X. auri libras persolvat. & ut hec stabilita permaneant, rogavi scribi atque notari. hec notitia facta est Aventice (7) presente Episcopo Borkardo (8) atque Amalrico (9) & advocato Aimone, laudante Conone (10) filio suo V. Kalend. Novembris regnante (11) Imperatore Heinrico XVIII. Ego Otelinus Cancellarius scripsi.

Notitia seu traditio qualiter investivit Comes Bucco Aimonem advocatum Lausannensem in pago Viliacensi & in villa sancti Albini, & in fine vici (12) que dicitur Pertusium, presentibus Canonicis Lausan. Amaldrico & Conone atque Otelino. preter istos multi interfuerunt qui viderunt & audierunt (13).

Quod dictus (14) Bucco Comes fuit Dominus de Ostodenges (15) vel Oltadenges, Oltinguen, locus qui situs est in Diocesi Constantiensi apud confluxum (16) Arole & Sanone aut Sarone.

Notae.

(1) *Chronicon breve veteris Chartularii Lausannensis* cujus apographum legitur Tomo primo *Helveticarum Cartarum a Saeculo septimo* in Bibliotheca Zur-Lau-

Laubiana ſequentem Chronologiam continet. *Anno* 1074. *Burcardus Comes de Oltudingis dedit Eccleſiae Lauſannenſi vineam ſitam in pago Villacenſe in Villara ſancti Albini. Actum Aventicae, praeſente Burcardo Epiſcopo & aliis V. Kal. Novembr. regnante Imperatore Henrico, octavo decimo anno.*

(2) Legendum *ſatisfacio.*

(3) Vox Gallica *forfait* qua deſignatur *flagitium*, *grande ſcelus*, ſuam debet radicem verbo medii aevi, *foriſactum*, vide *Cangii* Gloſſarium infimae Latinitatis.

(4) Flagitium quod Comes Bucco commiſit in coemeterio *Rode* & in eccleſia ibi aedificata in honore Salvatoris non proprie deſignatur, forſan homicidium vel aliud genus violentiae. Villa *Rode* eſt hodiernum oppidulum *Rue*, aliàs *Ruaz* & Germanicè *Ruw*, quod ſuum dat nomen uni praefecturae Cantonis Friburgenſis; illic videtur arx in qua habitat Praefectus.

(5) Peninſula parva *Vulliés*, Germanicè *Wiſtellach*, ſeu *Miſtelach*, quae cingitur lacubus Muratenſi & Neoburgenſi, & fluviolo *la Broye*, offert montem vineis feraciſſimum & varios pagos quos inter ſunt qui a parochia ſancti Albini dependent.

(6) Parochia *ſancti Albini*, vel *ad ſanctum Albinum*, vulgò *Saint-Aubin*, cum arce, caput unius Praefecturae Friburgenſium, inter lacum *Neuchâtel*, & lacum *Morat*, dicitur *Saint-Aubin de Vullié* a parva peninſula *Vulliés* de qua nota praecedens.

(7) Olim *Aventicum*, Caput Helvetiae, teſtantibus Romanis ſcriptoribus, poſtea ſedes Epiſcoporum *Aventicenſium* usque ad eorum translationem ad civitatem Lauſannam, tandem ruderibus ſpectabile oppidum, hodie *Avenche*, Praefectura Cantonis Bernenſis, inter Moratum & Paterniacum.

(8) *Borkardo.* De illo Epiſcopo ſequentia fert vetus Cartularium Lauſannenſis Eccleſiae: *fuit autem filius Comitis Bucconis de Oltudenges, vir ferus & bellicoſus, &c.*

(9) In uno apographo legitur: *atque Amaldrico & Advocato Aimone. laudante Conone filio ſuo.*

(10) *Cono* de quo hîc mentio, filius Comitis Bucconis fuiſſe videtur.

(11) *V. Kalend. Novembris*, id eſt 28. *Octobris. regnante Imperatore Heinrico XVIII.* Filium Henricum, Triburiae nuper Regem electum, Aquisgrani ab Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo coronari fecit XVI. Kal. Auguſti 1054.

1054. Imperator Henricus III. Ab illa epocha deducuntur anni Regni Henrici IV. cujus annus XVIII. finiebat XVI. Kal. Augusti 1073. haec igitur Carta referenda est ad annum 1072. die 28. Octobris quo annus XVIII. regni Henrici IV. adhuc currebat, vel eâdem epochâ sequentis anni quo annum XVIII. regni tanquam completum numerabat ille Princeps, cui titulum *Imperatoris* aliquando conferunt per anticipationem notitiae diplomaticae in Cartulariis insertae, etenim imperialem coronam accepit Romae ab Antipapa Clemente III. die 31. Martii 1084.

(12) Credo legendum: *& in fine vie que dicitur Pertusium*, erat via Aventicae, taliter dicta, vulgò *Pertuis*.

(13) Ex alio apographo: *& audiverunt.*

(14) Haec nota historica legitur in Cartulario ad calcem praefatarum notitiarum.

(15) In alio legitur apographo: — *Dominus de Ostudenges vel Oltudenges*, *Oltingen.* — Comitatus *Oltingen*, olim *Othodingen* & Gallicè *Ostranges*, nomen suum habebat ab arce cujus rudera supersunt in rupe eminenti prope pagum *Wyler-Oltingen* in parochia *Kerzers* & praefectura *Lauppen*, prope confluentes fluviorum Arae & Sanae, ditione Reipublicae Bernensis. Vide de illo Comitatu Historicum Helvetiae Lexicon Auctore Amplissimo D. *Leu*, T. XIV. pag. 298-299.

(16) Secundùm aliud apographum: *Apud confluentes* — *Ara*, aliàs *Arola*, Germanicè *Ar*, *Aren*, fluvius Helvetiae suscipit fluvium *Sanonam* aut *Saronam* de quo praesens notitia, quique dicitur Germanicè *Sanen*, & Gallicè *la Sarine*, conjungitur autem cum *Ara* prope *Weiler-Oltingen*; vide notam praecedentem.

XXXVIII.

Carta fundationis Monasterii Altaecristae *vulgò* Hautcrêt, *Ordinis Cisterciensis*, *Auctore Guidone Lausannensi Episcopo* *M.C.XXXIV.*

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitissimae Reipublicae Bernensis: Apographum autem T. V. Lib. XII. p. 22. Diplomaticae Collectionis Abrahami Ruchat, *MSc. Bernae in Bibliotheca publica; & Tugii, T. I. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum pag. 132-133. in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Guido

Guidó (1) Dei gratia Lausannensis Episcopus Ecclesiae. Dilecto filio suo Abbati Cariloci (2), salutem & paternam benedictionem. Quoniam Ihesu Christi vices agere credimus in terris, ad nostrum profecto pertinet officium, omnem quidem pro viribus exaltare & tueri Religionem, sed eam praecipuè quae in spirituali ac nuda paupertate consistit, hujus vanae felicitatis nihil . . . (3) interius & solis externis necessariis contempta (4). Unde, Guido (5) fili charissime, locum altecrescentem (6) ad domum ordinis vestri (7) construendam, assensu Capituli nostri (8), per annuum censum unius librae cerae, tibi concedimus, & in perpetuum liberè possidendum, Episcopali Auctoritate, irrefragabiliter confirmamus, quantum videlicet ostenderunt, & confratri tuo Germano, duo Majores (9) mei Petrus de Chebres (10), & Gauterius de Poedoux (11), cum Uldrico fratre suo, ex una parte, sicut extenditur semita de Pallexu (12), per pratum Deleyse (13), usque ad pontem Ordeorum (14), & ex altera parte a ponte Ordeorum, sicut rivus ejusdem pontis delabitur in Corbirum (15), & ab inde sicut Corbirum extenditur, & usuaria per totam terram meam. Confirmat etiam tibi nostrae sedis Auctoritas, quicquid datum & conferendum est praedictae domui, de terris, de pratis, de aquis, & de nemoribus, ad ius Episcopale, sive casamentum Ecclesiae nostrae pertinentibus, & quicquid Bonus-filius de Chebres, laudante uxore sua cum filiis suis, dedit vel daturus est in Villari (16) Gramonis. Confirmamus etiam tibi quicquid dederunt in manu mea dominus Amadeus de Blonay (17), & Galterius filius ejus, quicquid videlicet inter duas aquas Biorde (18) & Corberon sub via quae ab (19) Escoit per campos Grangiarum (20) tendit Lausannam, usuaria etiam per totam terram suam, & quicquid de feodo suo dedit vel daturus est aliquis, & tractum de Bay (21), singulis quintis (22) feriis a festo sancti Andreae (23) usque ad purificationem (24) Beatae Mariae. Si quis igitur contra hujus paginae nostrae assertionem obviare praesumpserit, a sacratissimo Corpore & Sanguine Domini nostri eum sequestramus, donec condigna satisfactione ad poenitentiam redeat. Actum Lausannae solempniter in claustro (25) Beatae Mariae, sub his testibus, Ludovico de Grandson (26), Amenrado Decano, Cunone de Rocha, Amalricho Decano, Richardo & Rogerio monachis Bellae-Vallis (27). Anno Verbi incarnati millesimo centesimo trigesimo quarto.

Notae.

(1) Sequentia leguntur in veteri Cartulario Ecclesiae Lausannensis a Cunone *d'Estavayé* illius Praeposito qui vivebat anno 1240, conflato;

Commemoratio Guidonis de Marlaniaco electo X. Calend. Augusti. Guido de Marlaniaco fuit Episcopus Lausannensis post Giroldum, sed non legi quanto anno ab Incarnatione. Audivi tamen quod tenuit Episcopatum annis VIII & vidimus per privilegium quod ei Dominus Innocentius (a) Papa contulit Pisis (b) in quo ita continetur. *Quia vero apud castrum Clees* (c) *viatores hactenus sepe disturbati esse noscuntur, fraternitati tue mandamus quatenus ipsum reedificari ulterius non permittas, sed potius si quis illud reedificare presumpserit in eum excommunicationis sententiam perferas.* (d) *&c.* & in alio privilegio ejusdem Innocentii Clero & populo misso Lausannae pro eodem Guidone Episcopo continetur, *venerabilem fratrem nostrum Guidonem Episcopum vestrum debita benignitate suscepimus, & suis petitionibus accommodantes assensum, personam ejus pallii genio decoravimus.* Legi etiam alibi de eo. *Giroldo* successit Guido de Merlanie quo expulso propter enormitates & incontinentiam suam successit ei Amadeus &c.

(a) Scilicet Innocentius II. qui sedit ab anno 1130. ad 1143.
(b) *Pisa* vel *Pise* in Italia.
(c) Hodie *les Clées* vel *Esclées*, oppidulum Cantonis Bernensis in praefectura *Yverdon*, arcis famosae rudera adhuc cernuntur.
(d) In alio apographo ejusdem Cartularii legitur: *proferas.*

(2) Abbatia *Cariloci*, *Cherlieu*, ordinis Cisterciensis, in diocesi Bisuntina & Comitatu Burgundiae, fundata fuit anno 1131. Vide Gasparum *Jongelinum*, lib. IX. notitiae Abbatiarum ordinis Cisterciensis, pag. 94. Coloniae Agrippinae 1640. *in fol.*

(3) Est hîc in Autographo verbum ferè abrasum quod ita finiebat .. *perius.*

(4) Hoc est, *contenta.*

(5) *Guido* Abbas Cariloci, de quo fit mentio in Epist. sancti Bernardi No. 198. ad Innocentium II. Pontificem maximum.

(6) *Hautcrest*, latinè *alta crista*, aliàs *Ocrt*, *Aucres* & *Ocrest*, olim Abbatia Cisterciensis ordinis in praefectura *Oron* apud Bernates, duabus leucis ab oppido *Vevai* Germanicè *Vivis;* Praefectus in *Oron* recipit census hujus monasterii nunc extincti. Monachi ejusdem Abbatiae primas plantaverunt vineas in *Desaley* vel *Reifthal* ubi sapidissimum crescit vinum. Nobiles *de Blonay* praecipui hujus monasterii benefactores cum Episcopis Lausannensibus & Comitibus de *Griers* celebrantur. Abbatia saeculo addicta fuit, anno 1536, cum Comitatum *Vaudi* invasissent Bernenses; & eorum jussu haec

haec Abbatia fuit reformata. Superfunt illius rudera. Jacebat ea in valle inamoena. Vide *Leu* Hiftoric. Helvetiae Lexicon T. IX. p. 513.

(7) Scilicet, Ciftercienfis ordinis.

(8) Id eft, Laufannenfis Capituli.

(9) *Majores*, Germanicè *Meyer*, Gallicè *Maire* vel *Maieur*, erant rufticarum poffeffionum & villarum adminiftratores. Fuerunt autem *villici ifti majores* ab initio ex plebe & vulgo: poftea progreffione facta, cum a Dominis fuis, non Principibus tantum, fed vero Baronibus & Nobilibus, praedia in beneficium five feudum, ut Jurisconfulti loquntur, accepiffent, eo titulo etiam nobilitatem fibi vindicare coeperunt. Quo ex fonte infinita Nobilium profluxit multitudo. Quidam etiam ab officio nomen retentarunt, quorum ingens apud Alamanno-Helvetios numerus. Multa differuit de *Villicis majoribus* Goldaftus T. I. parte I. Alamannicar. rer. p. 115. Francofurti 1661. in fol.

(10) Nobiles *de Chebres*, Vaffi Ecclefiae Laufannenfis. *Chebres*, aliàs *Chexbres*, pagus & parochia in praefectura Laufannae, apud Bernates.

(11) Poeydoux, vel *Poedoux* feu *Poejoux*, pagus in parochia *Chebres* in praefectura Laufannae.

(12) *Pallexu*, hodie *Palaifieux*, olim *Palaifuel*, latinè *Palatiolum*, ingens pagus & parochia cum ponte fupra flumen *la Broye* in praefectura *Oron* apud Bernenfes.

(13) *Deleyfe*, hodiernum ignoramus nomen.

(14) *Pons Ordeorum* vel *Hordeorum*, Gallicè *pont d'orge*.

(15) *Corbeyrier*, *Corbeiry*, *Corbiera*, *Corbieres*, pagus in parochia & praefectura *Aigle* apud Bernates.

(16) *Villare-Gramonis*, dantur in diftrictu *Vaudi*, Cantonis Bernenfis, plures pagi & villae, nomine *Villard*, *Villard le grand*, *Villar - Sainte-Croix*, *Villars*, *Villars - Bruyna*, *Villars - le - Comte*, *Villars - Mendroz &c.*

(17) *Blonai* vel *Blonay*, arx in praefectura *Vevai* apud Bernates, fedes primaeva Baronum de *Blonay*, quorum ramus in Sabaudia adhuc claret.

(18) *Biordaz*, fluviolus qui in flumen *la Broie* influit prope *les Tavernes* in praefectura *Oron* apud Bernates.

(19) *Efcotals* vel *Efcoit*, nunc *Es-coteaux*, numerofus pagus in parochia *Palaifieux* prope flumen *la Broye*, via tendente ab *Oron* ad oppidum *Vevai* in praefectura *Oron*.

 (20) *Per*

(20) *Per campos Grangiarum*, dantur plures pagi & villae nomine *Grange*, vel *Granges* in regione *Vaudi* apud Bernates.

(21) *Bay*, aliàs *Bex*, latinè *Baccae* seu *Baccium*, ingens pagus & unum e quatuor *mandamentis* praefecturae *Aigle*, aliàs *Aelen*, apud Bernenses, mediâ itineris leucâ ab *Agauno* seu *sancto Mauritio*.

(22) Anno 1134. quintae feriae erant inter diem 30. Novembris & 2. Februarii.

(23) Scilicet die 30. Novembris.

(24) Die 2. Februarii.

(25) Id est, in Claustro (*le Cloitre*,) Cathedralis Ecclesiae Lausannae.

(26) E Baronibus de *Grandson*, praepotentibus in Comitatu *Vaudi*, ubi & arx & oppidum *Grandson* ad lacum *Neo-castri* aliàs *Neuchâtel*, sub ditione Bernensis & Friburgensis Cantonum.

(27) Abbatia *Bellae-Vallis*, Gallicè *Belle-Vaux*, in Diocesi Bisuntina, ordinis Cisterciensis, in meditullio Comitatus Burgundiae, fundata fuit anno 1119. Vide *Jongelinum* ibidem p. 89. & seq.

XXXIX.

Carta anni 1137. *qua Guido Episcopus Lausannensis fundationem Abbatiae Altae ripae, vulgo* Hauterive, *Cisterciensis ordinis, Lausannensis diocesis, a Domino Wilhelmo de Glane conditae, confirmavit & hoc monasterium Guidoni Abbati Cariloci commisit.*

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Hauterive, *& Apographum T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 123. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

GUIDO (1) DEI GRATIA LAUSANNENSIS EPISCOPUS Charissimo filio suo Guidoni Abbati Cariloci (2) salutem & paternam benedictionem. Officii nostri multiplex exigit occupatio, ut religiosorum virorum diligamus consortium & utamur consilio. Cum enim Deum prae oculis habeant, falli siquidem possunt ex infirmitate conditionis, sed fallere nequeunt ex infirmitate religionis. Propterea Guido fili carissime religionis vestrae consilium sitientes, tibi in diocesi mea vestri ordinis Abbatiam construere gratanter annuimus, ac nostrae sedulitatis obse-

obſequium quantum noſtra permiſerit occupatio, benigne promittimus. Fratribus ergo Deo & beatae Mariae in Altaripa (3) ſervituris concedimus, & quod Apoſtolica ordini veſtro ſancitum eſt auctoritate, & nos praedictis fratribus auctoritate noſtrae confirmamus paginae. decimas videlicet laboris & totius nutrimenti eorum. praeterea quidquid in manu mea conceſſit Dominus Wilhelmus de Glane (4) eisdem fratribus libere & quiete perpetuo poſſidendum, ſcilicet totam Altaripam (5) praeter ſaccum frigidum, pesdum & creſſimentum circumquaque in campis & in nemore ſecundum quod diviſum fuit monacho & confratri tuo Germano, videntibus & teſtificantibus Wilenco de Cortion (6) & Petro miniſtro qui duo conceſſerunt quidquid ibidem habebant, laudante Hugone a quo praedictus Petrus habebat. Conceſſerunt etiam quidquid in eodem frigido pesdo habebant, Nantelmus de Groſſerio & Nantelmus de Ecuvillens. (7) Praeter haec conceſſit Dominus Wilhelmus (8) triginta ſex jugera cultae terrae apud Ecuvillens, pratum d'Oſſel, novem falcatas apud Dompierre (9), pratum Molinvaſin, fabricas de ſancto Simphoriano (10), quidquid habet in Unens (11) (ſi ſine haerede legitimae Uxoris ſeculum exierit.) Conceſſit etiam in manu mea quod quicumque de poſſe ſuo cauſa converſionis ad locum praedictum venire voluerit, libere veniat cum tota ſubſtantia ſua, & alodio ſuo. Similiter quidquid aliquis clericorum ad advocationem ejus pertinentium de terris ſive beneficiis Eccleſiae ſuae, pradictae domui concedere voluerit, & ipſe concedit ſi Lauſannenſis Epiſcopi potuerit aſſenſus haberi. Inſuper & uſimentum totius terrae ſuae. Dedit etiam in manu mea Uldricus de Neiruz (12) laudantibus filiis ſuis allodium ſuum de Sartari (13) usque ad campos de Matrens. (14) Confirmamus etiam praedictae domui donum Nantelmi filii Willelmi de Groſſerio & donum Wilenci de Curtion qui dederunt quidquid habebant in Deſaleio (15), coram Wilhelmo de Glane (16), Girardo de Ruverio, Petro presbitero, & donum Cononis de Porta, qui coram eisdem teſtibus dedit pratum Benzum. (17) Similiter & donum Wilelmi Clerici qui dedit caſale ſuum Decuvillens (18), laudante Petro presbitero & Domino Wilhelmo de Glane praeſentibus & videntibus Wilenco de Curtion, & Buamundo Joram. Similiter & donum Wilenci de Marly (19) qui dedit quidquid habebat ad portum, videntibus & teſtificantibus Germano monacho, & Joanne presbitero de Marly. Ut autem de his quae ad ius noſtrum pertinent, pauperum Domini ſuſtentetur neceſſitas, concedimus praedictis fratribus per annuum cenſum trium ſolidorum, & ut ratum permaneat Epiſcopali decernimus auctoritate quicquid Eccleſia de Unens habet in territo-

rio

rio ejusdem villae in campis & pratis, in nemoribus & usimentis & decimas totius laboris & nutrimenti eorum in illo territorio & aliis territoriis eidem Ecclesiae adjacentibus, & hoc laudantibus Wilhelmo Decano & Conone presbitero de Unens. Praeter haec laudante Petro presbitero de Ecuvillens concedimus eis (20) per annuum censum sex denariorum duodecim jugera terrae quae possidet Ecclesia de Ecuvillens. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo septimo indictione XV. (21) Actum solemniter apud sanctum Simphorianum. Testes Lambertus de Ponte (22). Pontius de Monte falconis. Guido de sancto Simphoriano. Guido de Poidus. Giroldus Salterius. Bonus filius. & Uldricus ministri.

Notae.

(1) Vide antesatam cartam anni 1134. pro Abbatia *Hautecrît* seu *Altacrista.*

(2) Abbatia *Cariloci*, Gallicè *Cherlieu*, in Comitatu Burgundiae & Dioecesi Bisuntina, ordinis Cisterciensis.

(3) *Altaripa*, Gallicè *Hauterive*, Germanicè *Alten-Ryf*, duabus leucis distat a civitate *Friburgo* in Oechtlandia, ad Sanam flumen. Haec Abbatia Cisterciensis ordinis, cujus descripta eximia documenta mihi (Beato fideli Antonio Libero Baroni de Turre-Castellionis - Zur - Lauben, tunc Brigadiero in exercitibus Regis Christianissimi), maximè benevolus mense Aprili 1761. transmisit Reverendissimus & praenobilis Bernardus de *Lenzburg*, magnus Cellarius & Archivista ejusdem monasterii, qui eodem anno, mense Septembri, electus illius dignissimus Abbas, quique anno 1783. a summo Pontifice Pio VI. nominatus fuit, Episcopus Lausannensis, Praesul omnibus virtutibus & mirabili scientia perillustris. Utinam Nestoreos obtineat annos! Gens *de Lenzburg* Baronum eminet antiquitate & splendore inter praecipuas veteris & novae Helvetiae prosapias, olim in Argovia, nunc autem a quatuor ferè saeculis Friburgi vigens. Porro autem Abbatia *Hauterive* in Cantone Friburgensi & sub illius Reipublicae Advocatia floret.

(4) Barones de *Glane* vel de *Glana*, sanguine conjuncti cum Comitibus Burgundiae, Genevae, Grueriae &c. quorum ultimus, *Wilhelmus*, fundator Abbatiae *Hauterive*, anno 1137. amplissima possiderant dominia. Eorum arx, *Glana* vel *Glanna*, nunc in ruinis, eminebat rupe inter flumina *Sanam* & *Glanam*, in hodierna Friburgensium praefectura *Illens*.

(5) Totus

(5) Totus diſtrictus *Hauterive*, latinè *Altaripa*, Dominis *de Glane* pertinebat, rigatus a flumine vel fluviolo *Glane* qui *Sanam* intrat infra Abbatiam *Hauterive*.

(6) *Courtion* vel *Curtion*, pagus & parochia in *veteri territorio* civitatis Friburgi, ubi olim ſaeculis XII. & XIII. dominabantur Nobiles ejusdem nominis.

(7) *Ecuvillens* vel *Eſcuvillens*, parochia & pagus *in veteri territorio* civitatis Friburgi, in qua Abbatia *Hauterive* poſſidet minorem jurisdictionem & feoda una cum Praefecto Friburgenſium qui praeeſt in *Illens*. Ex illa parochia pendent pagi *Poiſieux*, *Les Moneiſes*, *Frodeville*, *Magredens*, *&c.*

(8) Scilicet *de Glane*.

(9) *Dompierre*, latinè *Templum Petri*, parochia & pagus ad flumen *Broye*, in praefectura *Montenach* vel *Montagni* in ditione Reipublicae Friburgenſis, inter *Avenche*, olim *Aventicum*, & *Payerne*, latinè *Paterniacum*.

(10) *De ſancto Simphoriano*, hodie, ut puto, oppidulum & parochia *Saint-Saphorin*, prope lacum Lemanum, in praefectura Lauſannae, ditione Reipublicae Bernenſis.

(11) Hodie *Onnens*, ingens pagus *in veteri territorio civitatis Friburgi*, Abbatia *Hauterive* illius pagi dominium poſſidet.

(12) Nobiles de *Neiruz* vel *Nirvos*, erant Domini pagi ejusdem nominis, qui ſitus eſt in parochia *Matran*, *veteri* autem *territorio* civitatis Friburgi. Illic *baſſam* jurisdictionem exercet Abbatia *Hauterive*.

(13) *Sartari*, pagellus *Eſſert* in parochia *Treyvaux* in *veteri territorio* civitatis Friburgi.

(14) *Matran*, pagus & parochia in *veteri territorio* civitatis Friburgi.

(15) *In Deſaleio*, *Deſſaley*, ingens mons vineis ferax cum multis villis in parochia *Saint-Saphorin*, praefectura Lauſannae & ditione Reipublicae Bernenſis.

(16) Scilicet *Dominus de Glane*, fundator monaſterii *Hauterive*.

(17) Aliud apographum fert: *pratum Bennum*.

(18) Vide notam *Nro.* 7.

(19) Hodie *Marlie*, pagus & numeroſa parochia in *veteri territorio* civitatis Friburgi, ibi olim dominabantur Nobiles *de Marlie* vel *Marly*.

(20) *Secundum aliud apographum*, concedimus vobis per annuum cenſum ſex denariorum &c.

(21) Indi-

(21) Indictio XV. currebat anno 1137. non autem XX. ut putabat indoctus Amanuensis qui eandem cartam Saeculo XV. transcripsit, quique Indictionum quantitatem penitùs ignorabat, cum numerum V. adjunctum X. transmutaverit in alium similem numerum X, utpote XX. pro XV.

(22) Nobiles *de Pont* inter Benefactores Abbatiae *Hauterive* pluribus celebrantur documentis. Eorum sedes erat in Cantone Friburgensi.

XL.

Bulla Innocentii II. Papae, qua confirmat monasterio sancti Galli ad petitionem Warneri Abbatis omnia privilegia a Sede Apostolica impetrata, cum omnibus bonis, possessionibus, tam adeptis & possessis, quam adipiscendis & possidendis; statuiturque, ne ullius potestatis persona, invito Abbate & fratribus, coenobium ingredi audeat, aut praesumat divina officia in eodem interdicere, nec non idem monasterium sub Apostolicae Sedis tuitione recipitur. II. Idus April. MCXXXIX.

Autographum pergamenum in Scriniis Principalis Abbatiae sancti Galli; Apographum autem Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana, T. I. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum p. 552-553. Msc. in fol.

Innocentius (1) Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Warnero (2) Abbati Sancti Galli, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Licet omnibus fidelibus debitores ex injuncto nobis a Deo Apostolatus officio, ac benevolentia existamus, illis tamen propensiori cura nos convenit imminere, & Ecclesiis sibi commissis suam iustitiam conservare, quos ad Sedem Apostolicam specialiter pertinere, & de ipsius proprietate constat existere. Hoc nimirum intuitu, dilecte in Domino fili Warnere Abbas, tuis petitionibus clementer annuimus, & Monasterium Sancti Galli, cui Deo auctore praesides, ad exemplum Predecessoris nostri bonae memoriae Joannis (3) Papae praesentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quaecumque bona in praesentiarum idem locus iuste & canonice possidet, aut in futurum largitione Regum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Adjicientes etiam, ut Libertates atque praerogativa per privilegia predecessorum nostrorum piae recordationis Burkardus (4) quondam provisor ipsius loci a Sede Aposto-

Apostolica impetravit, sibi tuisque successoribus inviolata serventur. Ut videlicet nulla Ecclesiastica saecularisve potestas, seu cujuslibet conditionis aut ordinis contra voluntatem Abbatis & fratrum idem monasterium introire praesumat, nec in quibuslibet titulis Ecclesiis decimis, patrimoniis, seu quibuslibet possessionibus, ad eundem locum venerabilem pertinentibus in debitas exactiones, aut consuetudines imponere audeat, nec quolibet argumenti ingenio, in praefato monasterio divinum praesumat officium inderdicere. sed potius sicut ab antiquo, & usque ad haec tempora idem monasterium in sua Libertate permansit, ita sub Apostolicae Sedis tuitione in perpetuum perseveret. Sancimus etiam, ut decimas & possessiones, quas Advocatus (5) ejusdem loci sufficientibus testibus vel iuramento ipsi monasterio vindicare vel confirmare potuerit, nulli unquam reddere compellatur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium super hac nostra concessione ac confirmatione temerè perturbare, vel ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliis quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integrè conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua sanè in posterum ecclesiastica, saecularisve persona, hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, si non congruè satisfecerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemtoris nostri JESU Christi aliena fiat. Cunctis autem eidem coenobio sua iura servantibus sit Pax Domini nostri JESU Christi, quatenus hic fructum bonae actionis percipiant, & praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus. SS.

Ego Lucas presb. Card. tit. sanctorum Johannis & Pauli. SS.

Data Laterani, per manum Almerici sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis & Cancellarii. II. Idus (6) April. indict. II. Dominicae incarnationis MCXXXIX. Pontificatus Domini Innocentii Papae II. anno X.

Notae.

(1) Mortuo Honorio Papa II, Pontifex acclamatus anno 1130. die 14. vel 15. Februarii, obiit autem 24. Septembris 1143.

(2) De eo haec necrologii *San-Gallensis* notae habent: *VI. Non. Julii obiit Warnherus Abbas noster.* Communibus suffragiis electus, ad monasterii cla-

 vum

vum sedere coepit anno 1135. Severior initio erga suos, sed demum austeritate in pietatem mutata, non tantum virtutum cultor sedulus ipse fuit, sed etiam monasterii commoda pro virili promovit. Praepositurам sancti Leonardi in suburbio San-Gallensi fundavit & dotavit. Ejusdemque auctoritate ac munificentia fundatum est Monasterium, seu Collegium Canonicorum Regularium sancti Augustini Ittingae, & aliud quoque Sanctimonialium ibidem. Obiit anno 1167. De eo multa *Burkhardus* in libro de casibus monasterii sancti Galli cap. IX. pag. 71. apud *Goldastum* inter Rer. Alamannicar. scriptores T. I. parte I. Francofurti 1661. in fol.

(3) Scilicet *Johannes* XIII. qui sedit ab anno 965. usque ad an. 972.

(4) Anno 968. bullam Johannis XIII. Papae impetravit Burcardus Abbas sancti Galli, quae bulla adhuc servatur in ejusdem Abbatiae Scriniis.

(5) Advocatus erat monasterii hoc tempore Udalricus Comes de *Gameringa*, seu *Gamertinga*, (oppidum modò est propè *Veringam*,) qui ibi unà cum filio suo cum obiisset, Wernerus Abbas hypothecae nomine Advocatiam Monasterio vindicavit, ita ut deinceps electio Advocati penes Abbatem foret, eodem tamen non careret. Melioris deinde & fortioris tutelae gratia idem Abbas Comitem Rudolphum de *Pfullendorf* Advocatum sibi adscivit, acceptis ab eo CCC. marcis argenti, qui anno 1167. Jerosolymam aditurus divinisque se ad Dominicum sepulcrum servitiis addicturus Advocatiae renuntiavit, quam Wernerus Abbas Rudolpho Comiti de Habspurg contulit, authenticis litteris quae adhuc supersunt in Scriniis Abbatiae sancti Galli.

(6) Die XII. Aprilis 1139. currebat Indictio secunda, & simul annus decimus Pontificatûs Innocentii II. electi anno 1130. mense Februario. Praesens bulla plumbo pendenti munita est.

XLI.

Carta anni 1139. *qua Guido Lausannensis Episcopus ampliavit fundationem Abbatiae Altaeripae, aliàs* Hauterive, *Cistertiensis Ordinis.*

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Hauterive, Apographum autem Tomo primo Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum *p.* 550-551. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

GUIDO

GUIDO (1) DEI GRATIA LAUSANNENSIS EPISCOPUS chariſſimo filio Girardo (2) Abbati Altaeripae ſalutem & paternam benedictionem. Quae Religionis ſtudio & ſanctitatis amore locis Deo dicatis conferuntur, convenit ut Pontificali Auctoritate & Eccleſiaſtico munimine velut Sanctum Domini protegantur. Quapropter *Girarde* fili chariſſime Eccleſiam de Altaripa in qua & te, Deo Authore Abbatem inſtitutum, ſub noſtra noſtrorumque Succeſſorum protectione in perpetuum aſſignamus. Quod etiam Apoſtolica Ordini veſtro ſancitum eſt auctoritate, & nos tibi tuisque Succeſſoribus auctoritatis noſtrae confirmamus pagina, decimas videlicet laboris ac totius nutrimenti veſtri. Praeterea quicquid in manu mea Dominus Willhelmus de Glana (3) conceſſit vobis libere & quiete perpetuo poſſidendum, ſcilicet totam Altam ripam, praeter ſaccum, frigidum (4) peſſum & creſſimentum circumquaque in campis & in nemore, ſecundum quod diviſum fuit confratri tuo Germano videntibus & teſtificantibus Willenco de Curtiun & Petro Miniſtro qui duo conceſſerunt quicquid ibidem habebant, laudante Hugone a quo praedictus Petrus habebat. Conceſſerunt etiam quicquid in eodem frigido peſſo habebant Nantelmus de Groslerio (5) & Nantelmus de Eſcuvillens. Praeter haec conceſſit Dominus Willelmus triginta ſex jugera cultae terrae apud Eſcuvillens, pratum Doſſel, quatuordecim falcatas prati apud Dompierre, pratum Molin-Waſin (6), fabricas de ſancto Simphoriano, quicquid habet in Uneus, ſi ſine haerede legitimae Mulieris ſaeculum exierit, inſuper & uſamentum terrae. Conceſſit & in manu mea quod quicumque de poſſe ſuo cauſa converſionis ad locum veſtrum venire voluerit, libere veniat cum tota ſubſtantia ſua & allodio ſuo. Similiter quicquid aliquis Clericorum ad Advocationem ejus pertinentium de terris, ſive beneficiis Eccleſiae ſuae domui veſtrae concedere voluerit & ipſe concedit, ſi Lauſannenſis Epiſcopi poterit haberi aſſenſus. Dedit etiam in manu mea Uldricus (7) de Uneins laudantibus filiis ſuis allodium ſuum de Sartari usque ad campos de Maſtrans (8). Confirmamus etiam Vobis donum Nantelmi filii Willelmi de Groslerio & donum Wilenci de Curtiun qui dederunt quidquid habebant in Deſaleio coram Willelmo de Glana, Sicardo (9) de Rivorio, Petro presbitero, & donum Cononis de Porta qui coram eisdem dedit pratum Bertiu (10), ſed & donum Willelmi Clerici qui dedit caſale ſuum de Eſcuvillens, laudante Petro presbitero & Domino Willelmo de Glana, praeſentibus Willenco de Curtiun & Buamundo Joram. Sed & donum Willelmi de Marly qui dedit quicquid habebat ad portum videntibus & teſtificantibus Germano Monacho & Joanne Presbitero de Marli. Praeterea Vobis con-

confirmamus quod super addidit Willelmus de Glana, quicquid videlicet habebat in Mons-joublours (11), praesentibus Wilenco de Curtiun, Conone de Fervarniaco (12), Joram de Nurvus, & quod concessit Amadeus Comes Gebennensis (13), quidquid videlicet de feodo suo vestrae Ecclesiae dedit, vel daturus est aliquis. Testes sunt Willelmus de Glana, Torinus & Joran de Grueria (14), Radulphus de Ponte (15). Ut autem de his quae ad ius nostrum pertinent, pauperum Christi sustentetur necessitas, concedimus Vobis per annuum censum trium solidorum, & ut ratum permaneat, Episcopali decernimus auctoritate, quicquid Ecclesia de Unens habet in territorio ejusdem villae, in campis, in pratis, in nemoribus, & usimentis, & decimas totius laboris & nutrimenti vestri in illo territorio & in aliis territoriis eidem Ecclesiae adjacentibus, & hoc laudantibus Willelmo Decano & Conone presbitero de Unens. Praeter haec laudante Petro presbitero de Escuvillens, concedimus Vobis per censum sex denariorum duodecim jugera terrae quam possidet Ecclesia de Escuvillens, & decimas totius laboris ac nutrimenti vestri in illo territorio & in aliis territoriis eidem Ecclesiae adjacentibus. Imo paci & utilitati vestrae paterno consulentes affectu, totam Ecclesiam de Unens cum omnibus quae possidet, Vobis concedimus. Sed ne possessorem Ecclesiae de Escuvillens in cujus parochia vestrum situm est monasterium, aliqua Vobis in posterum oriatur infestatio, tibi tuisque Successoribus hoc juris in praedictam donamus Ecclesiam, ut nulla detur, nisi sacerdoti qui vestrum habet assensum, ita plane ut quamdiu secundum vestrum consilium, suum honorificare studuerit ministerium, Ecclesiam teneat, alioquin ad vestrum imperium eam dimittat & vestro iterum assensu alius qui dignus sit, subrogetur. Actum solemniter apud Aventhicum (16) Anno ab incarnatione Domini Millesimo centesimo trigesimo nono, indictione prima (17), praesentibus Petro de Ponte (18), Uldrico de Campanis, Aymone de Gairistan (19) & Lupoldo fratre ejus, & Conone de Crissi (20).

Notae.

(1) Vide antefatas Cartas 1134. & 1137.

(2) *Girardus* primus Abbas Altaeripae, olim Monachus *Cariloci* (*Cherlieu*) in Comitatu Burgundiae, e quo monasterio educti primi Monachi Altaeripae. Vide Cartam anni 1137. Traditio fert *Girardum* de quo praesens Instrumentum, fuisse primitùs discipulum sancti Bernardi Abbatis Claravallensis cujus cura anno 1131. condita est Abbatia *Cariloci*.

(3) Vel

(3) Vel *de Glane*, ut docet Carta 1137.

(4) Conferas cum praesenti instrumento Cartam anni 1137.

(5) Carta anni 1137. *de Grosserio.*

(6) Secundùm Cartam 1137, *Molinvasin.*

(7) Secundùm eandem Cartam anni 1137. *Uldricus de Neiruz.*

(8) Aliud Apographum fert: *de Matrens.* Jacet in *veteri territorio* civitatis Friburgi pagus & parochia *Matran.*

(9) Ex alio Apographo: *Girardo de Ruverio.* Vide Cartam anni 1137.

(10) Vide Notam (17) Cartae anni 1137.

(11) *Mons-joublours*, hodiernum nomen ignoro.

(12) *Fervarniaco*, hodie *Farvagnie*, Germanicè *Favernach*, parochia & pagus in Cantone Friburgensi, caput unius Praefecturae aliàs dictae *Pont.*

(13) *Amadeus Comes Gebennensis*, cujus parentes Aymo & Ita, uxor Matildis, & frater Wilelmus; teste Carta anni 1153. qua concessionem fecit Monasterio *Abundantiae*, illius filii Wilelmus & Amedeus eodem memorantur Instrumento quod extat apud *Guichenonium* in *Bibliotheca Sebusiana* p. 342-343. Lugduni 1660. in 4to.

(14) *Torinus & Joran de Grueria* erant e prosapia Comitum illius nominis, aliàs de *Gruiere*, qui Annalibus Helvetiae & Sabaudiae sunt celeberrimi.

(15) Nobiles *de Ponte*, Gallicè *de Pont* inter Benefactores Abbatiae Altaeripae memorantur.

(16) *Avenche*, oppidum *Vaudi* in Cantone Bernensi, olim Aventicum Helvetiae caput, teste *Tacito*, & prima sedes Episcoporum Lausannensium.

(17) Indictio I. quae incoeperat mense Septembri 1138. adhuc currebat 1139.

(18) *De Ponte*, vide Notam praefatam (15).

(19) *De Gairistan*, Nobiles de *Gerenstein* suam habebant arcem in villa ejusdem nominis propè *Bernam* in parochia *Bollingen*, ex illis *Heino* vel *Aimo* de *Gerenstein* erat anno 1218. civis Solodori. Vide *Leu*, Hist. Helvetiae Lexicon T. VIII. p. 433-434.

(20) *De Crissi*, hodie *Cresier*, parochia & pagus in *veteri territorio* civitatis Friburgi, olim suos ejusdem nominis Nobiles habebant.

XLII.

Sententia quam tulit anno MCLIV. die 10. Julii Orliebus Episcopus Basiliensis, Sedis Apostolicae Delegatus super ortis controversiis inter Ecclesiam Bisuntinam & Episcopum Lausannensem ratione villarum de Curtimo & Lustrimo in dicto Episcopatu sitis & ad dictam Ecclesiam pertinentibus.

Autographum pergamenum, signatum D. B. in Scriniis Inclitissimae Reipublicae Bernensis; Apographum autem Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana, T. I. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum, p. 573-574. MS. in folio.

ORLYEBUS (1) Dei gratia Episcopus Basiliensis, Bisuntinae (2) Ecclesiae in perpetuum notum fit omnibus praesentibus & futuris controversiam inter Lausanensem Episcopum & Ecclesiam Bisuntinam diutius agitatam à nobis, cui autoritate Apostolica fuerat delegata, taliter decisam. Partibus ante praesentiam nostram constitutis apud Novum (3) castrum Evocatis, honestarum testimonio personarum Arduici (4) videlicet Gebennensis Episcopi, Narduini Abbatis Montis (5) Benedicti, Landuini Bisuntini Decani, Ermenradii, Geroldi Lausanensis Decanorum, Lamberti de Ponte utriusque Ecclesiae Canonicorum, Ludovici Dapiferi & aliorum quam plurium recognitum est, antiquos & legitimos viros curasse quod villicus de Lustriano (6) in terra Canonicorum (7) sancti Johannis & sancti Stephani in Custiaco & in appendiciis ejus nullam habet villicationem. Item requisitum est quod homines de Custiaco Lausanensi Episcopo pro usu nemorum septem signa quae vulgo dicuntur Syleya (8) & septem minas avenae singulis annis debent persolvere. Item recognitum est quod Episcopus Lausanensis debet eos custodire & a se & ab aliis. & si in villam Custacum venerit, & querela inter eos emerserit, Episcopus debet pacem reformare sine pecuniaria executione. Et si contigerit Episcopum eumdem locum venire, ita competenter eorum servitia suscipiat, ut nec de suo, nec de suis querimonia oriri rationaliter possit vel debuit. Item Lausanensis Episcopus concessit Bisuntinis Canonicis libertatem hominum suorum in utroque sexu ad terram Canonicorum transeuntium tam in conjunctis in matrimonio quam conjungendis, hanc eandem libertatem Canonici concesserunt Episcopo super suis hominibus. Hujus compositionis testes sunt, Magno Abbas de Altcrest (9), Gerardus Abbas Altae (10) Ripae, Petrus Prior sancti (11) Pauli Bisuntini, Guillelmus Prior sancti Marii (12) Lausa-

Lausanensis, Siginandus Praepositus Monasteriensis (13), Petrus Cantor sancti Stephani. (14) Quia igitur in hac causa terminanda per gratiam summi Pontificis (15) Legationem accepimus autoritate Sedis Apostolicae & nostra sicut definitum est, inviolabiliter teneri praecepimus. Actum feliciter apud Novum Castrum situm supra lacum, anno ab incarnatione Domini M.C.LIV. indict. (16) II. Datum Monasterii (17) sub sigillo nostro VI. Jd. (18) Julii.

Notae.

(1) Nomen Episcopi Basiliensis est ab Amanuensi germanici idiomatis ignaro corruptum. Vocabatur *Ortliebus* ut docet diploma illi concessum de jure monetae cudendae, a Rege Romanorum Conrado III, datum Ratisbonae Kal. Junii 1149 quod legitur apud *Mascovium* p. 354-355. in Commentariis de rebus Imperii Romano-Germanici sub Lothario secundo & Conrado tertio. Lipsiae 1753. in 4to. *Ortliebus*, e Comitibus de *Froburg* natus, unus ex praestantissimis Ecclesiae Basiliensis Praesulibus, rexit cum immortali laude ab anno 1140. usque ad suam mortem 1167.

(2) Gallicè *Besançon*, & Germanicè *Bisanz*, civitas & caput Comitatûs Burgundiae, Archiepiscopus *Bisuntinus* seu *Vesontionensis* est sacri Romani Imperii Princeps, & Metropolitanus Episcoporum Basiliensis, Lausannensis & Bellicensis. Illius Diocesis historiam Ecclesiasticam Gallicè vulgavit duobus tomis *in 4to* Eruditissimus Sequanus *Dunod*, quam videre oportet pro majori intelligentia praesentis instrumenti.

(3) Id est *Neuchâtel*, Germanicè autem *Neuburg*, oppidum cum arce caput Comitatûs illius nominis in Helvetia, olim in diocesi Lausannensi, ante mutatae Religionis epocham.

(4) *Arducius* vel *Ardutius*, celeberrimus Episcopus Genevae ab anno 1135. usque ad suam mortem 1185. Vide *Besson*, Memoires pour l'histoire Ecclesiastique des diocéses de Geneve, Tarantaise, Aoste & Maurienne, & du Decanat de Savoye, pag. 15. - 20. Annecy 1759. *in 4to.*

(5) *Abbatia Montis Benedicti*, vulgò *Mont-Benoit*, de illa vide scriptores *Galliae Christianae.*

(6) *Villicus de Lustriano*, Gallicè *le Maire de Lutry* vel *Lutri*, Nobilis vassus Ecclesiae Lausannensis, sic appellabatur ab oppidulo *Lutry*, inter Lausannam & *Vevay* in Comitatu Vaudi, nunc ditione Bernensium, sito.

(7) Cano-

(7) Canonici ſancti Johannis & ſancti Stephani Biſuntinae civitatis ſicut & Archiepiſcopus illius Metropolis plurima in Comitatu Vaudi poſſidebant dominia, inter quae *Cuſtiacum*, quod *Cugy* pagum fuiſſe ſuſpicor, ſicut & *Curtimum*, de quo hujus Cartae vetus inſcriptio *Corzi ſus Lutri*, elegans pagus in praefectura Lauſannae & in parochia *Lutri* ſitus.

(8) De hoc verbo Burgundici idiomatis *Syleia* conſulere oportet Gloſſarium infimae latinitatis, auctore *Gangio* & ejus continuatoribus Benedictinis.

(9) Vulgò *Hautcreſt*, olim Abbatia celebris in dioceſi Lauſannenſi, Ciſtercienſis ordinis, nunc ſaeculo addicta & Praefecturae *Oron* quae Bernenſibus paret, incorporata, in Comitatu Vaud, *dans le païs de Vaud.*

(10) *Hauterive*, ordinis Ciſtercienſis, in dioceſi Lauſannenſi, ſub dominio Reipublicae Friburgenſis, celeberrima Abbatia cujus Abbas eſt hodiernus Epiſcopus Lauſannenſis, e praenobili proſapia Baronum de Lenzburg natus.

(11) Vide *Dunod* in hiſtoria Eccleſiaſtica dioceſis Biſuntini.

(12) De *ſancti Marii* Prioratu Benedictino, vulgò *Saint-Maire*, in civitate Lauſanna, vide *Leu*, Hiſtoricum Helvetiae Lexicon T. XI. p. 433. & 466. & Galliae Chriſtianae ſcriptores.

(13) Olim celebre erat Collegium Canonicorum vulgò *die Probſtey Munſter in Granfelden*, Gallicè *Moſtier de Grand-Val*, nunc ſaeculo datum ex quo incolae illius vallis, licet ſubditi Epiſcopi Baſilienſis, ſed tamen concives civitatis Bernae, annis 1529. & 1531. novam amplexi fuerint Religionis reformationem.

(14) Sancti Stephani in civitate *Beſançon*, Germanicè *Biſanz.*

(15) Anno 1154. die 10. Julii erat ſummus Eccleſiae Pontifex Anaſtaſius IV, qui electus fuerat die 9. Julii 1153. & mortuus eſt die 2. Decembris 1154. cui ſucceſſit Adrianus IV. Vide *l'Art de verifier les dates* p. 290. *edit. in folio.*

(16) Indictio *ſecunda* currebat die 10. Julii 1154.

(17) Id eſt *Munſter*, Gallicè *Moutier en Grandvaux*, ingens pagus ad Birſam flumen, Caput vallis Monaſterienſis, *Munſterthal*, ubi olim Praepoſitura Canonicorum, in ditione Principis Epiſcopi Baſilienſis.

(18) Scilicet die 10. Julii 1154. Erat tunc Epiſcopus Lauſannenſis Amadeus vel Amedeus cujus nomen inter *Beatos* colitur.

XLIII.

XLIII.

Carta Amedei Lausannensis Episcopi, pro Monasterio Altecrestae, *vulgò* Hautecrest, *Cisterciensis Ordinis,* *M.C.LIV.*

Autographum pergamenum in Scriniis inclitissimae Reipublicae Bernensis, & Apographum T. V. Lib. XII. p. 25. *diplomaticae collectionis Abrahami* Ruchat, *quae collectio manuscripta, Helveticam maxime concernens Historiam, Bernae in Bibliotheca publica servatur; idem autem apographum legitur T. I. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum p.* 140-144. *Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

In nomine sanctae & individuae Trinitatis. Ego Amedeus (1) Dei gratia Lausannensis Ecclesiae Episcopus, Pauperibus Christi de Altocresth (2) in perpetuum. Cum omnes deceat in commune fideles, res & actus suos, duce ratione, sine fraude & dolo disponere, potissimum tamen Pontificibus atque sanctae Ecclesiae Primatibus, taliter ecclesiastica negotia convenit ordinare, ut nulla ea delens omnia oblivio obnubilet vel obscuret, & quod sit, confutatis rectè facta depravare volentibus atque repulsis, firmum illibatumque perseveret. Unde ego Amedeus Lausannensis Ecclesiae Episcopus pactum & convenientiam quam de plantandis vineis de Desale (3), cum venerabili Manno (4) Abbate aliisque fratribus de Altcresth olim habuimus, ne temporis forte longinquitate obfuscetur vel deleatur, scripto notificare & confirmare curavi. Terram itaque de Desale tradens eis ad medietariam, desertam atque incultam, XX. libras post quartum annum, pro eorum laboribus & expensis me redditurum spopondi. Quod si hoc secus, ut assolet, quam convenimus contingeret, tam diu vinearum fructum retinerent, quousque supradictas XX. libras reciperent. Concessimus quoque eis, post nostrum ex hac vita discessum, vel si forte quolibet modo me Lausannensis Ecclesia privaretur pontifice, omnium vinearum medietatem in alodium & elemosinam, dilectionis ac pietatis intuitu, ut videlicet vineis medietenus divisis, saepe memorati fratres partem suam libere possidere valeant. Quod si fratres reliquam medietatem operari voluerint, pro laboribus suis & expensis dimidium vinum recipiant. Haec hactenus. Necessitate vero postmodum ecclesiastica urgente, alias, super easdem vineas ut XXX. haberent, decem libras a supradictis fratribus accepimus. Quae videlicet XXX. librae quo conditionis tenore a nobis vel ab alio nostro quolibet, sive Lausannensi duntaxat Episcopo,

 reddi

reddi debeant, ut neminem lateat, his caracteribus omnibus Christi fidelibus manifestum fiat. Erunt itaque fratres de Altocresth, jure & ratione inter nos confirmati pacti, totius vineae possessores, donec eis in simul XX. librae in argento vel nummis a nobis, ut dictum est, persolvantur. Quibus a nobis persolutis, & a fratribus receptis, dimidium deinceps vinearum vinum annuatim tempore vindemiarum appreciabitur, & hoc tam diu fiet, usque quo recipiantur a fratribus decem reliquae librae. Hoc autem totum solenniter actum est in capitulo nostro, laudantibus Ardutio (5) Gebennensi Episcopo, Praeposito videlicet Ecclesie nostre & Canonicis, Lodoico Dapifero (6) & Dalmacio privigno ejus, & quibusdam aliis ejusdem Ecclesiae officialibus. — At cum diligens praecedentium patrum industria, pro rerum bene gestarum conservanda concordia, necessarium fore praevidit si ecclesiasticae auctoritatis censura, eorum negotia & iura munirentur. Idcirco supradictis fratribus obnixius petentibus ecclesiae nostrae auctoritate nostrique caracteris imagine sibi confirmari elemosinas, emtiones & beneficia, quae adepti fuerant, vel quae in futurum iuste possunt adipisci, gratulabundi annuimus, ut vel sic jurgiorum fomes extingueretur, & malignorum calumnie sopirentur. Confirmamus igitur eis terram contiguam Abbatiae, sicut extenditur semita de Paleisol (7), per pratum de Laysi (8), usque ad pontem Ordeorum, & ex altera parte a ponte Ordeorum, sicut rivus ejusdem pontis dilabitur in Corbirum (9), & ab inde sicut Corbirum extenditur, & aisentias (10) & usamenta per totam terram Episcopatus Ecclesiae nostrae, & quicquid Bonus-filius de Chebres (11) — Preterea confirmamus quicquid dederunt Amadeus de Blenaio (12), & Galcherius filius ejus, inter duas aquas Biurde (13) & Corbirum, sub via quae ab Escotals (14) per campos Grangiarum (15) tendit Lausannam. — Confirmamus etiam Ecclesias de Oruns (16) & de Castellans (17), quas Hugo Clericus de Billens (18) wirpivit in manu mea. Sanximus etiam terram de Sartis (19), terram de Dosa (20), terram de Frochais (21), pratum Leporinum. Nemus usque ad fontem Chiblin (22), totam terram de Castellans, partem illam nemoris de Oruns, quam Prior Hugo (23) Sancti Mauricii assensu Capituli sui dedit. — Terram de Daisiloi (24) quam Guido Lausannensis Episcopus dedit (25) ad faciendum vineas. — Statuimus etiam ut nulla Ecclesiastica Secularisve persona de laboribus vestris, de nutrimento vel agricultura, decimam a vobis praesumat exigere. Sed omnia vobis illibata permaneant, pauperum usibus profutura. Ne autem aliquis ausu temerario praesentis paginae decretum infringere conetur, anathematis sententiam interponimus, & nisi ad emen-

emendationem redierit, a participatione Corporis & Sanguinis Domini sequestramus. Actum est Anno Dominicae Incarnationis M.C.LIIII. Frederico (26) Imperatore, & Amedeo (27) Gebennensi consule, regnantibus.

Notae.

(1) Beatus *Amedeus*, qui Guidoni successerat in Sede Lausannensi, olim Monachus Claraevallis, & Abbas *de Altacomba* (*Hautecombe*) Cisterc. Ordinis, obiit die 27. Septembris 1159. secundùm Martyrologium Ecclesiae Gallicanae.

(2) Vide Cartam praecedentem anni 1134. de Abbatia *Hautecrest.*

(3) *Desale* hodie *Dessaley*, ingens vinearum mons cum plurimis villis in parochia *Saint-Saphorin*, in praefectura Lausannae apud Bernates.

(4) In Carta Humberti *Mauriacensis* Comitis & Marchionis pro Monasterio *de Alecrest* 1150. appellatur *Magno Abbas.*

(5) *Arductus* vel *Ardutius* filius Rodolphi Domini *de Fucigniaco* (*de Foussigni*) Genevensem rexit Ecclesiam ab anno 1135. usque ad an. 1185. quo obiit, vir immortalis laudis.

(6) Episcopus Lausannensis suos haereditarios Dapiferos, e nobili ortos stemmate, more aliorum Principum Imperii, habebat.

(7) Vide Cartam praecedentem anni 1134.

(8) Carta praecedens anni 1134. ait: *pratum Deleyse.*

(9) Vide Cartam praecedentem anni 1134.

(10) *Aisentias*, vide *Cangii* Glossarium infimae latinitatis.

(11) Vide Cartam anni 1134. de Nobilibus *de Chebres.*

(12) Carta anni 1134. ait: *Dominus Amedeus de Blonay & Galterius filius ejus*; vide ibidem de Nobilibus illius nominis.

(13) Consule Cartam anni 1134.

(14) & (15) vide topographicas notitias Cartae 1134.

(16) *Oron*, Germanicè *Orung*, Arx & ingens pagus apud Bernates, & in quibus residet Praefectus *in Oron.*

(17) Hodie *Chatilliens*, pagus & parochia in praefectura *Oron.*

(18) Nobiles *de Billens*, nunc extincti, erant Domini pagi & parochiae *Billens* in Comitatu *Romont*, qui paret Friburgo Cantoni.

(19) *Terra de Sartis*, hodie *Essertes* pagus in parochia *Salesieux* in praefectura *Oron* apud Bernates.

(20) *Terram de Dosa*, illius hodiernum nomen ignoramus.

(21) *Terra de Frochais* me latet.

(22) *Fons Chiblin* vel *Cheblin*.

(23) Abbatia Sancti Mauricii in inferiori Valesia.

(24) *Terra de Daisiloi* vide Notam 3 praesentis Cartae: hodie *Dessaley*.

(25) *Guidonis* Cartam sub anno 1134. retulimus.

(26) *Fredericus I.* Imperator cognomento *Oenobarbus*.

(27) Amedeus Comes Genevae.

XLIV.

Carta anno 1157. *die* 27. *Augusti Lausannae expedita qua controversiae inter Abbatem sancti Mauritii & Abbatem de Altcbrest, mediantibus Petro Archiepiscopo Tarentasiensi & Amedeo Episcopo Lausannensi fuerunt compositae.*

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitissimae Reipublicae Bernensis, & Apographum T. V. Diplomaticae Collectionis Abrahami Ruchat, *libro XII. p.* 30. *quae collectio manuscripta, Helveticam Historiam maximè concernens, Bernae in Bibliotheca publica servatur. Idem autem apographum legitur T. I. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum pag.* 146 - 147. *Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Cum ea quae dicuntur nullius constant esse momenti, nisi certa ratione & memorabili stabilitate firmentur. Idcirco compositionem illam diu agitate controversie inter Abbatem (1) sancti Mauritii & Abbatem de Altchrest (2), ne oblivione deleatur, qualiter sit terminata, ut manifesta omnibus fieret, & ob hoc certa fiat, necessarium scribere duximus. Abbas itaque sancti Mauritii tertiam illam partem terrae de Chatellans (3), quam rogatu felicis memoriae Papae Eugenii (4) & Bernardi (5) Abbatis Clarevallensis, fratribus de Altcresth datam fuisse negabat, in pace & quiete in perpetuum tradidit possidendam. — si tamen eandem terram ab his qui eam tunc tenebant, usque ad Kalendas Mayi extorquere possit. Quam si posset recuperare, laudante Capitulo suo, scripto confirmare & sigillo proprio communire deberet. Quod si hoc usque ad supradictas Kalen-

Kalendas facere non posset, ad arbitrium Torenci de *Illens* (6), Bochardi de Granges (7), Duronni de Scoltals, aliam terram convenienti loco Domui de Altcresth positam, & supradictam partem terre de Castellens valentem, eodem modo tradere & concambire deberet. Si vero ne hoc quidem facere vellet, vel negligeret, fratres de Altcresth primum concambium pro eodem censu quem prius debebant reciperent, & tam diu tenerent, donec Abbas sancti Mauritii memoratam tertiam partem terrae de Castellens supradictis fratribus in pace & quiete redderet possidendam. Quod si infra dictas Kalendas ob hoc fratres de Altcrest aliquid perderent, Abbas sancti Mauritii ex integro restituere debet. Item & illam terram, quae aggere cingitur in perpetuum possidendam contradidit, pro censu duarum librarum Cere in festivitate (8) beati Mauritii reddendarum, que ob memoriam pacti & convenientiae hujus in cereis transformata ante illius venerabilis Ecclesiae Sanctosacrum altare ad Missas diei illius festi ardere debet. Haec autem compositio facta est per manus Petri (9) Archiepiscopi Darentasiensis & Amedei (10) Episopi Lausannensis, anno ab Incarnatione Domini M.C.LVII. Regnante Frederico (11) Imperatore. Testes affuerunt Emmeradus & Geroldus Decani. Huldricus de Fons, & Magister Anselmus Canonici. Data Lausanne per manus Giroldi Cancellarii. VI. Kalendas Septembris.

Notae.

(1) Anno 1157. erat Abbas sancti Mauricii in Vallesia *Rodolphus* de quo *Gallia Christiana* T. XII. p. 795., Parisiis, ex Typographia Regia, 1770. in fol.

(2) Primus Abbas monasterii *Altchrest* fuit *Magno* vel *Magnus* qui adhuc praefuit 1166.

(3) Vide praecedentem Cartam anni 1154.

(4) *Eugenius* III. Papa ab anno 1144. usque ad suam mortem 7. Julii 1153.

(5) Sanctus *Bernardus*, Abbas Claraevallis, obierat die 20. Augusti 1153.

(6) Nobiles *de Illens*, Germanicè *von Illingen*, suam habebant arcem in parochia *Chatillens*, quae hodie jacet in praefectura *Oron* apud Bernates. Floret adhuc Lausannae Nobile stemma *de Illens*. Vide *Leu*, Historic. Helvetiae Lexicon. T. X. p. 542 - 543. & 545.

(7) Nobiles *de Granges* erant in Comitatu Vaudi & in Vallesia. Vide antefatam Cartam anni 1154. de loco *Escotals*, nunc *Es-Coteaux*.

(8) Festum sancti Mauricii celebratur die 22. Septembris.

(9) San-

(9) Sanctus Petrus, Archiepiscopus Tarantasiae, obiit die 14. Septembris 1174, cujus festum die 8. Maii.

(10) Vide praecedentem Cartam anni 1154.

(11) Fridericus I. Imperator cognomento *Barbarossa*.

XLV.

Carta anni 1162. qua Landricus Episcopus Lausannensis confirmavit fundationem & possessiones Abbatiae Altaeripae, vulgò Hauterive, *Cisterciensis Ordinis.*

Autographum pergamenum in Scriniis ejusdem Abbatiae, & Apographum T. VII. Monumentorum Helvetico-Tugiensium *pag.* 128. *Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

LANDRICUS (1) Dei gratia sacrae Ecclesiae Lausannensis Episcopus dilecto filio suo Pontio Abbati Altaripae omnibusque fratribus ibidem Deo servientibus, eorumque Successoribus perpetua pace & consolatione gaudere. Quia Christi vices in Ecclesia Dei agere credimus, subditis nostris benigna sollicitudine praeesse debemus, & de ovibus nobis creditis non honorem quaerere, sed in earum potius defensione, atque administratione laborem convenit suscipere. Illis tamen praecipue pastoralis prospicere debet auctoritas, qui sibi nil Christo carius estimantes omnia pro ipso dimisere atque nudi nudam ejus crucem amplecti proposuere. Ea propter Ponti fili carissime pacem tuam omniumque tibi succedentium quietem paterne procurantes, Ecclesiam Altaripae in honorem Beatae Dei Genitricis Mariae constructam, cum omnibus appenditiis suis in nostra nostrorumque Successorum providentia atque protectione suscepimus. Quod etiam Apostolica generaliter sacro ordini vestro sancitum est auctoritate, & Nos tibi tuisque Successoribus auctoritatis nostrae pagina confirmamus. decimas videlicet totius laboris ac nutrimenti vestri. ad haec etiam assignamus pacem videlicet quam Petrus de Gruiera (2) & Juliana mater ejus apud Fons (3) castrum fecerunt, omnium quae calumniabantur in donis Wilhelmi de Glana (4) & Universorum quibus investiti eratis concessionem, laudationemque sine omni retentione ab eis factam vobis confirmamus. testes Magnus de Alcrest (5) & Joannes de Thela (6) Abbates, Ricardus de sancto Martino, Cono (7) d'Estavaiel, Radulphus de Rota (8), Atelz & Ilenguices de Fons, Wilencus de Cortiun. hanc pacem

pacem laudavit Agnes (9) soror ejus. Testes Cono de Seidors presbiter, Raimundus d'Orsenens, Uldricus de Escuvillens, Petrus d'Estavaiel Clericus. Item pacem quam Uldricus de Novo castro (10) omniumque quae calumniabantur in donis Radulphi patris sui, donisque presati Wilhelmi de Glana fecit & etiam universorum quibus investiti eratis concessionem atque laudationem sine omni retentione ab eis factam vobis confirmamus. Testes Wilencus Prior Paterniaci (11), Uldricus de Fons, & Giraldus de Lausanna Canonici, Wilencus de Cortiun, Cono de Estavaiel, Rainoldus de Corcelles. haec ipsa Bertha (12) uxor ejus apud novum (13) castrum laudavit atque donavit. Testes Haimo Abbas de Marcens (14), Gislemarus de Asnens, Wibertus de Rivorio, Otto de Paterniaco. Item pacem quam Radulphus Comes de Grueria in Arenario de Pratellis (15) omnium quae calumniabantur in donis sepe fati Wilhelmi de Glana fecit, concessionem quoque atque laudationem universorum quibus investiti & quolibet modo eratis tenentes sine omni retentione per manum nostram in manu Pontii Abbatis in die festo (16) sanctae Luciae factam vobis confirmamus. Testes Joannes Abbas de Thela, Uldricus Prior de Alcrest, Cono de Meriaco Monachus de Thela, Wibertus de Wisternens Canonicus, Radulphus Clericus de Curtili, Radulfus Clericus de supra Petra, Conradus de Pelpa, Wilencus de Cortiun. haec omnia eodem modo Agnes uxor praedicti Comitis & filii ejus, Wilhelmus, Petrus Amedeus filiaque Agathia, apud Grueriam (17) in manu Pontii Abbatis donaverunt atque laudaverunt. Testes Martinus Prior de Marcens, Radulphus & Godefridus frater ejus de Ponte. Wilencus & Cono filius ejus de Cortiun, Radulphus major de Bolla (18), Nantelmus, Monachus de Paterniaco. Assignamus etiam omnem decimam de laboribus propriis quam predictus Uldricus de novo castro in translatione (19) sepe fati Wilhelmi de Glana presentibus monachis atque conversis solemniter donavit. Testes Borcardus de Britiniaco, Cono d'Aldongion (20), Rainaldus & Ricardus frater ejus, Petrus Minister de Arcuna. (21) haec igitur & quaecunque authore Deo Ecclesia Altaripa possidet, nunc vel in posterum legitime possessura est, sub nostri, Successorumque nostrorum muniminis clypeo protegenda atque conservanda perpetuo decernimus. Si qua igitur Ecclesiastica secularisve persona sciens hanc decreti paginam Ecclesiae vestrae esse Defensatricem, quippiam exinde aufferre vel minuere praesumpserit, anathematis gladio feriatur, usquedum satisfactione congrua atque penitentia veniam consequatur. Actum solemniter anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo. concurrente (22) VII. Epacta III. regnante Friderico (23) Imperatore.

Notae.

Notae.

(1) *Landricus*, de quo sequentia leguntur in veteri cartulario (pag. VIII.) Laufannensis Ecclesiae a Conone *d'Estavayé* illius Praeposito qui ineunte Saeculo XIII. clarebat, descripto, cujusque Autographum pergamenum Lausannae in Scriniis Praefecturae servatur: *Landricus* de Durnac (a) Decanus sancti Johannis Bisuntini suscepit episcopatum Lausannensem post Amadeum & multa bona fecit ecclesie & edificavit castrum de Loucens in pace & semper laboravit pro pace totius episcopatus & fecit murum in civitate Lausanna & supra Cavalon & fecit murum & turrim in castro de Cortilia. & fecit castrum de Poedouz (b) & turrim in ripa Lausannensi & libenter erat apud Cortiliam & libenter exercebat agriculturam. & Capitulo reddidit ecclesiam de Sisilli & etiam aliquas recuperavit & acquisivit possessiones & tenuit episcopatum per XIX. (c) annos. Tandem accusatus apud Dominum Papam de incontinentia & insufficientia nimia, in manu Domini Papae resignavit, & postea diu vixit. Obiit autem Lausannae VII. Id. Decembris & fuit sepultus ante capitulum.

(a) *De Dornac*, secundum alind apographum.
(b) Vel *Poedaur* secundum aliud apographum.
(c) *Ruchatus* putabat legendum esse XIV.

(2) E linea Comitum de *Gruiere* quae dicebatur *de Montsalvan*, vide Cartas annorum 1169. & 1172.

(3) *Fonz*, hodie *Font*, vel *Fount*, pagus & parochia ad lacum *Novi-Castri* seu *Neuchâtel*, simul & Praefectura Cantonis Friburgensis, in qua sitae sunt parochiae *Font*, *Wuissens* & *Mouret* cum dominio Prevondavaud, & turri *la Moliere*.

(4) Comites vel Barones *de Glana* fundatores Abbatiae *Hauterive*.

(5) *Hautecrêt*, latinè *Altacrista*, Abbatia Cisterciensis Ordinis, Lausan. diocesis, nunc deleta, in Praefectura *Oron* apud Bernates.

(6) Abbatia *de Thela*, sic a praeterfluente fluviolo *Thielle* dicta, Cisterc. Ordinis, Lausannensis diocesis, aliàs dicebatur *Montheron*, duabus leucis distans a civitate Lausanna, nunc autem saeculo addicta ab anno 1536. Jacebat in villa *Montheron* & silva *Jorat*, in territorio Lausannae, sed sub Reipublicae Bernensis suprema jurisdictione.

(7) Praeantiqua & Perillustris Prosapia Baronum *d'Estavayé*, latinè *de Stavaiaco*, Solodori floret.

(8) Ho-

(8) Hodie *Rue*, arx, oppidulum & Praefectura Cantonis Friburgensis, antiquitùs *Roue* & latinè *Rota*.

(9) Scilicet *soror Petri de Grueria*.

(10) Sequens anni 1162. notitia extat in eodem Codice *donationum Altaeripae* fol. 2.

Uldricus de novo castro in translatione Domini Guillelmi de Glana avunculi sui dedit super altare de Altaripa pro anima sua parentumque suorum atque avunculi sui Guillelmi de Glana presentibus monachis atque conventui omnem decimam de propriis eorum laboribus. Testes sunt Borcardus de Britinie, Cono Daldongion de novo castro, Rainaldus & Richardus frater ejus de Corcellis, Petrus Minister d'Arconcier. MCLXII.

(11) Abbatia Paterniacensis, *Payerne*, a Priore Ordinis Cluniacensis regebatur.

(12) Sequens anni 1162. notitia legitur in eodem veterrimo codice *donationum Altaeripae* fol. 25.

Uldricus Dominus de Novo Castro dedit domui Altaripae sine aliqua retentione quidquid habebat in terra rubea, quam terram & quod donum ipsemet circumeundo ore determinavit & digito demonstravit, sicut jacet inter duas fossas, & a lacu usque ad terram de Caceriis (a), sive ad terram illorum de Fontana Andreae. Hoc donum laudaverunt Bertha uxor ejus & Rodulphus filiorum eorum. nam illo tempore alios liberos non habebant. Testes sunt Ricardus Abbas in cujus manu praedictum donum factum fuit, Girardus monachus de Caroloco (b), Guillelmus monachus de Rupe, Petrus monachus, Martinus conversus, Borcardus sacerdos de Barberechi, Rodulphus capellanus de novo castro, Uldricus Dominus de Messis (c), Guillelmus miles filius Henrici Ducenstorpf (d), Vivianus major de Murat. (e) M.C.LXII.

(a) Forsan legendum *de Carceriis*.

(b) Abbatia *Cherlieu*, Ord. Cisterc. in Comitatu Burgundiae.

(c) Nobiles de *Messen* possidebant arcem & pagum *Messen*, in Solodorensi Cantone.

(d) Nobiles ab *Uzenstorff* Domini hujus pagi, in praefectura Landshut, ditione Bernensium.

(e) Hodie *Murten*, *Morat*, elegans oppidum Helvetiae.

(13) *Apud novum castrum*, id est *Neuchatel* ad lacum ejusdem nominis, urbs & castrum, antiqua sedes Comitum *Novi Castri* de quibus praesens instrumentum.

(14) Abbatia de *Marcens*, vel *Marsenso*, aliàs *Humilis mons*, ordinis Praemonstratensis, in pago *Marcens*, in praefectura *Wippens*, ditione Reipublicae

Friburgensis, anno 1136. fundata a Nobilibus de *Marcens*, fuit Saeculo XVII. concessa Jesuitis Collegii Friburgensis; vide *Leu*, Hist. Helvet. Lexicon T. X. p. 377-378.

(15) Forsan legendum *in Granario de Pratellis*, jacent duo pagi nomine *le grand & le petit Pré* in parochia *Oex* in praefectura *Sanen*, quae nunc Bernensibus paret & quae olim Comitibus de *Gruiere* subdita erat.

(16) Id est XIII. Decembris.

(17) Sequentes duae notitiae annorum 1162. & 1170. leguntur in eodem codice *donationum Altaeripae* fol. 48. & 60.

Rodulphus Comes de Grueria & Petrus de Montsalvan in translatione Domini Willelmi de Glana dederunt Deo & Beatae Mariae Altaripae & monachis ibidem Deo servientibus pro animabus suis & parentum suorum omnem decimam proprii laboris eorum in manu Domini Willelmi Abbatis. Testes sunt Borcardus de Prinze, Cono Daldunjen de novo castro, Rainaldus frater ejus de Corcellis, Petrus Minister d'Arconcie. Anno M.C.LXII.

Agnes Comitissa de Grueria dedit pro anima Radulphi mariti sui, atque Willhelmi filii sui Deo & sanctae Mariae Alteripae VI. posas terrae apud Escuvillens, de terra quae olim dicebatur de la majori. hoc donum fecit apud Escuvillens, in manu Uldrici Abbatis Alteripae. testes sunt Cono de Rupe monachus, Wibertus Sacerdos de Escuvillens, Radulphus Daldunjun, Wido de la Grangetta, Hugo d'Orsonnens minister suus. Hoc ydem (a) donum laudaverunt Petrus & Radulphus filii ejus apud Grueriam in manu Cononis monachi. Testes sunt Radulphus Dominus de Montoniaco (b) Radulphus Daldunjun, Rainaldus de Pringie, Uldricus d'Echarlens, anno M.C.LXX.

(a) Vel *ibidem hoc donum.*

(b) Barones *de Montagni*, Germanicè *von Montenach*, olim in Cantone Friburgensi.

(18) Nobiles de *Bull* vel *de Bolla* officium *Majoris* seu *Maire* nomine Comitis *de Grueria* & postea anno 1210. Episcopi Lausannensis in oppido *Bull* quod nunc Friburgensi civitati paret, obtinuerant.

(19) Vide notam praefatam sub numero (10).

(20) *Cono d'Aldongion* vel *Daldunjun*, erat de novo castro, ut docet Carta anni 1162. de qua *Nro.* 10.

(21) Hodie

(21) Hodie parochia *Arconciel*, Germanicè *Ergenzach*, in territorio veteri civitatis Friburgi. Illic cernuntur in colle propè *Sanam* flumen rudera castri *Arconciel* cujus nomen uni minori lineae Comitum *de Novo Castro* datum fuerat, quodque postea Comites de *Grueria* & Barones *de Turre-Castellionis* in Vallesia possederunt.

(22) Anno 1162. erant *concurrens VII.* & Epacta III. Vide *l'Art de verifier les dates*.

(23) Fridericus I. cognomento *Oenobarbus*.

XLVI.

Carta Landrici Episcopi Lausannensis pro Monasterio Altae Cristae, vulgò Hautcrêt, *Cisterciensis Ordinis, MCLXVI.*

Autographum pergamenum in Scriniis Illustrissimae & Magnificae Reipublicae Bernensis. Apographum autem T. V. Lib. XII. p. 35. Diplomaticae Collectionis Abrahami Ruchat, *quae servatur Bernae in Bibliotheca publica. Idem etiam Apographum Tugii T. I. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum p. 150-152. in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Landricus (1) Dei gratia Lausannensis Episcopus, dilectis filiis Magnoni (2) Abbati, monachis & conversis de Alcrest (3), in honorem Dei ibidem congregatis, tam praesentibus quam futuris, rei gestae veritatem in perpetuum. Res Episcoporum tunc bene disponuntur, cum in usus pauperum Christi & maxime religiosorum, & eorum qui de labore manuum suarum vivunt, expenduntur. Ideoque tibi, Magno Abbas, tuisque Successoribus & Ecclesiae de Altcresth, pro remedio animae meae, & Praedecessorum meorum, ad Ecclesiam construendam ceterasque officinas, nostro concedente Capitulo, precibus Emeradi venerabilis Decani nostri, do & concedo in perpetuum Ecclesiam de Compengie (4), cum omnibus tenoribus, qui ad eandem Ecclesiam pertinent, ita ut post transitum vitae meae, in anniversario meo singulis annis nominatim de me fiat commemoratio in communi Capitulo fratrum. ut igitur donatio ista perpetuam habeat firmitatem, presentem paginam mei Sigilli atque Capituli nostri & præfati Decani munimine iussimus roborari. Quicunque autem contra donationem istam bono titulo concessam scienter venire & praedictos fratres molestare seu per-

perturbare praefumpferit, femel & fecundo ammonitus, fi non emendaverit, Dei auctoritate ac noftra anathema fit, & a Sacratiffimo Corpore & Sanguine Domini noftri Ihefu Chrifti fit fequeftratus. Donationem autem illam, quam fecit praedictis fratribus de Altcrefth, de decimis quas habebat Ecclefia de Athalens (5), in territorio Grangiae (6) de Sales, Emerradus Decanus in noftra prefentia conftitutus, fub annuo cenfu cerae unius librae, Ecclefiae de Athalens ab Ecclefia de Altcrefth circa feftum Sancti Martini folvende, laudante Johanne Presbitero de Athalens, & decimam quam habebat dictus Decanus ex parte Ecclefiae fuae de Melduno (7), laudante Willelmo de Melduno, in quadam parte Villare (8) pineti, ad cenfum fex denariorum, qui circa praedictum feftum reddendi funt, quam praedictis fratribus de Altcrefth in perpetuum dedit. laudamus & concedimus, & noftri Sigilli, & Capituli feu Decani Sigillo confirmamus. Factum eft hoc Laufannae, Anno Domini M.C.LXVI. Inde teftes funt Willelmus Groffus. Emerradus. Petrus Buevos &c. & alii multi Clerici & Laici.

Notae.

(1) Landricus de *Durnac* Beato *Amedeo* in Sede Laufannenfi fuccefferat anno 1159.

(2) Vide Cartam praecedentem anni 1154.

(3) Confule Cartam antefatam anni 1134.

(4) *Ecclefia de Compengie*, ejus fitum docet Bulla Innocentii IV. anno 1248. in gratiam Abbatiae *Altcreft*, quâ conftat Ecclefiam *de Villanova*, Laufannenfis Diocefis, vulgariter dictam *Ecclefiam de Compengie*, fuiffe conceffam praedictae Abbatiae. *Villanova*, hodie *Noville* vel *Neuville*, parochia & oppidulum prope ingreffum Rhodani in lacum Lemanum, in praefectura Bernenfium *Aigle.*

(5) Hodie *Attalens*, pagus & parochia in Cantone Friburgenfi ad limites praefecturae *Vevai* quae pertinet Bernenfibus. Praefectura *Attalens* Friburgenfibus paret, & hujus Praefectus in arce *Attalens* eodem in pago refidet. In ea datur pagus *Granges.*

(6) *Grangie de Sales*, vide notam praecedentem.

(7) *Meldunum*, hodie *Moudon*, oppidum & praefectura Bernenfium in Comitatu *Vaudi.*

(8) *Villare pineti.* Jacet villa dicta *Villars-Epenay* in parochia & praefectura *Yverdon* apud Bernates. Eadem in praefectura, & in parochia *Baumes*, pagellus *Peney*, *Piney*, vel *Efpigny.*

XLVII.

XLVII.

Donatio facta anno 1169. *Monasterio Altaripae*, (Hauterive) *Cisterciensis Ordinis*, *Lausannensis Diocesis*, *a Juliana & Petro filio ejus de Montsalvan*, *e minori linea Comitum Grueriae.*

Autographum in veterrimo libro donationum Abbatiae Hauterive *fol.* 29. *& ex illo aliud T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *p.* 170. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Juliana & Petrus filius ejus de Montsalvan (1) fecerunt domui Altaripae pacem, de omnibus quaerimoniis & de omnibus calumniis quas habebant in omnibus donis de quibus investita & tenens erat domus Alteripae. Actum apud Paterniacum (2). Testes sunt Cono Sacerdos de Escuvillens, Bertinus de Font, Petrus de Seidors, Otto de Sancto Martino, Hugo Fontana. Post haec dederunt Ecclesiae Alteripae quidquid habebant in campo iuxta vineam de Favergiis (3) quam tenebant Giroldus & Clemens. Testes sunt Cono de Saidors, & Petrus d'Estavaiel Sacerdotes, & Raimondus d'Orsonnens. Anno M.C.LXIX.

Notae.

(1) Arx *Montsalvens* in praefectura *Griers*, vel Gallicè *Gruiere*, in Cantone Friburgensi, nunc in ruinis jacet, dat adhuc suum nomen uni Castellaniarum praefatae praefecturae, in qua siti sunt pagi *Broc* & *Grandvillar*. Vide *Leu*, Hist. Helvet. Lexicon T. XIII. p. 271.

(2) Gallicè *Payerne*, oppidum in Cantone Bernensi.

(3) In ditione Reipublicae Friburgensis dantuor duo pagi *Farvagnié*, Germanicè *Fawernach*, in praefectura *Pont*, unus *le grand Farvagnil*, alter autem *le petit Farvagnié*, in primo stat Ecclesia Parochialis.

Petrus *de Monte Silvano*, alias *de Montsalvan*, de quo praesens Carta, occurrit etiam in sequentis Instrumenti de anno 1173. notitia, quae legitur in eodem Codice donationum Altaeripae fol. 47.

Radulphus Comes de Grueria dedit Deo & sanctae Mariae de Alteripa quidquid habebat vel calumniabatur in Emmone de Cottens (a) & tenemento. Laudaverunt filii ejus Willelmus, Petrus, Amadeus. Testes

Martinus Abbas de Marsens, Nanthelmus de Rota monachus, Willelmus Longobardus monachus Altaripae, Anselmus Sacerdos de Bollo (b), Petrus de Montesilvano, Nantelmus Rufus miles ejusdem Petri, Turinus de Villar. Actum est hoc ante portam Monasterii de Bollo. Anno M.C.LXXIII.

(a) *Cottens*, pagus in parochia *Autignié* in *veteri territorio* civitatis Friburgi.

(b) *Bull*, *Bullum*, *Bollum*, *Bulle*, oppidum Cantonis Friburgensis quod Rudolfus II. Comes Grueriae anno 1210. concessit Capitulo Ecclesiae Lausannensis.

XLVIII.

Donatio facta anno 1172. *Monasterio Alteripae*, *vulgò* Hauterive, *Cistert. Ordinis*, *Lausannensis Diocesis*, *a Petro de* Montsalvant *(e linea minori Comitum de* Gruiere*)* & *Juliana ejus matre.*

Legitur in veterrimo libro donationum Altaeripae fol. 29. & T. VII. Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *p.* 170. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Petrus de Montsalvant (1) & Juliana mater ejus dederunt Ecclesiae Alteripae quartam partem totius territorii de Sacco, & hoc donum Petrus manu sua per lapidem unum super altare Ecclesiae Altaeripae posuit. Testes sunt Cono Sacerdos de Escuvillens, Petrus Minister d'Arconcie, Borçardus filius Avan de Manoldens, Hubertus filius Uldrici de Nuovos (2), Uldricus d'Altigniei, & pro hoc dono habuerunt triginta solidos. Anno M.D.LXXII.

Notae.

(1) Vide Cartam antefatam anno 1169. Sequens huic addenda est notitia, ex eodem libro donationum fol. 29. desumpta, & quae epocham anni 1173. continet.

Petrus de Montsalvan recognovit se donasse quidquid habebat in campo juxta vineam de Favergiis, & Petro de Pompero jussit, ut quidquid in eodem campo habebat, de domo Alteripae reciperet. Testes sunt Pontius Sacerdos Sancti Simphoriani, Raymo Clericus de Chebri; Uldricus Minister de Chebri, Joannes & Guichardus frater ejus de Posdor. Actum in manu Petri monachi apud Sanctum Simphorianum. Anno M.C.LXXIII.

(2) Legendum putamus, *de Nurvor.*

XLIX.

XLIX.

Apostolice (1) *Sedis Judices delegati in lite inter Rodolfum Comitem de Rapperschwil & Comitem Ulricum de Chiburg ex una parte, & Dominam Abbatissam Thuricensem ex altera, attestantur sequentem transactionem de partium assensu & judicum delegatorum authoritate esse factam, quod Delegatus Abbatisse quantum ad jus fundi Ecclesiam Rumlang renuntiavit cum jure patronatus, quod judices tradiderunt Advocato* (2) *de Rapperschwil sub nomine fundi a Comite de Chiburg possidendum. E converso dictus Comes Advocatus & fratres sui renunciaverunt decimis in Seebach, Rekenholz eas Abbatisse possidendas tradentes. M.CC.XII.*

Autographum Cartularium pergamenum *Abbatiae Thuricensis descriptum ab Eruditissimo* Durfteler *p.* 36-37. *in fol. & Apographum T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 96-97. *in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Ne contra res judicatas aut amicabili transactione definitas lis nova denuo suscitetur, expedit eas scripti memoria recipere firmitatem. Noscant igitur & presentes & posteri, quod cum discordia verteretur inter Ro. (3) advocatum de Rapperschuilare & Comitem Ul. de Chiburg (4) ex una parte, & Dominam Abbatissam A. (5) Thuricensem ex altera parte super iure Patronatus in Ecclesia de Rumlang (6) & super decimis in Seebach (7) & Rechenholz (8) & Binza (9) & Dominus A. (10) Curiensis Episcopus & Dominus Abbas de Weingarten (11), nec non Magister N. (12) Scholasticus Argentinensis Apostolice Sedis Judices super hac causa delegati citatis ante memoratis presentibus parati essent mandatum Apostolicum talis intercessit transactio & de partium supra dictarum assensu & delegatorum Judicum authoritate. Quod Henr. Clericus, qui de manu Domine Abbatisse memorate quantum ad ius fundi Ecclesiam de Rumlang acceperat, Juri suo in manu delegatorum renunciavit & insuper dictus Prepositus .... (13) Thurecensis, qui procurabat causam Abbatisse & Sigillum ejus pro ratihabitione Judicibus ostendit ex parte & Nomine ipsius Abbatisse Jus Patronatus in manu Judicum delegatorum renunciavit, & ipsi judices assignaverunt & tradiderunt dictum jus Patronatus Advocato de Rapperschuilare perpetuo sub nomine feudi à Comite illo de Chiburg & suis Successoribus tenendum & possidendum

sibi

fibi & fuis heredibus. E converfo tam dictus Comes quam etiam memoratus Advocatus & fratres fui H. & Ul. (14) renunciaverunt decimis in fupra dictis locis denominatis fcilicet in Seebach & Rechenholz & Binza in manu Judicum delegatorum, fimiliter & omni iuri, quod habere videbantur in ipfis decimis. Et ipfi Judices Authoritate qua fungebantur, affignaverunt & prefentialiter tradiderunt illas decimas Prepofito Procuratori Domine Abbatiffe vice & ejus Nomine, ut ipfa & ejus Monafterium debeant ipfas decimas perpetuo abfque alicuius hominis contradictione quiete poffidere. Ita tamen, quod Henricus Clericus, cui Abbatiffa prius Nomine patronatus Ecclefiam fupra dictam contulerat, in recompenfacionem laboris, quem pro caufa Controverfie fuftinuit, quiete ad tempora vite fue decimas easdem poffideat, quo decedente ad Monafterium Thuricenfe revertantur. Hec autem acta funt in prefentia & fub teftimonio Sancti Galli (15) Conftantienfis diocefis, & Fabaricenfis (16) Abbatum & Prepofiti V. (17) maioris Curienfis Ecclefie & aliorum multorum tam Clericorum quam Laicorum. Anno Incarnationis M.CC.XII. Indictione XV. ad cuius rei certitudinem pofteris oftendendam Judices delegati fcriptum hoc Sigillis fuis roboraverunt.

Notae.

(1) Talis eft veterrima Infcriptio hujus Inftrumenti.

(2) Comites de *Rapperschweil* in antiquis nominantur documentis *Advocati*, propter Advocatiam Abbatiae *Einfidlen* quam habebant.

(3) Scilicet *Rodolfum.*

(4) Videlicet *Ulricum* Comitem de Kiburg.

(5) Anno 1212. erat Abbatiffa *Adelheit von Murchart.*

(6) *Rumlang*, pagus & parochia ad finiftram ripam fluminis *Glatt*, hodie praefectura Cantonis Thuricenfis.

(7) *Seebach*, pagus in praefectura Schwamendingen & Dubendorf, Cantone Thuricenfi.

(8) *Rechenholz*, in Cantone Thuricenfi.

(9) *Bintz*, olim *Pinzze*, fequentes hujus nominis diftrictus jacent in Cantone Thuricenfi, fcilicet nonnullae domus in parochia *Maur*, & praefectura *Greiffenfee*, & una villa dicta *auf der Bintz* in parochia & praefectura *Staeffen*. Vide *Leu*, Hift. Helvet. Lexicon, T. IV. p. 78.

(10) *Arnoldus* e Comitibus vel Baronibus *ab Amatia*, Germanicè autem *von Maetfch*, Epifcopus Curienfis.

(11) *Wein-*

(11) *Weingarten*, Imperialis Abbatia, Ordinis Sancti Benedicti in Suevia. Illius Monasterii Abbas anno 1212. erat Bertholdus Comes ab *Haymburg*.

(12) *N.* forsan *Nicolaus*.

(13) Nomen Praepositi Thurecensis Capituli est abrasum in Apographis *Dursteleriano* & *Zur-Laubeniano*.

(14) Scilicet *Henricus* & *Ulricus*.

(15) Anno 1212. Abbas Sancti Galli erat *Ulricus* Liber Baro *de Sax* vel *Hohen-Sax*, qui obiit 22. Septembris 1219.

(16) Abbatia Faboriensis, Germanicè *Pfefers*, in Diocesi Curiensi, Ordinis Sancti Benedicti. Ab anno 1202. usque ad annum 1220. eam regebat Conradus *von Zwifalten*.

(17) Forsan *Vdalricus* vel *Vido*.

(18) Indictio XV. anno 1212. currebat. Vide *l'Art de verifier les dates*.

L.

Carta data anno M.CC.XV. qua Raimundus de Turre donationem fecit Abbatiae Alpensi, Cisterciensis Ordinis, in Chablasio, & diocesi Genevensi.

Autographum pergamenum Tugii in Scriniis Liberorum Baronum de Turre-Castellionis-Zur-Lauben.

In nomine patris & filii & spiritus sancti Amen. Ego G. (1) Decanus Alingii & Gebennensis Canonicus vniversis presentibus & futuris geste rei notitiam scire volentibus. presenti carta certifico quod domus (2) Alpensis querelam habebat adversus dominum Raimundum de Turre (3) super quibusdam rebus quas dicte domui abstulerat violenter. & magnis iniuriis quas eidem domui intulerat. vnde accidit quod cum assumpsisset crucem ut terram sanctam uisitaret. & iam accinctus esset ut iter suum perficeret. tactus compunctione dedit in elemosinam Deo & beate Marie & domui Alpensi pro remedio anime sue & ut de rebus quas eidem domui abstulerat & iniuriis quas intulerat ueniam mereretur. octo posas terre subtus clausum de Noidens. (4) Hanc elemosinam fecit apud Fessie (5) laudantibus & concedentibus fratribus suis scilicet domino Amaldrico & Lodouico clerico. & per manum meam & in manu Willelmi (6) noni Abbatis Alpensis

ſis libere & ſine aliqua retentione. Hujus rei teſtes ſunt Jacobus Abbas de Syz (7). Wido prior de Tonons (8). Wido prior de Bellaualle (9). Nicholaus monacus alpenſis. Stephanus Canonicus de Syz. Petrus Seneſcalcus de Alingio (10). Petrus de Lulins (11). Willelmus de Ceruenz (12) milites. Giroldus clericus de Baleiſon (13). & multi alii. & in hujus rei teſtimonium ad preces utriusque partis ſigilli mei impreſſione preſentem cartulam roboravi. Actum eſt hoc anno Domini M°CC°XV°.

Ab hac cartula pendet oblongum cerae albeſcentis ſigillum in quo eminet flos fat ſimilis tulipae vel lilio cum folliculis. Superſunt circa ſigillum ſequentes litterae: S. GIRAR. . . . . . SDECA . . . . . id eſt, S. GIRARDI CAN. GEBENNENSIS DECANI ALINGII.

In dorſo legitur caracterib. coetaneis: Reymundi de Turre de octo poſis terre ſubtus clauſum de Noydens.

Notae.

(1) In Dioceſi Genevenſi, Decanatus *Alingii*, vulgò *d'Alinge* qui ſuum habet nomen a pago *Alinge* in Chablaſio (*en Chablais*), unâ leucâ à lacu Lemano diſtante. *Girardus Decanus Alingii* ſub anno 1211. celebratur a Domino *Beſſon* p. 98. in ſuo diplomatico opere, *Memoires pour l'hiſtoire eccleſiaſtique des Diocèſes de Geneve, Tarantaiſe, Aoſte, & Maurienne, & du Decanat de Savoye — Anneſſy en Savoye* 1759. *in* 4to.

(2) Abbatia Alpenſis, vulgò *l'Abbaie d'Aulps*, Ciſtercienſis Ordinis, Dioceſi Genevenſi, in Decanatu Alingii, in Chablaſio ad limites Baroniae *Foucigni*, fundata fuit circa finem Saeculi XI. ab Humberto Comite Mauriennae. Laudatus *Beſſon* dedit nomina quorundam Abbatum Alpenſium, & inter eos *p.* 99. *Guillelmum* qui anno 1211. extitit teſtis Cartae Thomae Comitis Mauriennae. Erat hic *Guillelmus*, teſte noſtrâ Cartâ, *nonus* in ordine Abbatum a fundatione ſui monaſterii.

(3) Baronum *de Turre*, aliàs *de la Tour*, proſapia, pluribus diviſa ramis in Valeſia ſuperiori & inferiori, in Chablaſio, in Fucigniaco, &c.

(4) *Noidens* vel *Noydens*.

(5) *Feſſie*, hodie *Feſſy*, pagus in Chablaſio prope *Cervent* de quo & praeſens Carta, ad limites Baroniae Fucigniaci (*Foucigni* vel *Fauſſigni.*)

(6) Vide notam antecedentem (2).

(7) Ab-

(7) Abbatia *Six* vel *Siz*, Canonicorum Regularium Ordinis sancti Augustini, in Decanatu *Sallanches*, Dioecesi Genevensi, & in Baronia Fucigniaci, fundata fuerat anno 1144. ab Aimone Barone de *Foucigni*. Inter illius Abbates *Besson* nominat *p.* 149. sub annis 1218. & 1230. *Jacobum* de quo nostra Carta, & hujus mortem ad an. 1233. refert.

(8) *Thonon*, oppidum, caput Chablasii, peramoeno ad lacum Lemanum situ, in Decanatu Alingii, Genevensis Dioecesis. Illic olim vigebat Prioratus Ordinis sancti Benedicti, sed anno 1536. à Bernatibus ultimus Prior fuit exinde ejectus; hic Prioratus nominabatur *sancti Hypoliti de Thonon*. Vide *Besson* ibidem p. 104-105.

(9) In eodem Decanatu Alingii stat Prioratus ruralis *Bellevaux*, aliàs *Bella-Vallis*, Ordinis sancti Benedicti propè *Lullin*, in Chablasio. Hic autem Prioratus ab Abbatia *Ainai* in Lugdunensi territorio pendet. Vide *Besson* p. 104. & 169.

(10) Barones *de Alingio*, *d'Alinge*, praeantiquis Comitum Mauriennae & Sabaudiae Cartis celeberrimi dominabantur *Alingii* in Ducatu *Chablasii*.

(11) Barones *de Lullin* in Chablasio, ubi & pagus ejus nominis.

(12) Nobiles de *Cervent*, antiquitùs *Cervenz*, possidebant pagum illius nominis in Chablasio.

(13) Nobiles de *Ballaison* fundarunt anno 1136. Cartusiam *de Vallon* quae jacet in Decanatu Alingii, in Chablasio. Vide *Besson* p. 104. qui & pag. 110. retulit nomina duarum Abbatissarum *de Bellerive*, Ordinis Cisterciensis, in Dioecesi Genevensi, e nobili gente *de Ballaison* procreatarum quaeque Saeculo XIV. vivebant.

LI.

Carta data 1219. *qua Lutoldus de Regensperg & sua uxor Bertha & eorum liberi donaverunt suas possessiones in Seegreben, monasterio Rutinensi, Ordinis Praemonstratensis, Constantiensis Dioecesis.*

Libertates & Privilegia monasterii Ruthinensis *Codex MSc. in Scriniis Illustrissimae Reipublicae Thuricensis, & Apographum T. VI.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 187. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

 In

In nomine Dei eterni. Quoniam naturali lege fopita tota humani cordis intencio fraudi ac malicie acclinis dinofcitur. oportet ut quidquid honefti ab honeftis geritur fuperhabundantis cautele munimine roboretur. Eapropter notum fit omnibus tam prefentibus quam futuris. quod ego Lutoldus de Regensperg (1) confenfu uxoris mee Berthe ac liberorum noftrorum predium meum in Segreben (2) cum fuis apendiciis videlicet Ecclefia, molendino, agris, pratis, nemoribus, ruribus incultis, iure pifcinarum, fratribus Premonftratenfis Ordinis in Ruti (3) Deo & Beate ejus Genitrici fervientibus & fervituris cum omni iure legitimi contractus, fpe redemptionis poftpofita, contuli poffidendum eo nimirum pacto quatenus juribus patronatus ac defenfionis tantum nomine retentis, neque nobis neque ulli heredum noftrorum iam dictos fratres vel clericos memorate Ecclefie ab eis inftitutos vel &c. agrorum cultores five pifcatores & molendinarios fub advocacie titulo liceat in perpetuum inquietare. Preterea decrevi quod fi dictum predium empcione vel donacione feu qualibet liberalitate ex prediis advocacie noftre attinentibus contigerit ampliari, quicquid iuris ampliatio debeat eciam amplianti fuffragari. Ne igitur hoc noftrum factum ulla valeat finiftra machinacione debilitari, prefens fcriptum figilli noftri decrevi impreffione confirmari. Hujus rei teftes funt Henricus de Ufter (4), Hermannus de Toggwile (5), Rudolfus (6) de Mazingen, Eglolfus (7) de Hassla, Berchtoldus de Rinhem (8) & filius ejus Petrus, Burkhardus de Poppenfol (9), Burkhardus de Buchs. (10) Datum apud Regensperg. Anno Domini M.CC.IX.

Notae.

(1) Lutoldus *nobilis vir* feu Baro de Regensperg, cujus pleraque dominia erant fita in Cantone Thurienfi. Praefens Carta anni 1219. fuit eodem anno confirmata a Conrado Epifcopo Conftantienfi, in *Merspurg anno Domini M.CC XIX. anno Pontificatus noftri X. Indictione VII.* Papa Gregorius IX. eandem donationem die 5. Maii 1228. corroboravit, *Dat. Reati III. Non. Maii Pontificatûs anno fecundo.*

(2) *Seegreben*, pagellus & Ecclefia filialis in parochia *Wetzikon* ad ripam meridionalem lacus *Pfaefiken*, in praefectura *Gruningen*, ditione autem civitatis Thuricenfis. Vide *Leu* Hift. Helvet. Lexicon T. XVII. p. 15.

(3) Quae Abbatia faeculo fuit addicta poft mutatae religionis epocham. Illius reditus per adminiftrationem geri curat Respublica Thuricenfis.

(4) No-

(4) Nobiles ab *Uster*, *de Ustera* possidebant arcem & pagum illius nominis, quadrante leucae distantes a lacu *Greifensee*, hodie in praefectura *Greifensee*, ditione Thuricensium.

(5) *Toggweil*, pagus in praefectura & parochia *Meilen*, Cantone Thuricensi.

(6) Nobiles de *Mazingen* suam habebant arcem in ejusdem nominis pago, inter *Aawangen* & *Stettfurt*, ad dexterum latus fluminis *Murg* in Turgovia.

(7) Arx Nobilium de *Hasle* vel *Haslen*, quae nunc in ruinis jacet, est sita propè flumen *Glatt* inter *Bulach* & *Regensperg*, hodie in praefectura *Neu-Amt*, Cantone Thuricensi. Possidebant illi pagos *Hasle* & *Pfungen*, & suam habebant sepulturam in conventu monialium in *Fahr*, Ordinis sancti Benedicti, a Lutoldo nobili viro de Regensperg anno 1130. condito.

(8) *Rinhem*, aliàs *Rheinheim* vel *Rynen*, vicus ad dexteram Rheni, in dominio *Thiengen* & ditione Principis de *Schwarzenberg*, in conspectu pagi seu oppidi *Zurzach*, sub tutela Cantonum quibus paret Comitatus Badensis.

(9) *Poppensol*, hodie *Poppelzen*, pagus ad radices montis *Laegerberg*, in parochia *Otelfingen*, in praefectura *Regensperg*, Cantone Thuricensi. Illius nominis Nobiles fuerunt feudatarii Abbatiae *Einsidlen*.

(10) *Buchs*, pagus & parochia in praefectura *Regensperg*, illic suam habebant arcem Nobiles *de Buchs*.

LII.

Carta data 14. *Julii* 1221. *qua Ulricus Comes & Bertoldus Dominus Novi Castri, (Neuchatel in Helvetia) jus monetandi apud Novum Castrum ab Episcopo Lausannensi tenere agnoscunt.*

Autographum pergamenum in Archivo supremi Dominii Comitis de Neuchatel, & *Apographum T. I.* Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum *p.* 651. *MSc. in folio. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Ulricus Comes & Bertoldus Dominus Novi Castri. universis presens scriptum inspecturis. sciant qui scire voluerint. quod nos ex consensu filiorum nostrorum Willelmo (1) Dei gratia Lausannensi electo civibusque Lausannensibus decem annis pro decem & centum libris Lausannensibus pignori monetam obligavimus.

 quam

quam ab Episcopo Lausannensi ex feodo apud Novum Castrum cudere habebamus. ita tamen ut decem annis expletis nobis liceat eam redimere. & redimendi similem nostri heredes habeant libertatem. solutisque centum & tribus libris. apud Novum Castrum habeamus cudere sicut prius. Ne autem hoc infirmari valeat. &c. factum anno M.CC.XXI. II. Julii Jdus.

Nota.

(1) *Sequentia leguntur in veteri Cartulario Ecclesiae Lausannensis pag.* 8.

Willelmus filius Domini P. de Escublens thesaurarius fuit electus in Episcopum Lausan: anno ab incarnatione Domini MCCXXI. VI. decimo Calend. Maii — recuperavit etiam dominus Willelmus Episcopus a domino Bertoldo de Novocastro monetam novi castri quam Ulricus avus suus acquisivit a Rogerio Episcopo Lausannensi. quamvis contradicente Capitulo & Baronibus & burgensibus. Et dedit dicto Bertoldo CV. marcas argenti & CIII. libras Lausannenses.

LIII.

***A. matrona* (1) *de Naglinchon Uxor Hugonis militis dicti Brun universam hereditatem suam, in qua successit fratri suo Arnoldo de Naglinchon, Abbatiae Thuricensi confert ea lege, ut illa H. Brun maritum suum & ipsorum prolem ea infeudet, & ipsi posterique successores de ea quatuor denarios dicte Abbatie persolvant. Anno Domini M.CC.XXXI. V. jdus Septembris.* (*id est* 9. Septembris.)**

Autographum pergameaum in Scriniis Abbatiae Thuricensis vulgò Frauen-Munster, *& Apographum in Historia diplomatica ejusdem monasterii, Auctore Eruditissimo Erhardo* Durstteler, *MSc. in fol. pag.* 43-44. *& T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 99. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

I. (2) Dei gratia Thuricensis Abbatissa universis presens scriptum intuentibus rei geste notitiam. Noverint Universi quod A. (3) Matrona de Naglinchon Uxor Hugonis militis dicti Brun (4) universam hereditatem suam in qua successit fratri suo Arnoldo militi de Naglinchon felicis recordationis Ecclesie nostre contulit ea lege, ut Nos nomine dicte Ecclesie nostre prefatum maritum suum H. Brun, & ipsorum prolem eisdem bonis infeudaremus & ipsi sive quicumque dictorum

ſtorum bonorum fuerint poſſeſſores de eisdem in perpetuum annualem cenſum quatuor denarios videlicet dare Eccleſie teneantur, quod in preſentia noſtri nobis Tutore dicte A. Matrone R. Nobili de Wediſchwyler, (5) qui preſens fuit, conſentientibus plenarie & rite factum. Ad hec prefatus H. Brun dicte Uxori ſue A. coram nobis ſepe dicta bona eadem hora prole conſentiente donavit ita, ut qualiscunque mutatio fiat in ipſo & eorum de prole ſeu per mortem ſeu per alios caſus prememorata Domina non minus uſum fructum bonorum ante dictorum usque ad terminum vite ſue percipere teneatur, & poſt modum eadem bona ſecundum morem redeant ad heredes. Teſtes qui huic facto interſuerunt ſunt hi. Domine noſtre de conventu etiam ſubſcripte aderant Kunha de Loxingen, (6) Mechtild de Wengen (7), Geppa de Burren (8), Willeburgis de Hagenbuch (9) Berchta de Teſſen (10). Chunradus Plebanus ſancti (11) Petri. Chunradus Plebanus de Altorf. (12) Rodolfus de Waſſerstelz, (13) Waltherus de Wediſchwyler Nobiles. (14) Wernherus Advocatus dictus Biber. (15) Henricus filius Ortliebi. Conradus de Littore. Henricus Bruno. Ri. de Kloten milites. Otto Manezzo. (16) Rodolfus Manezzo. Henricus de Uallo. Wernerus Bonezzo. Gerungus aurifaber. (17) Burcardus de Ponte. Ulricus & Conradus fratres de Vico & alii quam plures. Ut autem hec non effugiant notitiam poſterorum predicta omnia huic pagine noſtri ſigilli munimine roborate ſecundum ordinem fecimus annotari. Acta ſunt hec anno Domini M.CC.XXXI. Indict. (18) IV. V. jd. (19) Septembris.

Notae.

(1) Talis hujus Cartae veterrima Inſcriptio.

(2) Id eſt *Judenta* de qua ſequentes Cartae.

(3) Forſan *Anna* vel Agnes: Nobiles de *Naglinken* vel *Naglikon* ſuam habebant arcem ubi nunc villa ejus nominis jacet in praefectura *Waedenſchweil*, ditione Reipublicae Thuricenſis. Vide *Bluntſchli* Memorabilia Tigurina p. 299. & *Leu*, Hiſt. Helvet. Lexicon T. XIV. p. 11.

(4) *Brun*, vel *Braun* Nobilis & Patricia gens Thurici, nunc extincta. Vide *Leu* ibid. T. IV. p. 350. & ſeq.

(5) Barones & Nobiles de *Waedenſchweil* ſuam habebant arcem nunc in ruinis jacentem ſupra numeroſum pagum ejus nominis ad lacum Turicinum (*am Zurichſee*) qui pagus cum multis aliis per Helvetiam ſparſis dominiis illis pertinebat. Vide de eis Memorabilia Tigurina Auctore *Bluntſchli* p. 505. &

& seq. & *Leu*, ibidem T. XIX. p. 10 - 14. *Waedenschweil*, latinè *Vadisvilla*, est praefectura Reipublicae Thuricensis. *Rudolfus de Wedinwile* de quo nostra Carta fuit die XI. Julii 1217. testis descriptionis limitum ac terminorum circa loca & bona ad monasterium *Einsidlense* pertinentia, Rudolfi Comitis *de Raprechtswiler* auctoritate firmatae (apud *Herrgott* Geneal. Habsburgicae Vol. II. p. 223.)

(6) Vel de *Loexingen*. Illius nobilis stemmatis fata nos latent.

(7) Nobiles *de Wengi* in Turgovia de quibus *Leu* ibidem T. XIX. p. 283 - 284.

(8) De Nobilibus de *Buren* agit Clarissimus *Leu* ibid T. IV. p. 440 - 441.

(9) Nobiles *de Hagenbuch* suam habebant arcem prope pagum hujus nominis in Comitatu *Kiburg*, ditione autem Reipublicae Thuricensis, ad limites Comitatûs *Kiburg* & Landgraviatus *Turgoviae*. Vide de illis *Leu* ibidem T. IX. p. 424 - 425.

(10) Nobiles *de Tessen* quorum fata ignoramus, inter Nobiles Thuricensis civitatis, jam dudum extinctos, numerat *Bluntschlius* in *Memorabilibus Tigurinis* pag. 634.

(11) Scilicet Thurici.

(12) Collatio parochiae *Altorf* in Cantone *Uraniensi* tunc pertinebat Abbatiae Thuricensi ab ipsius fundationis tempore.

(13) De Baronibus de *Wasserstelz* in Comitatu Badensi agit idem Clarissimus *Leu* ibidem T. XIX. p. 193. & seq.

(14) Vox *Nobilis* hac in Carta designat stilo hujus aevi diplomatico *Liberum Baronem*.

(15) Florebant olim inter Nobiles & Patricias civitatis Thuricensis familias, *Biber*, *Ortlieb*, *Brun*, *de Littore*, *de Kloten*; vide de illis *Bluntschli* & *Leu*.

(16) & (17) Thurici etiam olim clarebant Nobiles & Patriciae Gentes *Manest*, *de Vallo*, *Bonesso*, *Goldschmid*, latinè *Aurifaber*, *von der Brugg*, latinè *de Ponte*, *Abdorff*, latinè *de Vico*.

(18) Indictio IV. anno 1231. currebat.

(19) Scilicet IX. Septembris.

LIV.

LIV.

Judenta Abbatissa Thuricensis cum consensu Capituli Henrico Episcopo Constantiensi jus patronatus Ecclesie Kamo quod ad ipsam pertinebat, pleno jure contulit possidendum, ita ut proventus dictae Ecclesiae, ad Episcopi & suorum Successorum mensam pertineant. E contra Henricus Episcopus consensu sui Capituli, Abbatissae & ei succedentibus decimas Ecclesiarum in Altorf & Burgelen, ad ipsum ratione circuitûs pertinentes, remisit & donavit. M.CC.XLIV. die 19. Junii.

Autographum pergamenum in Archivo Abbatiae Thuricensis Frauenmunster, *& Apographum in hujus Abbatiae Diplomatica Historia MSc. in fol. p.* 50-51. *Auctore Eruditissimo Erhardo* Dursteler, *& ex ea T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 106. *in MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

H. (1) Dei gratia Constantiensis Episcopus. Universis Christi fidelibus salutem in Domino cum notitia rei geste. Quoniam in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, ut alter alterius onera supportemus, taliter obligamur, ut hinc inde nihil ominus Ecclesiarum indemnitatibus caveatur. Noverint igitur tam posteri quam presentes, quod cum Reverenda in Christo Judinta (2) Abbatissa, totusque Conventus Monasterii Thuricensis in decimis quibus dictum Monasterium in Altorf (3) & in Burgelen (4), annis singulis sustentatur, de quarto in quartum annum ratione decimarum, quarte nostre nobis debitis & solvendis, defectum non modicum pateretur, nobis humiliter supplicavit, ut super dispendio hujusmodi quem pro nostris iuribus requirendis, in prebendis suis consueverant sustinere, paterno affectu eisdem compati dignaremur. Communicato igitur hinc inde consilio sapientum, talis permutatio tam ad nostre Ecclesie quam ipsius Monasterii commodum intercessit. Abbatissa coenobii memorata, jus patronatus Ecclesie Kamo (5), quod ad ipsam iure dinoscitur pertinere, nobis nostrisque Successoribus pleno jure de consensu Conventus sui contulit perpetuo possidendum. Ita quod proventus ipsius Ecclesie ad nostram nostrorumque Successorum mensam de cetero pertineant, aliquo contradictionis obstaculo non obstante. Nos quoque consensu Capituli nostri accedente, Abbatisse sepe dicte & eidem succedentibus in posterum, ac ipsi Monasterio decimas

Eccle-

Ecclesiarum in Altorf & in Burgelen, ad nos ratione circuitus pertinentes, remisimus, concessimus, & donavimus, pleno jure permutationis, titulo perpetuo possidendas, prout illas hactenus percepimus vel percipere poteramus. Ad hec ex parte nostra que Ecclesie Abbatisse suique Monasterii omni juri sive actioni hinc inde exstitit renunciatum, quo permutatio hec posset aliquatenus irritari. Ut autem permutatio concepta in posterum maneat inconcussa, duo paria conscribi placuit literarum & tribus sigillis nostri, nostrique Capituli, ac prelibate Abbatisse munimine roborari, quorum unum in nostro Secretario, alterum in Monasterio sepedicto, decernimus reponendum. Acta sunt hec in Secretario Constant. Anno gratie M.CC.XLIIIJ. tertio (6) decimo Kal. Julii. Indictione I. multis presentibus quorum nomina subnotantur. Regnerus Prepositus (7). Burcardus Decanus. Ulricus Thesaurarius. Eberhardus Prepositus (8) Sancti Stephani. Chunradus Scholasticus. Chunradus Prepositus (9) Imbriacensis. Otteno. Albertus. Rodolfus Sacerdotes. Henr. Diaconus. Hilteboldus dictus Waltherus. Waltherus. Lutoldus Subdiaconi, Canonici nostre Ecclesie & confratres: Nomina (10) Sanctimonialium in Cenobio Thuricensi assensum prebentium in hoc facto sunt ista. Chunza de Loxingen, Mechtildis de Wengen, Adalheidis de Pieterlo, Willebirch de Hagenbuch, Gepa de Wazherburen, Berchta de Tessen, Elisabetha de Schneggenburch, Hedwigis & Mechtildis de Wunnenberg, Berchta de Kempten, Berchta de Tussen & alii quam plures.

Notae.

(1) Henricus *de Thann* sive *Tanneck* Episcopus Constantiensis ab anno 1234. usque ad an. 1248. quo mortuus est.

(2) Vide Cartam antefatam anni 1231.

(3) *Altorf*, Caput & pagus Cantonis *Uri* seu Uraniensis.

(4) *Burglen*, parochia & pagus Cantonis Uraniensis, mediâ circiter leucâ à pago *Altorf*.

(5) Hodie *Cham* vel *Kam*, numerosa parochia, & pagus ad lacum Tugiensem, unâ horâ itineris à civitate *Zug* seu Tugio cui pertinet.

(6) Die 19. Junii 1244. currebat Indictio *prima* quae incoeperat mense Septembri 1243.

(7) Forsan legendum *Peregrinus* qui Praepositus erat majoris Capituli Constantiensis die VIII. Julii 1244. ut docet sequens Instrumentum, quique occurrebat die

die 13. Januarii 1240. testis Cartae, quae exstat apud *Herrgottum* Geneal. Habsburgicae Vol. II. p. 256-257.

(8) Scilicet in urbe Constantia.

(9) *Chunradus Praepositus Imbriacensis* (Embrach) iterum occurrit in sequenti Carta 8 Julii 1244.

(10) Erant omnes illae Sanctimoniales Abbatiae Regalis Thuricensis splendido genere ortae, quas inter nominantur nonnullae de quibus jam egimus in notis ad Cartam praefatam anni 1231. ubi & occurrebat *Geppa de Burren* quam praesens Instrumentum anni 1244. nuncupat *Gepam de Wazherburen*. Eâdem celebratur Cartâ, scilicet praesenti, *Adalheidis de Pieterlo* cujus originem Germanicam seu Burgundicam nescimus.

Elisabetha de Schneggenburch. Jacet villa Schneggenburg in parochia *Weinfelden*, in Turgovia. Nobiles hujus nominis numerat *Bluntschlius* in *Memorabilibus Tigurinis p.* 630. inter extinctas Thuricensis civitatis familias.

Vide *Leu* ibid. T. XVI. p. 410. de villa *Schneggenburg* qui & T. XIX. p. 614. Nobiles de *Wunnenberg* in Turgovia collocat.

Barones de *Kemten* vel *Kaempten* suam habebant arcem in pago ejusdem nominis in parochiâ *Wetzikon*, praefecturâ *Gruningen*, & ditione Reipublicae Thuricensis. De illis multa apud clarissimum *Leu* T. XI. p. 7. & seq. sicut & de Baronibus *de Tussen* qui in Helvetia olim splendescebant. — *Ibid. T. XVIII. p.* 359. *& seq.*

LV.

Henricus Episcopus Constantiensis reditus Ecclesiae in Altorf, cujus jus patronatus ad Monasterium Thuricense pertinet, Abbatissae eidemque succedentibus, pleno jure concessit possidendos, ita ut in praelibata Ecclesia perpetuus Vicarius ordinetur, assignata ei honesta portione.

Die 8. Julii 1244.

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Thuricensis vulgò Frauenmunster, *& Apographum in ejusdem Monasterii Diplomatica Historia, Auctore Eruditissimo Erhardo* Dursteler, *p.* 49-50. *MSc. in fol. & T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 105. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

H. (1) Dei gratia Constantiensis Episcopus. Universis Christi fidelibus salutem in Domino & notitiam rei geste. Cum superhabundaverit iniquitas, & refriguerit caritas multorum propter adinventiones hominum captiosas & malicias multiplices, dies non solum mali, sed etiam pessimi appareant manifestissimis argumentis, secundum varietatem morborum medecinam congruam convenit adhiberi, ut sic aliquatenus malicia temporis retineatur. Licet autem sapientibus & insipientibus debitores simus, loca tamen religiosa, que diversis diversorum Principum donationibus, largitionibus, privilegiis fundatorum, seu quorumcunque munificentia dotata noscuntur, diligere, fovere & in prospero conservare, quantum cum Deo possumus, paterno affectu propensius intendimus. Noverint igitur tam posteri quam presentes, quod cum Monasterium in Thurego (2), magnificentia (3) regia sit fundatum, propter defectus tamen cottidianos, Advocatorum injuria & pressuras, quas cottidie quasi sustinent minus iuste, Reverenda in Christo Abbatissa & Conventus ipsius Monasterii nobis humiliter supplicarunt ut super his eisdem compati dignaremur, aliquod eisdem remedium adhibentes, quo in disciplina monastica possent commodius sustentari. Nos igitur super hujusmodi negotio tractatu habito diligenti, earundem precibus inclinati, reditus Ecclesie Altorf (4) cujus jus patronatus ad dicti Monasterii Abbatissam noscitur pertinere, memorate Abbatisse eidemque succedentibus, Capituli nostri accedente consensu, pleno iure concessimus perpetuo possidendos, taliter decernentes, ut in prelibata ecclesia perpetuus Vicarius ordinetur, assignata eidem honesta portione, qui Domino & populo in divinis & Ecclesiasticis Sacramentis valeat deservire, & Nobis in spiritualibus debeat respondere. Ut autem hec nostra concessio seu donatio in posterum maneat inconcussa, presens Scriptum nostro & Capituli nostri sigillis fecimus roborari. Acta sunt hec Anno Gratie M.CC.XLIIIJ. octavo jdus Julii. Indictione I. (5) in Capitulo nostro, multis presentibus, quorum nomina subnotantur. Peregrinus Prepositus. Burchardus Decanus. Ulricus Custos. Eberhardus Prepositus (6) sancti Stephani. Chunradus Scholasticus. Chunradus Prepositus (7) Imbriacensis. Otteno. Rodolfus. Albertus Sacerdotes. Henricus Diaconus. Waltherus. Hilteboldus. Waltherus. Lutholdus Subdiaconi. Waltherus Accolitus & alii quam plures.

Notae.

(1) Henricus *de Thann* sive *Tanneck* Episcopus Constantiensis ab anno 1234. usque ad ann. 1248. quo obiit, Praesul omni laude dignus.

(2) Id

(2) Id eſt, *Zurich.*
(3) Abbatia Thuricenſis fundata Saeculo IX. a Ludovico Rege Germaniae, Caroli Magni Nepote.
(4) *Altorf*, pagus & Caput Cantonis Uranienſis.
(5) Indictio *prima* die 8. Julii 1244. Incoeperat ea menſe Septembri 1243.
(6) Praepoſitura ſancti Stephani in urbe Conſtantia.
(7) *Embrach*, olim Praepoſitura Canonicorum in Cantone Thuricenſi & in Comitatu Kiburgenſi, nunc Saeculo addicta. *Chunradus Praepoſitus Imbriacenſis* de quo hic agitur, eſt omiſſus in Catalogo Praepoſitorum *Embrach*, in Hiſt. Helvetiae Lexicone, T. VI. p. 315. Auctore Clariſſimo *Leu.*

LVI.

Lutoldus (1) *Senior de Regensperg & Bertha Uxor ejus Judente Abbatiſſe Thuricenſi pro XXXV. marcis argenti vendunt domum in Thurego, que dicitur in littore, quam a dicto monaſterio pro annuo cenſu ½ ℔. cere jure hereditario poſſederunt. M.CC.XLVI. in Vigilia Apoſtolorum Simonis & Jude.*

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Thuricenſis, vulgo Frauenmunſter, *& Apographum in Hiſtoria diplomatica hujus monaſterii, ab Eruditiſſimo Erhardo* Durſteler *conſlata p.* 52. *MSc. in folio, & T. VIII. Monumentorum Helvetico-Tugienſium p.* 110. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Lutoldus (2) Senior de Regensperg univerſis preſentium jnſpectoribus, notitiam ſubſcriptorum. Noverint quos noſſe fuerit opportunum, quod Ego & uxor mea Berchta, domum noſtram in Thurego, que dicitur in littore, quam a monaſterio Thuricenſi pro annuo cenſu videlicet poſſidemus jure hereditario, vendidimus venerabili Domine Judenthe ejusdem Monaſterii Abbatiſſe pro XXXV. marcis argenti, renunciantes omni juri, quod nobis in eadem domo competebat vel competere videbatur, preſente & expreſſe conſentiente etiam filio noſtro Lutolto, conſentiente etiam Ulrico filio noſtro, ſicut patet in ipſius litteris evidenter. Acta ſunt hec in Eccleſia de Vare (3) Anno Domini M.CC.XLVI. in vigilia (4)

Apostolorum Simonis & Jude, presentibus his testibus Proeposito (5) & omnibus Dominabus Ecclesie de Vare. Henr. de Steinmur (6) & Ar. de Legirn (7) militibus. Magistro B. Procuratore. Magistro B. Physico de sancto Petro, & Monasterii Thuricensis Plebanis. Burc. Notario dicte Domine Abbatisse. H. Flore. (8) R. dicto (9) Manehen. Conr. Wellin. Ur. Sculteto & Hu. Trembellino & H. dicto Clave & aliis quam plurimis. jn testimonium premissorum presentem cedulam dicte Domine Abbatisse, sigillo meo tradidi roboratam.

Notae.

(1) Talis Inscriptio hujus Cartae dorso autographi.

(2) Barones de *Regensperg* Thuricensibus celebres annalibus.

(3) Parthenon *Fahr*, Ordinis sancti Benedicti, a Baronibus de *Regensperg* ad flumen *Lindimacum* (Limmat) Saeculo XII. fundatum, in Comitatu Badensi.

(4) Scilicet die 27. Octobris.

(5) Parthenon *Fahr* subjectum est Abbatiae *Einsidlen* quae illud regit per Praepositum illic residentem.

(6) *Steinmaur*, pagus & parochia in praefectura *Regenspurg*, vel *Regensperg* in ditione Reipublicae Thuricensis, Nobiles illius nominis fuerant feodales Baronum de *Regensperg*, numerantur inter benefactores Parthenonis *Fahr* in quo & sepulti.

(7) Arnoldus miles *de Legirn* cum consensu Dominorum suorum Lutoldi & Ulrici *de Regensperch* vendidit praedium in *Horwin* sororibus *de valle sanctae Katarinae* juxta castrum *Diezinhovin*, Constantiensis Diocesis, die 4. Januarii 1250. testes inter *H. de Chnssachpergh*, miles. Vide *Herrgott* Codice probat. Geneal. Habsburgicae Vol. II. p 203. ubi & p. 407. idem Arnoldus alià celebratur Cartà mense Augusto 1268. expeditâ. De Nobilibus *von Laegern* prope Badam Argoviae multa egerunt *Bluntschlius* in Memorabilibus Tigurinis p. 267. & Clarissimus *Leu* Hist. Helvet. Lexic. T. XI. p. 298.

(8) Patricia gens Thurici olim florebat sub nomine Germanico *Blum*, & latino *Flos*.

(9) Forsan legendum *Rudgero dicto Mannez* de quo Carta anni 1251. Thurici in Archivo *Frauenmunster* servata. *Bluntschlius* etiam memorat inter extinctas Patricias gentes civitatis Thuricensis, *Schultheiss* latinè *Sculteti*, *Trembelli* vel *Tremilli*, *Well*, *Nagel* vel *Clave*.

LVII.

LVII.

Petrus Cardinalis, & Apostolicae Sedis Legatus die 23. *Aprilis* 1248. *incorporavit Abbatiae sancti Galli Ecclesiam in Abbaticella* (Appenzell.)

Autographum pergamenum in Scriniis Principalis Abbatiae sancti Galli, & Apographum T. II. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum *p.* 21. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Petrus (1) *miseratione divina sancti Georgii ad velum aureum Diaconus Cardinalis, Apostolicae Sedis Legatus*, dilecto in Christo . . Abbati (2) sancti Galli, Constantiensis diocesis, salutem in Domino. Volentes obtentu tui servitii & devotionis quam ad Romanam geris Ecclesiam, gratiam tibi facere specialem, praesentium tibi auctoritate concedimus, ut Ecclesiam in Abbaticella (3), ad tuam collationem spectantem, cedente vel decedente rectore ejusdem, in usus proprios tibi & Successoribus tuis libere liceat retinere, ita tamen quod semper eidem Ecclesiae per idoneum Vicarium serviatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Argentinae (4) IX. Kalend. Maii, anno Domini milesimo ducentesimo quadragesimo octavo.

Notae.

(1) Petrus *Cappoccio*, Romanus, creatus anno 1244. Diaconus-Cardinalis sub titulo sancti Georgii *in Velabro* a Papa Innocentio IV. qui cum Lugduni resideret illum anno 1246. misit suum Legatum in Germaniam ad inducendos Imperii Principes ut Henrico-Rasponi, Regi Romanorum nuper defuncto alium darent Successorem contra Imperatorem Fridericum II. Principes elegerunt die 29. Septembris 1247. Wilhelmum Comitem Hollandiae. Cardinalis autem Petrus Germaniâ redux fuit a summo Pontifice missus Legatus in Siciliam in qua fugavit copias Imperatoris Friderici II. Obiit Romae die 20. Maii. 1259, ibique tumulatus est in Basilica *sanctae Mariae Majoris* cum Inscriptione marmorea. Vide *Ciaconium*, vitae & gesta Summorum Pontificum p. 569. Romae 1601. in fol. cum fig.

(2) An-

(2) Anno 1248 erat Abbas ſancti Galli Berchtoldus Liber Baro de *Falckenſtein*.

(3) Germanicè *Appenzell*, parochia & pagus, Caput Cantonis ejusdem nominis.

(4) Id eſt *Strasburg*, die 23. Aprilis 1248.

LVIII.

Innocentii IV. Papae Bulla in gratiam Monaſterii de Altcreſt, *vulgò* Hauterive, *Ciſtercienſis Ordinis, Lugduni die* 10. *Februarii M.CC.XLVIII.*

Autographum pergamenum in Scriniis Illuſtriſſimae Reipublicae Bernenſis, Apographum autem T. V. Lib. XII. p. 42. *Diplomaticae collectionis Abrahami* Ruchat, *quae Bernae in Bibliotheca publica ſervatur. Simile quoque Apographum Tugii T. I. Helveticarum a Saeculo ſeptimo Cartarum p.* 157-158. *in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubiana.*

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & conventui Monaſterii de Altcreſt, Ciſtercienſis Ordinis, Lauſannenſis Dioceſis, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem praebere conſenſum, & vota quae a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Cum igitur, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, venerabilis frater noſter Epiſcopus Lauſannenſis, Monaſterii veſtri tenuitate penſata, parochialem Eccleſiam de Villanova (1), Lauſannenſis Dioceſis, quae Eccleſia de Compengie vulgariter dicebatur, Decani de Viviaco (2), qui ratione Decanatus ſui jus in eadem Eccleſia ſe habere dicebat, & Capituli Lauſannenſis accedente conſenſu, vobis in proprios uſus pia & provida liberalitate duxerit concedendam, prout in eorum litteris confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc ab eodem Epiſcopo piè ac providè factum eſt, ratum & gratum habentes, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & praeſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praeſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugduni IIII. jdus Februarii Pontificatus noſtri anno quinto. (3)

Notae.

Notae.

(1) Vide Cartam antefatam Landrici Epifcopi Laufanienfis fub anno 1166. in qua nominatur Ecclefia *de Compengie*, cujus fitus in notis defignatur.

(2) *Viviacum*, hodie *Vevai*, Germanicè *Vivis*, elegans Vaudi ad lacum Lemanum fub ditione Bernenfium oppidum.

(3) Innocentius IV. electus fummus Pontifex die 24. vel 25. Junii 1243. Concilium Lugdunenfe oecumenicum 1245. celebravit, Lugduno difceffit die 19. Aprilis 1251, obiit Neapoli die 7. Decembris 1254. Die autem 24. vel 25. Junii 1248. completus fuerat annus quintus illius Pontificatus. Porro autem praefens Bulla eft munita plumbo in quo legitur: INNOCENTIVS PP. IIII.

LIX.

Innocentii IV. Papae Breve datum Lugduni 21. *Decembris M.CC.XLIX. pro Monafterio* Sanctae Margaritae in Waldkirche, *in Brisgovia, Conftantienfis Diocefis.*

Autographum pergamenum in Scriniis Praepofiturae & Ecclefiae Collegiatae ad fanctam Margaretham in Waldkirch prope Friburgum in Brisgovia.

INNOCENTIUS (1) Epifcopus Servus Servorum Dei. Dilectis in Chrifto filiabus Abbatiffae & conventui Monafterii fanctae Margaritae in Waltkilche (2) Ordinis fancti Benedicti Conftantienfis Diocefis Salutem & Apoftolicam benedictionem. Ut veftrae provideamus quieti & veftri monafterii difpendiis obviemus. Venerabilis fratris noftri Epifcopi (3) Argentinenfis & dilectorum filiorum nobilium (4) virorum Walteri de Gerolzege (5) & de Ufimberc (6) & Ulrici Domini de Snabilburc (7) devota precamina nos inducunt. Cum igitur. Sicut ex parte veftra fuit propofitum coram nobis. Sancti Petri (8). Sancti Martini. & fanctae Walpurgis ecclefiae ad veftrum monafterium pertinentes. per Rectores presbiteros per nos inftituendos in eis qui tanquam veftri monafterii capellani tenentur in eo divina officia celebrare. debeant. & confueverint hactenus gubernari. Nos predictorum Epifcopi & Nobilium precibus inclinati. Auctoritate vobis praefentium indulgemus. ut ad nullius provifionem de praefatis ecclefiis deinceps compelli poffitis. Datum Lugduni XII. KL. Januarii Pontificatus noftri anno feptimo. (9)

Notae.

(1) Innocentius IV. Papa electus die 24. vel potius 25. Junii 1243., generale Lugduni tenuit concilium anno 1245. contra Fredericum II. Imperatorem quem deposuit, Lugdunum reliquit die 19. Aprilis 1251. postquam illic resedisset per sex & medium annos. Obiit Neapoli die 7. Decembris 1254.

(2) *Waldkirch*, in Brisgovia, prope Friburgum, olim Abbatia Monialium Ord. S. Benedicti, illic constructa & dedicata *in honorem sanctissimae Dei Genitricis Mariae sanctaeque Margarethae Virginis*; de qua *Crusius* in Annalibus Suevicis Lib. VI. P. III. C. 12. p. 346. Nunc conversa est in Ecclesiam Collegiatam Canonicorum Saecularium, *ad sanctam Margaretham* dictam. Extat apud *Herrgottum* Geneal. Habsburgic. T. II. p. 91-92. Diploma Ottonis III. Regis, (postea Imperatoris) datum *Sasbach* XI. Kal. Januarii, id est 22. Decembris, 994. quo Monasterio *Waldkircha*, *in pago Brisgowe*, talem largitus est *libertatem, qualem Augia, Corbeia aliaque monasteria habent in quibus monachi vel monachae sub regula sancti Benedicti digna Deo praebent servitia.* Idem Diploma de electione Abbatissae praefati Monasterii statuit, similiter & de Advocati illius conventus nominatione.

(3) Anno 1248. erat Episcopus Argentinensis Henricus *de Staheleck*, uti videre est e Cartis 1246.-1255. a clarissimo Schoepflino in *Alsatia diplomatica* relatis. Cui Henrico successit *Waltherus de Geroldseck*, filius Waltheri de quo praesens Breve.

(4) *Nobiles viri*, id est stilo hujus aevi diplomatico, *Liberi Barones.*

(5) Barones *de Geroldseck*, ad Vosagum, & Advocati *Maurimonasterii* in Alsatia, e quibus *Waltherus* Dominus *de Geroltseckh* Argentinensis Diocesis, & sui filii Waltherus Praepositus Argentinensis, Hermannus & Heinricus fundaverunt Monasterium *de Steiga*, Ordinis sancti Augustini, Argentinensis Diocesis, per Cartam datam Argentinae pridie Calend. Decembris (31. Decembris) 1259., quam retulit Schoepflinus T. I. *Alsatiae diplomaticae* p. 428-429.

(6) Barones de *Usenberg* vel *Vesenberg*, de quibus Schoepflinus multa in *Alsatia illustrata & diplomatica* nec non in Historia diplomatica *Zaringo-Badensi.* *Nobilis vir de Usimberc* de quo praesens Carta, videtur idem fuisse atque *Radulfus Nobilis vir de Usemberc* cui permiserat Innocentius IV. Lugduni Nonis Januarii anno quarto sui Pontificatus, matrimonium cum Helia nata quondam Nobilis viri Henrici *de Lichtenberc*, quae illi quarto consanguinitatis

tatis gradu erat affinis. Pontifex laudat eadem bulla Radulfi zelum pro Henrico Rege Romanorum qui fuerat electus anno 1246. contra Fridericum II. Imperatorem quique sequenti anno obiit, quem vulgariter Historici nominant *Regem Presbiterorum*, quia ipsum elegerant soli tres Archiepiscopi Moguntinensis, Coloniensis & Trevirensis. Haec Bulla extat apud Schoepflinum T. I. *Alsatiae diplomaticae* p. 395.

(7) Nobiles *de Schnabelburg* erant ramus prosapiae Baronum *de Eschenbach*, Helveticis celebrium annalibus. Arx *Schnabelburg*, in apice montis *Albis*, in Cantone Turicensi, eminebat, in vicinia Capellensis Abbatiae Cisterciensis Ordinis, cujus & fundatores fuerant *Nobiles viri ab Eschenbach & Schnabelburg*, & in qua eorum tumuli adhuc cernuntur. Porro autem ut ejusdem Monasterii documentis & aliis probatur, *Ulricus Nobilis de Schnabelburg*, filius natu major *Berchtoldi* Nobilis de Schnabelburg & N. Baronissae *de Klingen*, procreavit ex uxore sua N. Comitissa *de Thierstein*, *Berchtoldum* Dominum *de Schnabelburg* qui conjugem habuit sororem Margravii *de Haberg* vel *Hachberg* e domo Badensi quique sepultus est *Capellae* Claustro ubi & ejus pater *Ulricus* jacet cum uxore sua N. Comitissa *de Thierstein*. — 2. *Waltherum* Dominum *de Schnabelburg* qui decesserat ante ann. 1268. sine liberis & in Monasterio *Waldkilchen* fuit sepultus. — 3. *Johannem*, qui adhuc vivebat 1268. ultimus sui rami cujus haereditas ad *Eschenbachios* Barones affines devoluta est. — 4. *Ulricum*, Equitem Teutonicae domus *in Buken* &c. &c. En notitiam trium Cartarum quarum autographa servantur in Scriniis Ecclesiae Parochialis *Bar* in Cantone Tugiensi alias *Zug* quarumque Apographum a me ex originalibus descriptum & notis illustratum possidet Bibliotheca Zur-Laubeniana, T. XL. *Stemmatographiae Helvetiae* p. 356. & seq. *MSc. in folio.* — Carta *data apud Capellam* qua Ulricus *Nobilis de Schnabelburch*, donavit in vigilia Ascensionis, id est nona die Maii 1249., de consensu filiorum suorum Berchtoldi & Waltheri, Monasterio de Capella, *jus patronatus Ecclesie de Barro quod ex largitate Rudolfi, Alberti & Hartmanni Comitum de Habspurch titulo mere proprietatis possidebat.* — Carta *data in Castro Snabelburch* die 28. Decembris 1254. qua Vlricus *Nobilis de Snabelburch* nomine testamenti donavit jus patronatus Ecclesiae *in Barro*, Monasterio dicto *Capella*, Cisterc. Ord. Constantiensis Diocesis. — Carta data *apud Chlotum*, (*Kloten* in Cantone Turicensi) die 27. Februarii 1255. qua Berchtoldus tutor omnium fratrum suorum & sororum *Nobilium de Snabelburch*,

burch, ratificavit teſtamentum defuncti patris ſui Vlrici de patronatu Eccleſiae *in Barro*, in gratiam Abbatis & Monaſterii *de Capella.*

(8) *Eccleſiae S. Petri, S. Martini, & ſanctae Walpurgis ad Monaſterium Waltkilche ſpectantes*, ſcilicet in vicinia ejusdem Monaſterii.

(9) Die 21. Decembris 1248. currebat ſeptimus annus Pontificatûs Innocentii IV. qui electus fuerat Papa die 24. vel potius 25. Junii 1243. Vide *l'Art de verifier les dates.* Praeſentem Cartam ex Autographo deſcripſit ineunte Martio 1783. Perilluſtris DD. *Byrsner*, Praepoſitus Collegii Canonicorum *in Woldkirch*, qui eam mihi (Baroni *de Zur-Lauben*) Tugium transmiſit, in litteris (die 5. Martii 1783.) ipſius fratris DD. *C. Byrsner*, Canonici & Plebani civitatis *Rhinfelden* prope Baſileam. Ambo illi fratres maxima pollent eruditione.

LX.

Berchtoldus Nobilis de Schnabilburg decimam in Kamove nomine ſuorum fratrum & nepotum Abbatiſſae Thuricenſi reſignat, in gratiam Abbatiſſae & Conventus de Valle Beatae Mariae (Frauenthal), *Ciſtercienſis Ordinis, Conſtantienſis Dioceſis anno* 1256.

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Thuricenſis in civitate Zurich, *& Apographum in Hiſtoria diplomatica illius monaſterii ab Eruditiſſimo Erhardo* Durſteler *conſcripta p.* 61. *MSc. in fol. & T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 118. *&* 374. *MS. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Reverende in Chriſto M. (1) Dei gratia Abbatiſſe Monaſterii Thuricenſis, Berchtoldus Nobilis vir de Schnabilburg (2) ad obſequia ſe paratum. Reverentie veſtre decimam in Kamove (3), quam ego & fratres mei (4) & nepotes noſtri (5) B. & W. fratres de Eſchibach, à veſtro Monaſterio hucusque pro annuo cenſus jure hereditario poſſedimus, & quam dilectus noſter H. villicus (6) de Kamo, à nobis jure feudali noſcitur hactenus etiam poſſediſſe, pro me & fratribus (7) Wal. Jo. & Ulr. adhuc impuberibus, & quorum tutor ſum de jure preſentibus reſigno, cum propter hoc ad preſens ad vos legitimis negotiis impeditus accedere non poſſim, ſub hac conditione, ut easdem decimas Abbatiſſe & Conventui de Valle Beate Marie (8), pro annuo cenſu, ſecundum quod vobiscum convenerint, jure here-

hereditario concedatis, renuncians pro me & dictis fratribus meis, tenore presentium omni juri, nobis in predictis decimis competenti. In cujus rei testimonium presens scriptum vobis transmitto, mei sigilli munimine roboratum. Actum Anno Domini. M.CC.LVI. Indictione quarta decima. (9)

Notae.

(1) Scilicet *Mechtildis.*

(2) Nobiles de *Schnabilburg* vel *Schnabelburg*, suam arcem, nunc dirutam, in apice montis *Albis*, in vicinia Abbatiae Capellensis in qua eorum tumuli cernuntur, habebant in Cantone Turicensi. Erant illi ramus natu minor Baronum ab *Eschenbach*, hi & illi consundatores Abbatiarum *Cappel* & *Frauenthal*, Cisterciensis Ordinis.

(3) *Kamove*, hodie *Chamau*, villa in parochia *Cham* vel *Kahm*, in ditione civitatis Tugii seu *Zug*.

(4) Scilicet *Waltherus* & *Berchtoldus* ut sequenti constat Carta quae ferè similis est tenoris atque praesens instrumentum, quaeque servatur in eodem Archivo cujusque Apographum a Clarissimo *Schruchzer*, de Historia Helvetiae naturali tam bene merito, fuit descriptum, & extat T. VIII. eorundem *Monumentorum Helvetico-Tugiensium* p. 372.

Reverende in Christo M. Dei gratia Abbatisse monasterii Turicensis Waltherus & Berchtoldus fratres nobiles de Eschibach ad obsequia se paratos. Reverentie Vestre decimam in Kamowe, quam nos & nepotes nostri, Berchtoldus, Waltherus, Joannes & Ulricus de Snabelburg, a vestro monasterio hucusque pro annuo censu jure hereditario possedimus, & quam dilectus noster H. villicus de Kamo a nobis jure feodali noscitur hactenus etiam possedisse, presentibus resignamus, cum propter hoc ad presens ad vos legitimis negotiis impediti accedere non possimus. sub hac conditione ut easdem decimas Abbatisse & Conventui de Valle beate Marie pro annuo censu secundum quod vobiscum convenerint, jure hereditario concedatis. Renuntiantes tenore presentium omni juri in praedictis decimis competenti. In cujus rei testimonium presens scriptum vobis transmittimus, presentis sigilli munimine roboratum, quo ego Berchtoldus utor, cum proprium non habeam. Actum anno Domini M.CC.LVI. Indict. XIIII.

(5) Vox *nepos* hac in Carta eandem latam habet significationem quam verbum Germanicum *Vetter*.

(6) Ger-

(6) Germanicè *Meyer von Cham*, Nobiles feudatarii Baronum de Eſchenbach & Schnabelburg, arcem ſancti Andreae ad lacum Tugienſem in parochia *Cham* poſſidebant, numerantur inter benefactores Abbatiarum *Cappel* & *Frauenthal*, & ſepulti fuerunt in primo illorum monaſteriorum.

(7) Vide notam anteſatam ſub num. (4).

(8) Vulgò *Frauenthal*, Ciſtercienſis Ordinis, in parochia *Cham*, & ditione civitatis *Zug*.

(9) Indictio quarta decima anno 1256. occurrebat.

LXI.

Donatio facta ab Hartmanno Comite juniore de Kyburch, Conventui Macra Augia *juxta Fryburgum ultra Sanonam fluvium, in Dioceſi Lauſannenſi, die 24. Januarii* 1259.

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae la Maigrauge, *Ciſtercienſis Ordinis, & Apographum T. IV.* Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 247. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Notum ſit omnibus tam futuris quam preſentibus quod ego Hartmannus (1) Comes junior de Kyburch laude conſenſu beneplacito burgenſium meorum Communitatis ſcilicet de Fryburgo dedi conceſſi & contuli libere pro Deo in liberum allodium Augiam dictam Macram iuxta Friburgum ultra Sanonam (2) fluvium Conventui religioſarum foeminarum omnibusque ſibi ſuccedentibus ibidem Dei & ejus glorioſe Virginis Matris obſequiis & laudibus omni tempore ſub regula & inſtitutis beati Benedicti (3) pro ſe & nobis aliisque ſuis benefactoribus vacantes in perpetuum quiete & pacifice poſſidendam. Quare ut iſta donatio plene firmitatis robur habeat, feci preſentem Cartam ſigilli (4) mei & ſigilli ſupradicte (5) civitatis de Fryburgo munimine roborari. Actum eſt hoc apud Friburgum iuxta capellam beate Marie Virginis anno gratie Domini MCCLIX. in vigilia converſionis beati Pauli Apoſtoli.

Notae.

(1) Qui *Hartmannus* fuit dictus *junior*, ut diſtingueretur a patruo ſuo *Hartmanno ſeniore* Comite de Kiburg. Erat autem ille Dominus civitatis *Friburgi* in Oecht-

Oechtlandia,' obiit die 3. Septembris 1263. & ſepultus fuit in Abbatia *Wettingen.* Ejus unica filia & haeres, *Anna*, nupſit Eberhardo Comiti de *Habspurg*, cuius poſteri *Comites de Kiburg* fuerunt nuncupati.

(2) Id eſt ad ripam dexteram fluminis *la Sane* prope Friburgum.

(3) Ordo Ciſtercienſis pro primitivo inſtituto habet regulam ſancti Benedicti.

(4) Scilicet ſcutum oblongae formae, rubeum argenteâ ſectum taeniâ quam aſcendunt duo leones aurei.

(5) Ovale ſcutum argenteum in quo turris pinnis diſtincta cum praetenſo muro, nigri coloris, ſupra quem murum eminet parvum ſcutum oblongum, argenteum, aquilâ nigrâ, expanſâ & ad dexteram aſpicientis, praeditum. Infra autem turrem & murum apparet ſemi-circulus etiam nigri coloris.

LXII.

Declaratio Volrici Nobilis de Klingen, die 22. Aprilis 1259. de decima in Hynderburch pro Abbatia de Capella Ciſtercienſis Ordinis, Conſtantienſis Dioceſis.

Autographum pergamenum in Scriniis Eccleſiae Parochialis Nuheim *in Cantone* Zug, *& Apographum T. V.* Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 214. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Volricus Nobilis (1) de Klingen omnibus ad quos preſens ſcriptum pervenit ſincere caritatis affectum cum notitia ſubſcriptorum tenore preſentium univerſitati veſtre inſinuandum duximus quod cum Volricus (2) miles de Kloton civis Thuricenſis ac ſui progenitores quamdam decimam ſitam in Hynderburch in parochia Eccleſie Barro nomine noſtro ac progenitorum noſtrorum ſe aſſerant titulo feodi poſſediſſe ac poſtmodum Abbas & Conventus de Capella Cyſtercienſis Ordinis eundem militem coram judicibus in cauſam traxerint ſuper decimis memoratis aſſerentes ipſas Eccleſie Barro in cujus parochia eedem decime ſite ſunt attinere. Tandem a partibus fuit in arbitros compromiſſum Reverendos videlicet in Chriſto Othonem Prepoſitum Thuricenſem Magiſtrum Rodulſum de Rumelanch Volricum dictum Wolfleiber Magiſtrum Hugonem Bochlinum & Magiſtrum Chuonradum Scolaſticum Canonicos Thuricenſes. Qui per ſententiam arbitrariam Eccleſie parochiali easdem decimas adjudicaverunt juſticia exigente. Verum

Verum dictus Abbas & Conventus omnem dubietatis scrupulum amputare cupientes ne forte sibi a nobis vel nostris posteris aliqua lis seu questio possit suscitari Nobis humiliter supplicaverunt quod sententiam dictorum judicum ratam & pergratam habere dignaremur in hac parte. Nos ipsorum pie petitioni benignum prebentes assensum tum propter hoc quia lesam in hoc habuimus conscienciam, quia novimus jure communi omnes decimas parochiali Ecclesie attinere. Tum propter hoc, quia pro nostra & parentum nostrorum animabus orare jugiter promiserunt. Sententiam predictorum arbitrorum nomine nostro filiorum nostrorum heredum & successorum gratam habemus & presentibus ratam pronunciamus. Renunciando omni juri actioni auxilio consilio & omni beneficio tam Juris canonici quam civilis consuetudinibus constitutionibus generalibus seu specialibus publicis seu privatis editis vel edendis & omnibus aliis occasione quorum predicta sententia posset vel per nos vel per nostros successores seu aliquem seu aliquos de nostris impugnari aliqualiter vel quassari. In cujus rei testimonium presens instrumentum sigillis videlicet Reverendi in Christo . . . . Abbatis Maristelle (3) & meo firmiter communivi & roboravi. Actum & datum Clinguowe (4) anno Domini M°.CC°.L°.IX°. X. KL. (5). Maij. Indictione IJ.

Sigilla desunt, sed eorum cernitur locus.

Aliud instrumentum in eodem Archivo adest huic in omnibus simile, praeter initiale verbum quod sonat: *Walterus de Klingen.* Erat hic frater Ulrici de quo praesens Carta, uti docet Instrumentum die 22. Octobris 1253. datum, (apud *Herrgott* Codice probat. Geneal. Habsburgicae Vol. II. p. 305. & seq.)

Notae.

(1) Nobiles viri seu Barones *de Klingen*, aliàs *de Chlingen*, *Hohen-* & *Alten-Klingen*, in Turgovia, & Comitatu Badensi celeberrimi & potentes Dinastae.

(2) Vide pro ampliori praesentis Instrumenti notitia sequentem Cartam anni 1260.

(3) Id est *Wettingen*, Abbatia Ordinis Cisterciensis, Constantiensis Diocesis, in Comitatu Badensi Argoviae.

(4) Oppidulum *Clingnau*, aliàs *Klingnau*, ad dexteram ripam *Arae fluminis*, in Comitatu Badensi pertinebat Saeculo XIII. Baronibus de Klingen. Vide *Leu* Hist. Helvetiae Lexicon T. XI. p. 129.

(5) Die 22. Aprilis 1259. currebat Indictio secunda.

LXIII.

LXIII.

Libellus supplex Vlrici de Kloton militis, Civis Thuricensis, ad Eberhardum Episcopum Constantiensem, contra militem Bernherum de Wile qui litem moverat contra Abbatem & Conventum de Capella, Cisterciensis Ordinis, super quadam decima in parochia Barro sita in loco Hinderburch, die IX. Decembris MCCLX.

Autographum pergamenum in Scriniis Ecclesiae Parochialis Nuheim, *in Cantone Tugiensi, & Apographum T. V. Monumentorum Helvetico-Tugiensium p. 216. MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Reverendo patri ac domino Eberhardo (1) Dei gratia Constantiensi Episcopo sive ipsius Officiali Volricus miles Civis Thuricensis dictus de Kloton (2) se subjectum & devotum. Cum Bernherus miles dictus de Wile (3) honorabiles in Christo Abbatem & Conventum de Capella (4) Cisterciensis Ordinis super quadam decima in parochia Barro (5) sita in loco qui dicitur Hinderburch (6) quam ego a progenitoribus hereditariam iure feodi dinoscor habere, coram vobis ut audivi citaverit in causam & ipsi me nominent suum Warandum id est illius decreti feodali iure dominum & possessorem. Vestram paternitatem supplico humiliter & attente quatenus me in prefata decima que jure feodali ad me pertinet & quam nunquam resignavi & predictos Abbatem & Conventum de Capella qui eandem decimam nomine meo ad meam & Ecclesie sue utilitatem colligunt & colligi faciunt ad instanciam predicti Bernheri vel alterius laici contra iusticiam & consuetudinem super decimis post Lateranense (7) Concilium laicis observatam, ullatenus conveniatis vel molestetis — alioquin Sedem Apostolicam appello Apostolos postulando. Dando Heinrico dicto Barrer presentium portitori Auctoritatem ut eandem appellationem coram vobis innovet viva voce Apostolos postulando. Sigillo Domini Heinrici (8) Prepositi Thuricensis cum proprium non habeam utor in hac parte. Datum Thuregi feria tertia (9) post festum beati Nicolai. Indictione (10) III.

Notae.

In Dorso hujus Instrumenti legitur: Appellatio Domini Volrici de Schoenvert de decima in Hinderboerch. recognitio. P. V.

(1) Eberhardus *Truchseß de Waltpurg* Episcopus Constantiensis electus 1248. obiit 1274.

(2) Vide de illo milite Volrico *de Kloton* praecedentem Cartam die 22. Aprilis 1259. propter decimam *in Hynderburch.*

(3) Nobiles *de Wyl* suam habebant arcem in pago *Wyl*, in planitie dicta *Rafz*, hodie in Cantone Thuricensi. Miles Bernerus *de Wile* suam causam perdidit ut probat Instrumentum datum *Turegi III. Idus Octobris* (3. Octobris) anno 1263. & quod exstat in opere Gallico cujus titulus, *les Tables Genealogiques des Augustes Maisons d'Autriche & de Lorraine* p. 76-79. par M. le Baron de Zur-Lauben, Paris 1770. in 8vo.

(4) *Cappel*, olim Abbatia Cisterciensis Ordinis, Constantiensis Diocesis, nunc Praefectura Cantonis Thuricensis ad limites Tugiensium.

(5) *Bar*, ingens pagus Cantonis Tugiensis, ex illius parochia olim pendebat districtus *Hinderburg*, nunc Parochiae *Nuheim*, eodem in Cantone, adnexus.

(6) *Hinderburg*, seu *Hinterburg*, villa in parochia *Nuheim*, & Communitate *Menzingen*, Cantone *Zug*. Haec villa olim erat arx ut ex illius fundamentis judicare licet.

(7) Quartum Concilium Lateranense, quod duodecimum Concilium Oecumenicum seu Generale nuncupatur, fuerat celebratum anno 1215. sub Pontificatu Innocentii III.

(8) Heinricus de Klingenberg, postea Episcopus Constantiensis, erat Praepositus Thuricensis Praepositurae anno 1271. Forsan idem de quo nostra Carta anni 1260. Sigillum non amplius apparet.

(9) Id est 9. Decembris feriâ tertiâ post festum sancti Nicolai Episcopi quod celebratur sexta die ejusdem mensis.

(10) Indictio tertia die 9. Decembris 1260. currebat. Aliud huic simile de verbo ad verbum pergamenum instrumentum eodem in Archivo servatur cujus in dorso legitur: *Litigium de quadam decima. recognitio Volrici militis Kloton P. VIII.*

LXIV.

LXIV.

Carta data Frooden Owa (*Freudnau*) *die* 15. *Octobris* 1263. *qua ambo fratres Goetfridus & Eberhardus Comites* de Habsburch *confirmaverunt donationem a suo patre defuncto Rudolpho Comite* de Habsburch *factam Abbatiae* de Capella, (*Cappel,*) *Ordinis Cisterciensis, Diocesis Constantiensis, de feodo decimarum in* Hinderburch.

Autographum pergamenum in Scriniis Ecclesiae parochialis Nuheim, *in Cantone Zug, & Apographum T. V.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 220. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Vniversis presentem paginam inspecturis. Goetfridus (1) & Eberhardus (2) fratres utrini Comites dicti de Habsburch in perpetuum. Ordo juris equitatis & nature postulat & requirit ut ea que a parentibus & predecessoribus iuste & pie ordinantur habito respectu ad Domini nostri verbum . . . . Christi dilectionem & religiosorum promotionem in remedium animarum firma & illibata permaneant & penitus inconvulsa. Noverint igitur presentes & futuri quod nos concessionem feodi decimarum in Hinderburch (3) parochie in Barro (4) Constantiensis Dyocesis quarum collatio ad nos & nostros predecessores iure proprietario pertinebat, & quas Heinricus & Jacobus confratres dicti de Tuno (5) Cives Turicenses iure feodali possederunt. quas noviter de feodo . . . . . cum de iure non possemus Bernero militi de Wile (6) concessimus iure feodi possidendas credentes easdem vacare & penitus ignorantes ipsarum proprietatem . . . . . Abbati & conventui de Capella Ordinis Cisterciensis Constantiensis dyocesis a Rudolfo (7) patre nostro Comite de Habsburch inclite recordationis legaliter collatam, sicut in instrumentis super hoc confectis plenius apparebit, eisdem Abbati & conventui iterato in remedium animarum nostrarum nostrorumque parentum contulimus. Immo collationem eisdem a dictis progenitoribus nostris factam, presentibus innovamus, confirmamus & approbamus nomine nostro & nobis succedentium. Testes sunt hi . . . . Rector Ecclesie in Stoufen (8). R. nobilis de Balma (9). Wal & B. fratres de Hallewile (10) . . . de Rusegga (11). de Liebegga (12). R. de Chussenach (13). Diethelmus pincerna (14). de Habsburch. H. de Ostro (15). D. de Heinchart (16). C. dictus Bochseler (17) milites. R. Scultetus in Bremegarton (18) . . . . Scultetus de Sempach (19). Volricus filius ejusdem. Heinricus de Bechi, & alii quam plures. Datum Freeden Owa (20). Anno Domini M°.CC°.LXIII°. Id. Octobris. Indictione septima. (21)

Notae.

(1) & (2) Goetfridus & Eberhardus Comites Habsburgi, e linea *Lauffenburgensi*, ambo filii Rudolfi Comitis de Habspurg, cognominati *Taciturni* & Gertrudis Baronissae de Regensperg, quorum primus e vivis decessit anno 1271. & alter 1284, quas epochas Lector benevolus inveniet consignatas Annalibus Dominicanorum Colmariensium ab *Urstisio* editis.

(3) *Hinterburg*, villa in parochia *Nuheim*, communitate *Menzingen*, & Cantone Tugiensi.

(4) *Bar*, ingens parochia, pagus & communitas Cantonis Tugiensis.

(5) Mentio est fratrum *de Tuno* Heinrici & Jacobi, civium Turicensium (*Zurich*) in Carta Ruodolfi Comitis de *Habsburch Landgravii Alsatie* data Turegi (*Zurich*) III. Idus Octobris (3. *Octobris*) 1263. qua ille Comes, (posteà Rex Romanorum), confirmavit monasterio *de Capella* decimas in *Hindeburch* quas praefato Conventui donaverat *Heiliwig* mater illius Comitis. Hoc instrumentum extat in libro cujus titulus, *Tables Genealogiques des Augustes Maisons d'Autriche & de Lorraine*, par M. le Baron de Zur-Lauben, p. 76-79. Paris 1770. in 8vo.

(6) Miles *Bernerus de Wile* nominatur in praefata Carta 3. Oct. 1263. *ministerialis Comitis Ruodolfi de Habsburch.* Nobiles *de Wyl* saepe occurrunt in instrumentis Comitum de Habspurg & civitatis Zurich.

(7) Agitur hìc de Rudolfo Comite de Habspurg, cognominato *Seniore* vel *Taciturno*, qui obiit 1249. fuerat per indevisum cum suo fratre natu majori Alberto, Landgravius superioris Alsatiae. Reliquit inter alios liberos *Goetfridum*, Comitem de Habspurg, Dominum in Lauffenburg, satorem lineae *Lauffenburgicae* quae desiit anno 1408, & *Eberhardum*, Comitem de Habspurg & Landgravium Turgoviae, auctorem Lineae *Kiburgicae* quae extincta fuit circiter 1420. Rudolfus autem cognomento *Taciturnus* fuerat patruus Rudolfi I. Regis Romanorum.

(8) Forsan *Staufen*, pagus cui impendet mons *Staufberg* supra quem sita est parochia hujus nominis, mediâ leucâ ab oppido *Lenzburg*, in praefectura hujus nominis, & Cantone Bernensi. Parochia *Staufberg* est latissima, & inter alios districtus continet pagum *Staufen*.

(9) Barones de *Balm* vel *Palm* Helveticis famosi annalibus. Earum arx, nunc in ruinis, jacebat in praefectura *Willisau*, pago *Groß-Dietweil*, ditione Lucernensi.

cernensi. Residebant etiam *Altishofii*, *Altishofen*, in eadem ditione. Necrologium antiquae domus Teutonici Ordinis in *Altishofen* amplas celebrat illorum donationes.

(10) Prosapia *de Hallweil* in Argovia inter vetustissimas & nobilissimas Helvetiae familias recensetur. Agitur in nostra Carta de Walthero & Berchtoldo fratribus de *Hallewille*, militibus.

(11) Barones *de Rusegg* in Historia diplomatica Helvetiae saepius celebrantur, eorum arcis rudera insignia adhuc cernuntur prope amnem Rusam, & pagum *Merischwanden*, in Cantone Lucernensi.

(12) *Liebegg*, ejus nominis Nobiles erant in Comitatibus de *Kiburg* & de *Lenzburg*, vide *Leu* Helvet. Lexicon T. XII. p. 122-123.

(13) *Kussenach*, cujus nominis Nobiles suam habebant arcem, ruderibus nunc conspicuam, supra pagum *Kusnacht* ad lacum *quatuor Cantonum silvestrium*, in ditione Reipublicae Suitensis.

(14) Habspurgi Comites magnos Aulae suae Officiales habebant, utpote *Dapiferum*, *Pincernam &c.* quae officia illi militibus conferebant, verbi gratia *Marescalli* eorum munus primogenito Equestris Domûs ab *Haleweil* semper annexum erat.

(15) In Cantone *Zurich* celebrabantur Nobiles ab *Uster*.

(16) Nobiles ab *Henkart* vel *Haenggart* suam habebant arcem in ejusdem nominis pago, Comitatu Kiburgensi, & Cantone Thuricensi. Agitur in Carta anni 1263. de milite Diethelmo de *Henkart*.

(17) Miles Conradus *Bochsteler*, vide hunc articulum in Historico Helvetiae Lexicone, Auctore D. *Leu*, T. IV. p. 155. exstat Carta anni 1360. in qua Johannes *Bochsler*, miles, qui residebat prope *Embrach* in Cantone Thuricensi.

(18) Scilicet civitas *Bremgarten* ad Rusam flumen.

(19) Oppidum *Sempach* in Cantone Lucernensi.

(20) Cernuntur rudera castri *Freudnau* in parochia *Kirchdorff*, in Comitatu *Baden*, ad flumen *Aram*, prope confluentem *Arae & Lindimaci*. Hanc verò arcem anno 1351. combusserunt Thuricenses. Vide *Leu*, Hist. Helvet. Lexicon. T. VII. p. 323-324.

(21) Indictio *septima* mense Septembri 1263. incoeperat.

LXV.

Carta data in villa Bremegarton die 24. Augusti 1267. cum sigillo Henrici Abbatis de Mure, *Constantiensis Diocesis.*

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Monialium Frauenthal, Vallis sanctae Mariae, *Cisterciensis Ordinis, in ditione civitatis Zug, & Apographum T. IV.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 88-89. *MSc. in fol. Tugii (Zug) in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Universis Christi fidelibus ad quos presentes littere pervenerint. Johannes Viceplebanus in Sarmantstorf (1) noticiam rei geste Universitati vestre presentibus duxi significandum, quod ego Divina inspiratione compunctus domum meam sitam in Bremegarton (2), quam quondam a Heinrico dicto de Staffeln burgensi predicte ville de Bremegarton comparavi, religionis in Christo ..... Abbatisse & conventui (3) Vallis sancte Marie Cisterciensis ordinis Constantiensis Dyocesis & eiusdem alias res mobiles ex se moventes presentibus dono confero & assigno libere & quiete possidendas & habendas. Predicte vero religiose eandem domum & res quas eisdem iam contuli, mobiles vel se moventes aut in posterum confero tenentur vendere & precio ipsorum simul congregato possessiones suo ex eisdem rebus comparare. Preterea predictis religiosis aliam domum in villa prefata dedi & nomine testamenti legando assignavi in usum ipsius domus in vita mihi & cuidam ex ipsis ex nomine specificam mentis quoad vixerunt, retinendo. Res enim si que in predicta domo post meum obitum quocumque nomine censeantur prefatis religiosis trado & confero libere possidendas non obstante cujuslibet contradictione. predicte vero domus, quam ego a Rychenza que dicitur Mola comparavi, Volricus fater de Butwile (4) & Heinricus dictus Baldenweg Werences (5) esse tenentur quandocumque fuerint requisiti. Hujus rei testes sunt H. de Barro (6). Chuono de Mesterswamch (7). Ruodolfus de Hemmikon (8). Volricus Nesi. C. de Eschibach. C. in der Haldun & alii quam plures. Sed quum sigillum ipsum non habeo presentem litteram predictis religiosis (9) sigillo reverendi in Christo Dni Henrici (10) Abbatis de Mure firmiter tradidi roboratum. Acta sunt in villa Bremegarton anno Domini M°.CC°.LX°.VII°. in festo sancti Bartholomei Apostoli Indictione (11) nona.

Notae.

Notae.

(1) In Necrologio Abbatiae *Frauenthal* ex antiquiori descripto pergameno legitur die XXVII. Maii, *Priester Joannes von Bremgarten, Pfarrer zu Sarmistorff vergabet uns an sein Jarzeit die Bodenzins zu Sarmistorff, die wir noch besizen*, *A*° 1276. Porro autem pagus & parochia *Sarmentorff* jacent in libera Argovia inferiori prope pagum *Vilmergen*, collatio illius parochiae pendet ab Abbatia *Einsidlen*, & inferius pagi dominium pertinet Libero Baroni *de Roll ab Emmenholz*, Solodorensi, Domino in *Hilfiken*, qui est Capitaneus Praetorianae Helveticorum Legionis apud Regem Christianissimum.

(2) Hodie *Bremgarten*, civitas olim Argoviae adscripta.

(3) Vulgò *Frauenthal*, in ditione civitatis Tugiensis, ad *Lorzam* flumen.

(4) *Butwile*, hodie villa *Buttweil* in parochia & inferiori jurisdictione *Muri*, in superiori Argovia libera.

(5) Id est *fundi auctores, sponsores.* Vox Gallica *Garantie*, unde *Garant, Auctor, Sponsor*, & *Garantir*, *auctoritatem rei traditae profiteri*, suam habet radicem in veteri teutonico verbo, *Warandia.* Vide *Cangii* Glossarium infimae Latinitatis.

(6) *Bar*, parochia & communitas in Cantone Tugiensi. Dabantur Nobiles *de Barro* qui suam arcem habebant extra praefatum pagum *Bar*, in Colle *im-Buel* ubi ex illius ruderibus constructa est turris in qua servatur sulphureus vel nitratus pulvis ad usum Universitatis *Bar.*

(7) *Mesterwamch*, forsan pagus *Meisterschwanden* ad laevum latus Halwilensis lacûs, in Comitatu *Lenzburg*, & ditione Bernensium, parochiâ verò *Sengen*; de Nobilibus *de Meisterschwanden*, qui suam arcem habebant in ditione Lucernensi, non procul a praefato pago *Meisterschwanden*, agit Historicum Helvetiae Lexicon Auctore perillustri D. *Leone* (*Leu*), Consule Reipublicae Thuricensis, T. XIII. p. 29.

(8) *Hemmikon*, ignoro hujus loci situm. Jacet quidem in Cantone Basiliensi pagus *Hemmiken* in parochia *Buss* & praefectura *Farnspurg.* Sed cum praesentis Cartae locali non quadrat distantia.

(9) Pendet sigillum quod non descripsi, sed describendum esset. Illud autem est crinibus septum.

(10) Erravit Auctor *Muri & Antemoralis p.* 40 - 41., licet fuerit doctissimus, cum ab anno 1258. usque Kalend. Januarii 1270. *Waltherum* inter Abbates Muren-

Murenses inscripserit, cui Henricus *Schenck de Castel* successit qui die 24. Aprilis 1283. obiisse fertur, eodem teste *pag.* 43. Jam anno 1267. die 24. Augusti, Abbas Murensis praeerat *Henricus* de quo praesens Carta. Jam tum domum suam in civitate *Bremgarten* possidebat Murensis Abbatia, uti opinari licet.

(11) Indictio *nona*, quae incoeperat Septembri 1266., & finiebat eodem mense 1267. Carta nostra 24. Augusti, festo sancti Bartholomei data, ad an. 1267. est referenda.

LXVI.

Compromissi (1) judices in lite inter Ulricum Abbatem Heremitarum & Mechtilden Abbatissam Thuricensem arbitrando statuunt, quod dictus Abbas incompetenti structura, controversum murum edificet, ita tamen quod nihil ultra murum emineat, & in omnibus ligneis structuris, pro possibili careat. VIII. Kal. Novembris M.CC.LXVIII.

Autographum pergamenum in Scriniis Illustrissimae Reipublicae Thuricensis, & Apographum in Historia Diplomatica Abbatiae Thuricensis, vulgò Frauenmunster, *ab Eruditissimo Erhardo* Dursteler, *Thuricensi, conflata p.* 84-85. *MSc. in fol. & T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 141. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Universis hanc paginam inspecturis. Henricus Prepositus, Henricus Plebanus sancti Petri Thuricensis, & Magister Rodolphus Scholasticus Heremitarum, notitiam subscriptorum. Orta lite inter Reverendos in Christo Ulricum (2) Abbatem Heremitarum ex una, & Mechtilden Abbatissam Thuricensem ex altera parte, super quodam muro sito ante domum (3) ipsius Domini Abbatis in Thurego, eodem Domino Abbate asserente, eundem murum ad domum predictam pertinere, memorata vero Domina Abbatissa asserente, ipsum murum ad Cymoeterium sui monasterii pertinere, tandem in nos vallata poena decem marcarum exstitit compromissum, & causa partis contravenientis amissa. Nos circumstantiis omnibus inspectis, auditis etiam assertionibus vicinorum communiter arbitrando diffinimus, statuimus & ordinamus, quod iam dictus Dominus Abbas, in competenti structura, eumdem murum edificet, ita tamen quod nihil in

in ipſo muro edificet, quod ultra murum emineat vel precellat, in omnibus etiam ligneis ſtructuris caveat, quantum caveri poteſt, ne ſi incendium emerſerit, prenominato monaſterio exinde periculum valeat generari. Datum Thuregi (4). Anno Domini M.CC.LXVIII. — VIII. (5) Kal. Novembris. Indictione duodecima.

Notae.

(1) Haec praeſentis Inſtrumenti eſt veterrima in dorſo inſcriptio.

(2) *Ulricus* ex Baronibus *a Vinide* Abbas Heremitarum vulgò *Einſidlen*, Ordinis S. Benedicti, ab anno 1266. usque ad ſuam mortem *tertio idus Auguſti* 1277. Vide illius geſta in Annalibus Heremi Deiparae Virginis a Chriſtophoro *Hartmanno* ſcriptis, pag. 257.

(3) In Civitate Thuricenſi, *Zurich*, Civilegio pollet Princeps Abbas Heremitarum, & illic habet inſignem domum vulgò dictam *Einſidlerhoff*.

(4) Scilicet *Zurich*.

(5) Nempe 25. Octobris 1268, quo anno, menſe Septembri, incoeperat Indictio *duodecima*.

LXVII.

Carta data Conſtantiae die 21. Decembris 1271. qua Eberhardus Conſtantienſis Epiſcopus permutationem Eccleſiae Patronatus & reddituum in Cham pro Eccleſia de Swenlingen confirmavit.

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Thuricenſis, Frauenmunſter-Zurich, *& Apographum e Muſeo Scheuchzeriano, exprompum legitur T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 380-381. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Eberhardus (1) Dei Gratia Conſtantienſis Epiſcopus Univerſis Chriſti fidelibus praeſentium inſpectoribus ſalutem, & in Domino caritatem. Debitam paſtoralis officii curam exequi videmur, dum & noſtram Eccleſiam Cathedralem, quantum in Nobis eſt, non negligimus, & tamen aliarum Eccleſiarum noſtre Dyoceſis utilitati proſpicimus & quieti. Recognoſcentes igitur, quod permutatione legaliter ordinata venerabilis in Chriſto Judenta (2) Abbatiſſa Monaſterii Thuricenſis,

censis, Ordinis sancti Benedicti, nostre Dyocesos, de Consilio sui Conventus, & Consensu Ecclesiam in Chamo (3) cum jure patronatus, dote & decimis eidem Ecclesiae ad portionem Plebani pertinentibus, inclytae recordationis Henrico Episcopo (4) Praedecessori nostro suisque Successoribus & Ecclesiae Constantiensi, ad mensam Episcopalem ante viginti octo annos & amplius legaliter contulit pleno jure perpetualiter possidendam, ejusdem juris dominium vel quasi dominium in nostrae Ecclesiae potestatem, legitime transferendo, recipiens ab eodem Henrico Episcopo & suo Capitulo in recompensationem decimas Ecclesiarum in Altorf (5) & in Burgelon (6) de quarto in quartum annum Constantiensi Episcopo ratione circuitus pertinentes. Attendentes nihilominus, quod nos de ipsa Ecclesia in Chamo & dilecti in Christo Heinricus Praepositus Thuricensis dictus de Klingenberch & suum Capitulum de Ecclesia sua & proventibus in Swenlingen (7), que dicitur sancti Vincentii, propter loci distantiam, multiplices terrarum guerras & alias quasdam incommoditates interiacentes & periculis subjacentes, jam multis annis debitos nec potuimus nec possumus habere redditus & proventus, multa & bona deliberatione prehabita, de Consilio & Consensu Capituli nostri libero, unanimi & expresso, eandem Ecclesiam in Chamo dilectis in Christo jam dictis Praeposito & Capitulo Ecclesiae Thuricensis & eorum Successoribus ac Ecclesiae legitimo permutationis contractu praesentibus donamus vacuam, & a nullo occupatam tradimus, assignamus ad mensam & usus eorundem, & ipsos Praepositum & Capitulum & eorum Ecclesiam ad possessionem predictae Ecclesiae in Chamo cum omni jure, quod ibidem usque nunc ratione prenotatae Ordinationis habuimus, mittimus corporalem. Omne jus nostrum, quod nobis in Ecclesia eadem ratione ordinationis prenotatae competebat, vel competere videbatur in ipsos & suam Ecclesiam sine omni exceptione totaliter transferendo. Dantes eisdem plenam spiritualiter auctoritatem, Vicarium instituendi & destituendi, ibidem, secundum quod suae saluti viderint expedire. Instrumenta etiam quae super hiis habuimus, in manus eorum resignamus, renunciantes nomine Ecclesiae, nostrorumque Successorum omni juri, consuetudini, constitutioni, ratione quorum hujusmodi permutationis contractus posset aliquatenus irritari. Nam curam animarum in ipsa Ecclesia Chamo de Consilio Capituli nostri & consensu sic annectimus, unimus & incorporamus Thuricensi Praepositurae, quod ipse Prepositus Thuricensis in ipso actu confirmationis sibi impense simul recipit curam animarum Ecclesiae prenotatae. Licet id verbis non exprimatur. Et sic idem Prepositus nonnisi de consensu

fenfu totius Capituli Thuricenfis vel majoris partis ejusdem Ecclefiae in Chamo de Vicario idoneo tenetur providere, five fit de predicto Capitulo, vel alter. Si vero in Electione Praepofiti difcordia fuerit fuborta, auctoritas inftituendi & deftituendi Vicarium in prefata Ecclefia Chamo, & procurandi eandem penes totum Capitulum, quod cenfetur unum corpus vel majorem & faniorem partem ejusdem remanebit donec Praepofitus lite fopita fuerit confirmatus. Proteftantes quod in fepe dicta Ecclefia Chamo nomine quartae nos & Succeffores noftri nihil de cetero percipiemus, falvo in aliis jure Dyocefani. Ad plenam Warandiam ubicunque, & quandocunque neceffe fuerit, fuper praemiffis univerfis & fingulis praeftandam Nos & noftros Succeffores & Noftrum Capitulum firmiter obligando. Dicti etiam Praepofitus & Capitulum Thuricenfe Ecclefiam fuam in Swenlingen, quae dicitur fancti Vincentii cum jure patronatus, dote & ejusdem hominibus feu mancipiis ad Ecclefiam Praepofiturae Thuricenfis jure proprietatis pertinentibus, decimis, cenfibus, manfibus, fcopofis, agris, pratis, pafcuis, cultis, & incultis, nemoribus, aquarum decurfibus & omnibus juribus ac fervitutibus, quae ibidem usque ad praefens habuerant, Nobis & noftris in Ecclefia Cathedrali Conftantienfi Succefforibus donaverunt, tradiderunt, affignaverunt, & in eorundem bonorum & jurium poffeffionem miferunt corporalem. Nos etiam ad reformationem, meliorationem, renovationem prefentis inftrumenti, fi vetuftate vel alio quocunque cafu vitiatum fuerit, vel confuinptum faciendam, efficaciter procurandam, dum fuerimus requifiti, nos & noftros Succeffores & fepe dictum Capitulum noftrum bona fide firmiter obligamus. Et in evidentiam ac affertionem praemifforum ad quorum omnium & fingulorum obfervantiam Nos & noftrum Capitulum preftito fuper facro fancta Evangelia juramento obligamus, praefens Inftrumentum non folum figillis noftro videlicet & noftri Capituli Conftantienfis verum etiam Dilectarum in Chrifto Elifabethe (8) Abbatiffae Thuricenfis & fui Conventus ac praedictorum Praepofiti & Capituli Thuricenfis partibus hinc inde duplicatum traditur communitum. Acta funt haec Conftantiae praefentibus quorum haec funt nomina Magifter Walcher (9) Decanus, Heinricus fanctorum Johannis & Stephani Conftantienfis & Thuricenfis Ecclefiarum Praepofitus, dictus de Klingenberch, Berchtoldus Cuftos & frater fuus Burkardus Scolafticus dicti de Hohenvels (10). Berchtoldus de Buffenanch (11). Burchardus de Hewen (12). Rupertus de Tannivels (13) Canonicus Majoris Ecclefiae noftrae. Magifter Heinricus de Capella, Canonicus fancti Johannis Conftantienfis. Item Magifter Chunradus (14) Cantor, Magifter Bertoldus Scolafticus, Welcho Plebanus, Rudegerus

gerus de Klotun (15), Joh. Schafelinus, Rudegerus de Schonenwert, Ulricus Wolfleibscho, Heinr. de Rosenberch, Magister Heinr. Notarius noster Can. Thuric. & alii quam plures Ao. Domini Millesimo CC.LXXI. festo S. Thomae (16) Apostoli Indictione quinta (17) decima. Nos praenominati Capitulum Ecclesiae Constantiensis ad omnium praemissorum observantiam personas nostras & nostrorum Successorum firmiter obligamus & inevidentiam nostri consensus & obligationis praesens instrumentum sigillo nostro facimus communitum. Nos autem praedicta Elisabetha Dei permissione Thuricensis Monasterii Abbatissa. Nos etiam Heinricus Praepositus & Capitulum Thuricense in testimonium recognitionis, rathibationis, resignationis, renuntiationis praemissorum que stamus esse vera, praesenti Instrumento sigilla nostra apponi facimus scienter & patenter. Nos quoque ipsius Monasterii Thuricensis Conventus Ordinis sancti Benedicti, & Nos ejusdem Monasterii Canonici seculares sigillo praefatae Dominae nostrae Elisabethae Abbatissae, quia proprium non habemus, in testimonium nostri consensus utimur in hac parte. Data crastino (18) sancti Thomae Apostoli Anno Domini, & Indictione praenotatis.

Notae.

(1) In scriniis Civitatis *Zug* cui nunc pertinet Collatio Parochiae *Cham*, in ipsius territorio sitae, sunt (N. 2. Litt. H) hujus Instrumenti duo consona *Vidimus* in quorum fine legitur: *Magister Cunradus Cantor Thuricensis.* Unum ex illis apographis legitur T. I. *Monumentorum Helvetico-Tugiensium* p. 85-86. in eadem Bibliotheca Zur-Laubeniana. Eberhardus Episcopus Constantiensis de quo praesens Carta rexit ab anno 1248. usque ad suum obitum die 19. Februarii 1274. erat natus de praenobili prosapia *Truchseß de Waldburg.*

(2) Vide Cartam antefatam anni 1244.

(3) Hodie *Cham* vel *Kam*, ingens parochia Cantonis Tugiensis.

(4) Vide eandem Cartam anni 1244.

(5) *Altorf*, Caput & pagus Cantonis Uraniensis.

(6) Ingens parochia & pagus Cantonis Uraniensis, nomine *Burglen*, mediâ circiter leucâ a pago *Altorf.*

(7) *Swenlingen*, hodie *Schwamendingen*, pagus in praefectura *Dubendorff* & Cantone Thuricensi.

(8) Elisabetha fuit Abbatissa Thuricensis ab anno 1270.

(9) *Ma-*

(9) *Magister Walko Decanus* Ecclesiae majoris Constantiensis, B. Thesaurarius, R. de Hewen, ejusdem Capituli Canonici, H. Praepositus sancti Stephani, *dictus de Clingenberch*, celebrantur Cartâ anni 1274. Kal. Augusti apud *Herrgott Codice probat. Geneal. Habsburgicae* T. II. p. 446. Henricus nobilis *de Klingenberg* fuit anno 1293. electus Episcopus Constantiensis & obiit 1306.

(10) Nobiles de *Hohenvels* vel *Hohenfels*, olim in Suevia.

(11) Barones de *Busnang* in Turgovia claruerunt.

(12) In Suevia & Rhetia Barones de *Hewen*.

(13) Nobiles *de Tannenfels* suam arcem, anno 1386. a Lucernensibus dirutam, habebant in parochia *Nottweil*, & praefectura *Rusweil*, ditione Reipublicae Lucernae; vide *Leu*, Hist. Helvet. Lexicon T. XVIII. p. 21.

(14) Magister Conradus *de Mure* Cantor Capituli Thuricensis, suis celeberrimus scriptis, & Caesari Rodolfo I. carissimus.

(15) Nobiles de *Kloten* Thuricensibus illustres annalibus, & inter illius civitatis praecipuas familias Saeculo XIII. numerabantur prosapiae Nobiles *Schaeffli*, *de Schoenwerdt*, *Wolfleipsch*, *de Rosenberg*, *de Rossberg*.

(16) Scilicet 21. Decembris.

(17) Anno 1271. currebat Indictio decima quarta. Vide *l'Art de verifier les dates.*

(18) Die 22. Decembris.

LXVIII.

Sententia arbitraria lata in Octava Epiphaniae id est die XIII. Januarii, MCCLXXIII. de lite mota inter Heinricum Abbatem & Monasterium de Mure, Ordinis sancti Benedicti, Diocesis Constantiensis, & Abbatissam in Seldenowe, Cisterciensis Ordinis, ejusdem Diocesis, & in qua mentio fit plurium Comitum de Habspurg.

Autographum pergamenum in Archivo Illustrissimae Reipublicae Thuricensis, & Apographum e Museo Scheuchzeriano depromptum T. VIII. Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 388-389. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Universis Christi fidelibus presentium Inspectoribus. Hugo Prepositus Imbriacensis (1), magister Cunradus (2) Cantor Thuricensis, Constantiensis Diocesis, affectum Karitatis. Cum super conditione status, vel statu conditionis pere-

grini militis dicti de Vilingen (3), & bonis mobilibus & immobilibus ejusdem inter dilectos in Christo . . . (4) Abbatem & Conventum Monasterii Murensis, (5) Ordinis sancti Benedicti ex una, & . . . Abbatissam & conventum sororum in Seldenowe (6) Cisterciensis Ordinis predicte dioceseos ex parte altera, diutius laboriose litigatum fuisset, dictis Abbate & Conventu de Mure asserentibus & se ad probandum offerentibus, quod idem miles bona sua sita in Bunzena (7) & in Bozwile (8), annuatim aestimata ad quinquaginta frusta minus duobus, de legitimo patruelis sui Heinrici militis dicti de Vilingen & aliorum quorum intererat consensu ipsis & suo monasterio legitimo tradiderit, vendiderit, libere & pacifice perpetualiter possidenda. Et pluribus aliis in hunc modum pro se propositis ac allegatis. Prefatis vero Abbatissa & Conventu sororum in contrarium asserentibus, & etiam se ad probandum offerentibus, quod Nobilis vir bone memorie Gotfridus (9) Comes de Habspurk de consensu & auctoritate carnalium fratrum suorum Rudolfi (10) nunc Prepositi majoris Ecclesiae Basiliensis & Eberhardi (11) Comitis ipsum peregrinum ministerialem suum, instanter & devote petentem, pro sua & suorum perenni salute, ipsis & suo Monasterio in Seldenowe ante multos annos publice solempniter legitime donaverit, tradiderit cum omni jure, quod in ipso & bonis suis mobilibus & immobilibus habuit, & habere videbatur, ipso peregrino per omnia consentiente, libere & expresse. Et tandem in Nos Arbitros seu Arbitratores compromissum fuisset, partibus ad ratihabitionem, non solum se fide data nomine juramenti astringentibus, verum etiam super hoc datis tribus fidejussoribus & obsidibus, videlicet ex parte dictorum Abbatis & Conventus, Rudegero Canonico nostro, & carnalibus fratribus suis, Ulrico milite, & Johanne dictis de Schonewert (12) sed ex parte Abbatisse & Sororum Rudolfo milite & Cunrado fratuele suo dictis de Clarona (13), & Heinrico dicto Stoeiri (14) sub hoc pacto, ut pars veniens contra arbitrium subscriptum, & non servans, parti servanti sub prestito juramento solvat infra mensem, post ammonitionem super hoc a nobis seu nunciis nostris factam, viginti marcas puri & legalis argenti ponderis Thuricensis, & nihilominus caussam & jus causse perdat, & amittat. Nobis etiam a partibus forma talis pacti data fuisset, ut propter obscuritatem & perplexitatem juris partium, & bonum equitatis & concordie causam ipsam amicabiliter decideremus. Nos partium dampnis, laboribus, periculis & fidelium scandalis prospicere cupientes, rationibus, circumstantiis, qualitatibus personarum & negotii, diligentissime perspectis, consideratis. Nobis ad dimidium usque annum a die presenti computandum, primo

primo & principaliter, reservantes plenam auctoritatem corrigendi, supplendi subscripti arbitrii sententiam de multo jurisperitorum & alias proborum consilio, partibus presentibus, arbitrando decrevimus, & decernendo arbitrati sumus in hec verba. Omnis actio Abbatisse & Sororibus in Seldenowe contra Abbatem & Conventum de Mure, ac peregrinum militem dictum de Vilingen, occasione ipsius Militis & bonorum ejusdem, presenti die competens, cessare debet, & e converso. Hoc tamen expresse adjecto, quod predicta Abbatissa & Sorores, ad honorem sancti Martini, predictum Militem & omne jus, quod habent & habere videntur, in persona & bonis mobilibus & immobilibus ejusdem contulerunt, conferunt, Monasterio Murensi, & legitime cesserunt, & totaliter dederunt, resignaverunt, tradiderunt, transtulerunt, libere & expresse in manus dilectorum in Christo Heinrici Abbatis & Conventus Monasterii Murensis, quod & coram nobis factum est. Et idem Miles de omnibus bonis & juribus suis, jam habitis, & in posterum habendis, acquisitis, & acquirendis preter predicta bona in Bunzena & in Bozwile, que jam a se ut premissum est, alienavit, circa predicta duo Monasteria in Mure & in Seldenowe, secundum regimen conscientie sue, faciat & ordinet, quod sibi viderit expedire, contradictione qualibet non obstante. Et in recompensationem hujusmodi cessionis, donationis, antedicti Abbas & Conventus prenominatis Abbatisse & Sororibus & suo Monasterio debent infra mensem a presenti die computandum assignare predium absolutum, secundum nostrum arbitrium & voluntatem, & in possessionem ejusdem mittere corporalem. De quo Conventus Sororum annuatim in festo Martini percipiat summam frumenti, videlicet viginti unum frusta, item licet dicte Sorores de bonis sibi per nos sic adjudicatis, & per Abbatem & Conventum assignatis, annuatim percipere debeant summam frumenti prenotatam, tamen eedem tantundem frumenti de suo Granario Abbati & Conventui sepe dictis, annuatim in octava Martini, quamdiu vixerit peregrinus Miles, dabunt bona sine fraude, & solvent intra Thuregum in domo quam iidem Abbas & Conventus ipsis super hoc duxerint nominandum. Peregrino vero mortuo hujusmodi frumenti solutio a Sororibus facienda cessabit, & Abbas & Conventus Murensis habebunt, & habere debent, per biennium a die mortis ipsius militis computandum, liberam optionem & facultatem, ut predictorum bonorum possessionem, seu possessionum pensionem liberent, redimant & absolvant, dando Sororibus predium liberum & absolutum equivalens, vel tantum argenti, quod ad emtionem predii absoluti equivalentis, secundum communem estimationem rerum tunc venalium, non possit

ratio-

rationabiliter recusari, nobis duobus super hoc moderamine taxationis reservato. Solutio tamen argenti ejusdem non simul & semel fieri debet, sed tribus unius anni temporibus, & terminis, distinctim & competenter super hoc a nobis assignatis. Item sententialiter arbitrati sumus, quod partes nostram arbitrariam in hac parte sententiam fideliter & efficaciter procurent per Dominum (15) Constantiensem Episcopum, Rudolfum Prepositum Majoris Ecclesie Basiliensis, Rudolfum & Eberhardum Comites de Habspurk ratificari & patentibus literis approbari. Item prenominati fidejussores non erunt ab obligatione fidejussionis & obstagii aliqualiter absoluti, antequam nostra super premissis arbitraria sententia per prenominatos, ratificata fuerit & patentibus literis approbata, vel de nostro arbitrio remittatur. Item decrevimus arbitrando, quod si alter utre partium super persona & rebus ipsius peregrini, de quibus jam arbitratum est quæstionem moveri contigerit, pars altera nomine Warandie, ni proprio motu voluerit & sponte fecerit, non tenetur consilio vel auxilio adjuvare. Nihilominus tamen arbitrio nostro, prout decretum & ordinatum est in suo robore perdurante. Et in hujus rei testimonium presens litera nostris, & de Mure & Wettingen (16) Abbatum & Abbatisse in Seldenowe sigillis patenter communita. Acta sunt hec in Ecclesia Thuricensis Prepositure, Presentibus quorum hec sunt nomina. Wel Plebanus Thuricensis Prepositure, Heinr. Slusрelli, Rinwinus Marcius, Magister H. de Basilea, Rudegerus de Schonewert, Magister H. de Rosseberch, Magister Heinricus Manezze (17) Canonici, Magister H. Plebanus in Thuebilndorf (18), Heinricus de Thubilndorf receptus in Canonicam, Ulr. de Schonewert & Rud. de Clarona Milites, Cunradus de Clarona. Heinricus dicti Stoeri. Heinricus Abdorf (19), & aliis quam pluribus fide dignis. Anno Domini MCCLXXIII. In octava Epiphanie Domini. Indictione (20) prima.

Sigillum Hugonis Prepositi Ymbriacensis. | Sigillum Magistri Conradi Cantoris Thuricensis.

Sigillum Heinrici Abbatis Murensis. | Sigillum Abbatis de Maris stella.

Notae.

(1) *Imbriacensis praepositura Canonicorum*, vulgò *Embrach*, in pago ejusdem nominis, Comitatu *Kyburg*, & Cantone Thuricensi, nunc ab epocha mutatae Religionis Administrator civilis nomine Reipublicae Thuricensis antiquos illius proventus regit.

(2) Ce-

(2) Celeberrimus *Conradus de Mure*, Cantor Thuricensis Capituli, qui plurima poeticè & prosaicè scripsit, cujusque opera pleraque adhuc inedita. Vide de illo Conradi *Geßneri* & aliorum Historicas Bibliothecas.

(3) Apud *Herrgottum* Vol. II. *Probat. Geneal. Habsburgicae* pag. 314. &c. legitur Carta anni 1254. qua *Gotfridus Comes de Habespurch* venditionem & donationem vineae *de Hedingen* ab *Heinrico de Vilingen*, milite praefati Comitis, *Benignae* Abbatissae & monialibus monasterii *Vallis sanctae Mariae*, Cistercienfis Ordinis, Constantiensis Diocesis, (nunc in Cantone *Zug* seu Tugiensi) factam, auctoritate sua roboravit. Idem *Heinricus de Vilingen* occurrit in praesenti Carta 1273. erat patruelis *peregrini de Vilingen militis*. Apud eundem Clarissimum Marquardum *Herrgott* ibidem p. 370. datur alia Carta *Gotefridi de Habisburg*, die 27. Septembris (*V. Kal. Octobris*) 1261, cujus inter testes nominatur *Ulricus de Vilingen miles*.

(4) In ulteriori textu praesentis instrumenti vocatur *Heinricus* ille Abbas Murensis.

(5) Celeberrima Abbatia *Muri*, in Libera Argovia, a primaevis Comitibus de *Habspurg*, satoribus *Augustissimae Domus Austriacae*, fundata & dotata, & cujus Abbas titulum *Principis Sacri Romani Imperii* ex munificentia Leopoldi *Magni* Caesaris obtinuit.

(6) *Seldnau*, *Seldenove*, hodie *Sellnau*, ad ripam praeterfluentis fluminis *Sihl*, latinè *Sila*, extra & prope civitatem *Zurich*, fuerat olim insignis Abbatia monialium Ordinis Cisterciensis, nunc Xenodochium.

(7) *Bunzen*, parochia & pagus in Libera Argovia inferiori, & cujus collationem & *bassam* jurisdictionem possidet Abbatia Murensis.

(8) *Boßweil*, parochia & pagus, partim in superiori, & partim in inferiori Argovia libera. Collationem parochiae possidet Abbatia Murensis.

(9) *Gotfridus Comes de Habspurk* quem defunctum praesens Carta nuncupat, fuerat unus e filiis Rudolphi *Iunioris* vel *Taciturni*, Comitis de Habspurg, qui fratrem natu majorem habebat Albertum, patrem Rudolfi I. Caesaris, quique sator extitit lineae *Lauffenburgicae*. Obiit anno 1271. praefatus Gotfridus, secundùm Chronicon Dominicanorum Colmariensium ab Urstisio editum inter Germaniae Historicos Illustres. T. II. p. 9.

(10) Qui *Rudolfus* eodem anno 1273. electus fuit Episcopus Constantiensis, & obiit die 3. Aprilis 1293.

(11) *Eberhardus Comes de Habspurg* ex uxore sua Anna filia unica & haerede Hartmanni *Iunioris* ultimi Comitis de *Kiburg* Comitatum *Kiburg-Burgdorff* habuit, stemmaque *Habspurgo-Kiburgicum* in minori Burgundia propagavit. Obiit anno 1284. secundùm Annales Colmarienses *edit. Urstis.* p. 19.

(12) De Nobilibus *von Schoenenwerd* agit Historicum Helvetiae Lexicon, T. XVI. p. 443-444. auctore Clarissimo D. *Leu*. Johannes *de Schonewert* frater Rudegeri Canonici Thuricensis & Ulrici, militis, fuit, ut opinor, pater Henrici *de Schoenenwert*, Abbatis Murensis, de quo Carta anni 1312. quae mox sequetur & illius Genitorem Johannem nominat.

(13) Nobiles *de Clarona*, aliàs *von Glarus*, ramus praenobilis stemmatis *Tschudi* adhuc in Cantone *Glaronensi* florentis, civilegio civitatis Thuricensis jam duodecimo Saeculo gaudebant, & inter Equestres familias numerabantur. Vide de illis Historicum Helvetiae Lexicon, T. VIII. p. 591.

(14) *Stoeri*, Patricia jam dudum extincta gens civitatis Thuricensis, de qua Clarissimus *Leu* Hist. Helvet Lexic. T. XVII. p. 537.

(15) Scilicet Constantiensem Episcopum Diocesanum. Anno autem 1273. die 13. Januarii hanc sedem adhuc regebat *Eberhardus* qui eodem anno ante diem 4. Augusti obiit cuique successit Rudolfus Comes de Habspurg, Praepositus Majoris Ecclesiae Basiliensis, de quo praesens instrumentum.

(16) Abbas de *Wettingen*, aliàs de *Maris Stella*, Cisterciensis Ordinis, in Comitatu Argovico *Badenae*, erat visitator Abbatiae Thuricensis *in Seldenowe*, ejusdem Ordinis.

(17) *Maness*, Nobiles Thuricensibus celeberrimi annalibus, jam dudum extincti.

(18) Vide Hist. Helvetiae Lexicon, T. VI. p. 167. de Nobilibus de *Dubendorff*, aliàs *Dubeldorff*, vel *Thubilndorf*, olim in Cantone Thuricensi, in pago *Dubendorf* dominantibus.

(19) *Abdorf*, aliàs *ab-Dorf*, olim Patricia Gens Thurici, de qua idem Historicum Helvetiae Lexicon T. VI. p. 146.

(20) Indictio *prima* currebat die 13. Januarii 1273.

LXIX.

Carta data die prima Februarii 1273. *quia Abbatiſſa & Conventus in Seldenowe, Ordinis Ciſtercienſis, Conſtantienſis Dioceſis, obtemperant ſententiae latae pro Heinrico Abbate & Conventu in Mure, Ordinis ſancti Benedicti, ejusdem Dioceſis.*

Autographum pergamenum in Scriniis Illuſtriſſimae Reipublicae Thuricenſis, & Apographum e Muſeo Scheuchzeriano depromptum T. VIII. Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 382. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

In nomine Domini Amen. Nos Abbatiſſa & Conventus Sororum in Seldenowe (1) Ordinis Ciſtercienſis Conſtantienſis Dioceſis, de auctoritate conſilio & conſenſu honorabilis Prioris noſtri (2) Heinrici Abbatis in Wettingen Ordinis & Dyoceſis predictorum, dilectis in Chriſto Heinrico Abbati & Conventui in Mure, Ordinis ſancti Benedicti, predicte Dyoceſis, nomine ſuo & ſui Monaſterii, bona fide & ſine omni dolo & fraude, jamdudum promiſimus, & preſentibus promittimus, quod ipſis viginti unum modios tritici, ſecundum arbitrariam ſententiam, diffinitionem ordinationem venerabilium in Chriſto Hugonis Prepoſiti Ymbriacenſis, Magiſtri Cunradi Cantoris Thuricenſis annuatim in Octava beati Martini intra muros Thuregi in domo, quam iidem Abbas & Conventus de Mure nobis ad hoc nominaverint, ſub legitima menſura a competenti qualitate perſolvemus. Si vero hanc ſolutionem ex negligentia vel malitia, ſeu alio quocunque caſu neglexerimus, Nos eisdem Abbati & Conventui Murenſi preſentibus dedimus, & damus poteſtatem, ut predictam ſummam tritici ſub noſtro dampno cum omni intereſſe emant, vel ſub mutuo ſeu uſura accipiant & acquirant, ubicunque ſibi viderint expedire, ipſos etiam indempnes omnino reddere volumus, & debemus, ſicut in inſtrumento ſuper prenotata arbitraria ſententia ſub ſigillis Arbitrorum predictorum conſcripto invenitur, plenarie & expreſſe. Et in hujus rei teſtimonium, preſentem literam ſepedictis Abbati & Conventui de Mure tradimus, ſigillis eorundem Arbitrorum & Prioris noſtri Heinrici Abbatis in Wettingen & Mei, videlicet Abbatiſſe, quo & nos Conventus utimur, patenter communitam. Acta ſunt hec in Monaſterio noſtro Anno Domini M.CC.LXXIII. In vigilia purificationis beate Virginis. Indictione (3) prima.

Sigillum Hugonis Praepoſiti Ymbriacenſis. Sigillum Magiſtri Chunradi Cantoris Thuricenſis.

Sigillum Abbatis (4) de Mari Stella. Sigillum Abbatiſſe de Seldenowe.

Notae.

Notae.

(1) Vide antefatam Cartam in Octava Epiphaniae 1273. datam.

(2) Abbatia *de Seldenowe* ftabat fub vifitatione Abbatis *de Wettingen*, ejusdem Ordinis Cifterciensis.

(3) Anno 1273. die 1. Februarii currebat Indictio *prima*.

(4) Latini nuncupatur *Maris Stella*, Abbatia Wettingen.

LXX.

Supplicatio Abbatum de Wettingen & de Mure & Abbatissae in Seldenowe ad Episcopum Constantiensem die III. Februarii MCCLXXIII. ut confirmare velit arbitrariam sententiam latam eodem anno in Octava Epiphaniae, quam jam descripsimus.

Autographum pergamenum in Scriniis Illustrissimae Reipublicae Thuricensis, & Apographum e Museo Scheuchzeriano depromptum T. VIII. Monumentorum Helvetico-Tugienfium *p.* 384. *Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Supplicant Paternitati Veftre — — de Wettingen (1) & de Mure (2) Abbates, & Abbatiffa in Seldenowe & ipforum Conventus, quatinus arbitrariam fententiam & diffinitionem, quam honorabiles Viri Hugo Prepofitus Ymbriacenfis, Magifter Cunradus Cantor Thuricenfis fuper conditione ftatus feu ftatu conditionis peregrini militis dicti de Vilingen, & omnibus bonis mobilibus & immobilibus ejusdem inter Venerabiles in Chrifto — — Abbatem & Conventum de Mure Ordinis fancti Benedicti & fuum Monafterium ex una & — — Abbatiffam & Conventum Sororum in Seldenowe Ordinis Cifterciensis ex parte altera, lite mota tulerunt, ficut in Inftrumento (3) arbitrarie fententie ipforum Prepofiti & Cantoris de verbo ad verbum plenius invenitur, quam etiam fententiam vobis transmittimus infpiciendam, auctoritate ordinaria dignemini confirmare. Maxime cum premiffa definitio arbitraria utrique Monafterio, fcilicet in Mure & in Seldenowe non folum ad quietem fed etiam evidenter cedat ad commodum & honorem. Et in hujus noftre petitionis evidentiam vobis prefentem Literam transmittimus, noftris figillis patenter communitam. Datum Wetting. (4) Anno Dmini M.CC.LXXIII. in craftino Purificationis Beate Virginis, Indictione (5) prima.

Sigillum Heinrici Abbatis Murenfis. Sigillum Abbatis de Maris Stella.

Sigillum Abbatiffe de Seldenowe.

Notae.

Notae.

(1) Scilicet *Heinrici* ut docet antefata Carta die 1. Februarii 1273. in qua nominatur ante Abbatem Murenſem, quia Viſitator erat Abbatiae *Seldenowe*.

(2) *Heinrici* ut exhibet eadem Carta die 1. Februarii 1273.

(3) Vide hanc ſententiam jam a nobis relatam in hac diplomatica Collectione.

(4) Scilicet *Wettingen*, quod Monaſterium alio nomine, ſed latino, *Maris Stella* nuncupatur.

(5) Indictio *prima* anno 1273. currebat.

LXXI.

Eberhardus Conſtantienſis Epiſcopus confirmavit die XX. Junii M.CC.LXXIII. ſententiam arbitrariam in Octava Epiphaniae, hoc anno latam de lite inter Abbatias Mure & Seldenowe mota.

Autographum pergamenum in Scriniis Illuſtriſſimae Reipublicae Thuricenſis, & Apographum e Muſeo Scheuchzeriano depromptum T. VIII. Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 386. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

E. (1) Dei gratia Conſtantienſis Epiſcopus omnibus preſentium inſpectoribus ſalutem in Domino. Ut futuris obvietur periculis, cautum eſt, ut ſuper quaeſtionibus deciſis & bonorum virorum arbitrio terminatis, conſenſum & aſſenſum noſtrum adhibeamus. Cum igitur mota quaeſtione inter dilectos in Chriſto Abbatem & Conventum Monaſterii Murenſis, Ordinis ſancti Benedicti ex una, & Abbatiſſam & Conventum Sororum in Seldenowe Ordinis Ciſtercienſis noſtre Dioceſis, ſuper ſtatu ſeu conditione peregrini militis dicti de Vilingen, & bonis mobilibus & immobilibus ejusdem ex parte altera, viri diſcreti, Hugo Prepoſitus Imbriacenſis & Magiſter Cunradus Cantor Thuricenſis, in quos partes tamquam arbitros compromittere curaverunt quaeſtionem eandem, accedente conſenſu partium, per ſententiam arbitrariam & diffinitionem ratam habentes & gratam, ſicut iuſte & rationabiliter eſt prolata, auctoritate ordinaria preſentibus. In cujus rei teſtimonium preſens inſtrumentum conſcribi fecimus, & ſigillo noſtro communiri. Datum Conſtantie. Anno Domini M.CC.LXXIII. XII. Cal. Julii. Indictione prima (2).

Sigillum Eberhardi Conſtantienſis Epiſcopi.

Notae.

(1) Scilicet *Eberhardus*, Dapifer a Waldtpurg natus, qui fuerat electus Episcopus Constantiensis anno 1248., Praesul immortali dignus memoria.

(2) Indictio *prima*, die 20. Junii 1273. currebat.

LXXII.

Diploma Rudolphi I. Romanorum Regis datum Lucernae die 28. Julii 1275. pro Conventu Sanctimonialium de Rathusen, Cistertiensis Ordinis, Constantiensis Diocesis.

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Rathausen prope Lucernam & in ditione Illustrissimae Reipublicae Lucernensis; Apographum autem ex Originali descripsit Praenobilis D. Felix de Balthasar, *Senator intimus & supremus Thesaurarius Reip. Lucernensis. Idem Apographum legitur T. I.* Miscellaneorum Helveticae Historiae *p.* 167. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

R*udolphus Dei Gracia Romanorum Rex semper Augustus.* Universis Imperii Romani fidelibus, graciam suam & omne bonum. Si justis & rationabilibus personarum religiosarum desideriis favorabiliter annuimus, si ipsarum supplicationibus facilem & benignum aditum adhibemus, & laudis humane preconium & eterne nobis vite premium salubriter comparamus. Noverit igitur presens etas, & sciat futuri temporis successura posteritas, quod nos piis Conventus Sanctimonialium de Rathusen (1) supplicationibus favorabiliter inclinati fundum & aream in quibus ipsarum monasterium est constructum ac universa, omnia & singula que ab incolis parochie de Ebencon (2) de consensu Cunradi Militis de Heidecke (3), dilecti nostri fidelis, qui advocationem ipsorum bonorum, a nobis & Imperio Romano tenebat in feodum, eedem domine comparaverunt, ab omni jure advocatico & alio, quo nobis racione Imperii, bona eadem tenebantur astricta, absolvimus & eximimus ac in proprium ipsis Sanctimonialibus duximus concedendum, Recipientes a supradicto Cunrado de Heidecke advocatiam bonorum, que in Sulze (4) & Miswangen (5) villis libere possidet in recompensam advocatie supradictorum bonorum per ipsum Conradum & suos heredes, feodali titulo possidendam. In cujus rei testimonium presentem paginam exinde conscribi, & Maiestatis nostre sigillo (6) iussimus communiri. Datum Lucerne V°. Kalend. Augusti. Indictione (7) III. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto. Regni nostri anno secundo (8).

Notae.

Notae.

(1) *Rathausen*, latinè Monasterium *Domus Consilii* vel *Concilii*, Parthenon Monialium Cistercienfium, ad dexteram fluminis *Rusae*, unâ leucâ infra civitatem Lucernam, in praefectura *Rothenburg* & Cantone Lucernensi.

(2) Hodie *Ebicken*, vel *Ebikon*, pagus Cantonis Lucernensis, unâ distat leucâ a civitate Lucerna, qui pagus suum dat nomen uni praefecturae.

(3) Nobiles *de Heidegg* vel *Heideck* vel *Heydeck*, Helveticis celebres annalibus. Eorum arx ejusdem nominis adhuc stat in superiori Libera Argovia, illius autem dominium civitati Lucernae pertinet.

(4) *Sulz*, pagus in parochia *Hizkirch*, in inferiori jurisdictione arcis Heidegg, in superiori Libera Argovia.

(5) *Muwangen*, vel *Mussiwangen*, pagus in parochia *Hizkirch*, in superiori Argovia Libera.

(6) Ex hac Carta pendet ovale sigillum quod offert Regem *Rudolfum*, regali indutum toga, trono sedentem, Capite coronatum, cujus dextera sceptrum florigerum, & sinistra globum orbis Cruce ornatum portat; leguntur circa sigillum haec verba: ✝ RVDOLFUS. DEI. GRACIA. ROMANORVM. REX. SEMPER. AVGVSTVS. Simile sigillum datur apud *Herrgott Geneal. Habsburgicae* T. I. Tab. 18. N. VIII.

(7) Indictio III. die 28. Julii 1275. currebat.

(8) Rudolfus Comes de Habspurg & Kiburg, Landgravius Alsatiae superioris, fuit electus Rex Romanorum die 29. Septembris 1273. Secundus illius regni annus die 28. Julii 1275. adhuc currebat.

LXXIII.

Eberhardus Comes de Habsburch & Anna Comitissa de Kyburch sua Uxor confirmant mense Octobri 1275. acquisitionem in villa de Schuphon ab Abbate de Frienisberg, Ordinis Cisterciensis, Diocesis Constantiensis factam.

Autographum pergamenum in Scriniis Reipublicae Bernensis & Autographum ibidem in Registro diplomatico Frienisberg. *Vol. I. p.* 218. *Litt. B.* 6. *& Tugii T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 251-253. *MSc. in fol. in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Ego

Ego Petrus de Viviers (1) Ministerialis Egregii Domini mei Eberhardi Comitis de Habsburch & Serenissimae Dominae meae Annae Uxoris suae, notum facio praesentium inspectoribus universis, quod ego de voluntate & assensu expresso elisabeth Uxoris meae, ac petri filii mei, quandam aream & quatuor jugera, sitam apud villam de Schuphon (2), venditionis titulo tradidi & donavi, Viris Religiosis Domino Abbati & Conventui Monasterii de Frienisperch (3), Cisterciensis Ordinis, Constanciensis Diocesis, pro quinque libris denariorum usualium bonorum, quas ab eisdem me recepisse, & in usus necessarios convertisse, praesentibus protestor. Praesata quoque Elisabet uxor mea, cui dicta bona jure donationis, quod vulgo dicitur Morgengaba (4) contuleram, eisdem bonis renuntiavit, corporali praestito juramento quod nunquam ipsa bona repeteret ab eisdem Religiosis, & nullatenus molestaret eos, ac molestare volentibus, nullatenus consentiret. Unde & ego ad habundantem cautelo obligo me, ad ferendam praefatis Religiosis, de sepedictis bonis legitimam Warandiam. (5) Renuntians pro me & hoeredibus meis, omni juri, quod mihi vel meis heredibus in dictis bonis competere posset, in posterum vel ad praesens. Testes qui huic venditioni intererant, sunt hii, Dominus Burchardus, Plebanus in Bargen (6), Willelmus Dominus de Arberch (7), R. de Arguntia (8), Ulricus de Lobsingen (9), Johannes de Vischi, Domicelli, H. quondam Scultetus & Wernherus de Diesbach (10) Burgenses in Arberch, & alii quam plures fide digni. In cujus rei robur & testimonium praesentem cedulam, sigillo Illustris Domini mei Eberhardi Comitis de Habsburch, petii sigillari, Nos vero Eberhardus Comes praefatus ad instantiam dicti Petri de Viviers Ministerialis nostri in signum nostri consensus, pariterque Dominae Annae de Kyburch Uxoris nostrae, sigillum nostrum appendimus huic scripto. Datum Anno Domini, Millesimo, Ducentesimo, Septuagesimo quinto, Mense Octobri.

Notae.

(1) Nobiles de *Wivers* vel *Vivai* documentis Abbatiae Hauterive & civitatis Friburgi sunt celebres. Anno 1276. fuit Scultetus Friburgi in Oechtlandia Conradus de *Wivers*. Vide *Leu* Hist. Helvet. Lex. T. VII. p. 370.

(2) *Schupfen*, parochia & ingens pagus ad radices montis *Schupfberg*, in praefectura *Frienisberg*, ditione autem Bernensi, duabus leucis a civitate Berna.

(3) Haec Abbatia est hodie praefectura Cantonis Bernensis.

(4) *Morgengaba*, latinè *Morganitium*.

(5) Gal-

(5) Gallicè *Garantie*.

(6) *Bargen*, parochia & pagus in praefectura *Arberg*, Cantone Bernensi, prope oppidulum *Arberg*, via Muratum (*Morat*) tendente.

(7) Willelmus Dominus de Arberg, Domicellus, erat e linea Comitum illius nominis quae a Comitibus Novi Castri (*Neuchâtel*) fuerat procreata.

(8) Rodolphus *de Arguntia*, aliàs *Arconciel*, Germanicè *Ergenzach*, e linea natu minori Comitum Novi Castri, quae pluribus Abbatiae *Hauterive* documentis celebratur. Arx *Arconciel*, nunc in ruinis, jacebat in pago ejusdem nominis, colle prope amnem *Sarinam*, in *veteri* territorio civitatis Friburgi.

(9) Nobiles de *Lobsingen*, Benefactores Abbatiae *Frienisberg*, suam habebant arcem in pago *Lobsingen*, parochia *Seedorf*, hodie in praefectura *Frienisberg*.

(10) *Hugo*, Scultetus oppidi *Arberg* nomine Comitis illius nominis, & *Wernherus*, erant ambo ex eadem prosapia de *Diesbach*, quae Nobilitate splenduit Bernae & Friburgi & tot Heroes peperit.

LXXIV.

Carta data Thurici die 13. Februarii 1278. qua Heinricus Abbas Murensis, Ordinis sancti Benedicti, Constantiensis Dioceseos, bona sita in Birmonstorf jure proprietatis ad suum Monasterium pertinentia assignavit.

Autographum pergamenum in Scriniis Illustrissimae Reipublicae Thuricensis, & Apographum e Museo Scheuchzeriano depromptum T. VIII. Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p. 396. MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Heinricus Abbas Monasterii Murensis, Ordinis sancti Benedicti, Constantiensis Dioceseos, universis presentium inspectoribus notitiam subscriptorum. Noverint quos nosse fuerit opportunum, quod cum dilecta in Christo Anna Uxor Johannis (1) militis dicti de Schonenwert filia vero Bernheri militis dicti de Wile (2), bona hereditaria sita in Birmonstorf (3) jure proprietatis ad nostrum monasterium pertinentia, & annuatim V. solidos solventia, que jam inhabitat dicta Windaba, sibi in donacionem, que vulgo dicitur Leibgedinge, per manum nostram a predicto marito suo legaliter assignata ad petitionem & consilium ejusdem mariti sui, in manus nostras sponte publice resignasset, idem Johannes

hannes alia bona sua simili modo a nostro monasterio hereditaria sita in Birmonstorf in loco qui dicitur in der Gypphun, ipsi militi annuatim solventia sex modios tritici, duos modios avene & decem solidos, Nobis vero & nostro monasterio unum solidum nomine pensionis, eidem Uxori sue in recompensationem per nostram manum & auctoritatem, titulo & nomine prenotate donationis, que vulgo dicitur Leipgedinge legaliter assignavit, pleniter & fideliter adhibita omni solempnitate in hujusmodi debita & consueta. Et in hujus donationis & assignationis evidenciam eidem Annae damus presentem literam nostro sigillo patenter communitam. Acta sunt hec in ambitu Thuricensis prepositure, presentibus quorum hec sunt nomina. Magister C. (4) Cantor. Johannes de Kloton (5) Canon. Thuricensis prepositure. H. (6) dictus Manezzo Canonicus Abbacie Thuricensis. Wernerus de Mure sacerdos. Scriba de Mure. Joannes Biber (7). H. Vincho (8) milites. H. de Lunchust (9) ... Villicus de Birmonstorf. Burchardus de Stampfibach & alii quam plures fide digni Anno Domini MCCLXXVIII. Idus Februarii Indictione VI. (10)

Notae.

(1) Johannes de Schoenenwert miles de quo praesens Carta videtur fuisse avus Johannis quem Instrumentum anni 1312. quod mox sequetur nominat patrem Heinrici de Schoenenwert, tunc temporis Abbatis Murensis.

(2) *Bernherus de Wile, miles*, vide de illo Cartam ante descriptam, sub anno 1260. die IX. Decembris.

(3) Hodie *Birmenstorf*, parochia pagus & praefectura Thuricensis Reipublicae, inter *Zurich* & *Bremgarten*. in qua parochia jacet villa *in der Gupf* quam praesens Carta nominat *in der Gypphun.*

(4) Scilicet Conradus *de Mure*, ille egregius sui temporis Poeta & Scriptor, Caesari Rodolpho I. carissimus.

(5) Nobiles *de Kloten* Thuricensibus celebres annalibus.

(6) *Manesse*, e qua *Heinricus*, gens nobilis & Heroibus fecunda, olim Thurici florebat, nunc jam dudum extincta.

(7) *Biber*, gens Ordinis Equestris Thurici, de qua vide Hist. Helvetiae Lexicon, auctore Clarissimo *Leu*, T. IV. p. 6-7.

(8) Aliàs Heinricus *Fink*, Insignis, Nobilis & Patritia familia Thuricensis civitatis, nunc extincta, de qua idem Clar. *Leu*, T. VII. p. 121-122.

(9) *Hen-*

(9) *Henricus* de quo hic videtur fuisse e gente nobili *von Lunghanfft* vel *Lunkhofen*, quae Thurici extincta fuit circa annum 1360. Vide Clarissimum *Leu*, ibidem T. XII. p. 377.

(10) Die 13. Februarii 1278. currebat Indictio *sexta*.

LXXV.

Henricus Comes de Buchegg, Landgravius in Burgundia, confirmavit die XIII. Decembris M.CC.LXXVIII. donationem Capitulo Solodorensi a Nobili Domina Adelheide de Messon, matre Petri de Messon, militis, factam.

Autographum pergamenum signatumque sub littera P. 14. in Archivo Regalis Praepositurae sancti Ursi in civitate Solodoro, vulgò Solothurn, *Gallicè autem* Soleure, *& Apographum T. I.* Miscellaneorum Helveticae Historiae *p. 170. MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Nos Heinricus (1) Comes Lancgrauius de Buochecha universis presentium inspectoribus noticiam subscriptorum. Cum nobilis Domina Adelheidis de Messon (2) bone memorie dominium (3) de Messon cum universis suis appendiciis tam in hominibus quam possessionibus, tam in prediis rusticis, quam urbanis, silvis pascuis pratis nemoribus servitutibus & piscinis & jure patronatus Ecclesie de Messon, quod ad universitatem dominii dicti dinoscitur pertinere, ac cum omnibus juribus, tam corporibus quam incorporibus, coram felicis memorie Petro quondam patre nostro Comite Lancrauio de Buochecha libere dedit in remedium anime sue Solodorensi Ecclesie Lausannensis dyocesis sic quod dominus Petrus de Messon miles filius ejus, ac heredes ejus ex eo legitime descendentes, qui vulgo dicuntur Liperben (4), a presata Ecclesia Solodorensi in feodum iure hereditario possideret, pro quinque solidis usualis monete censualibus a dictis possessoribus prefate Ecclesie persolvendis proviso quod due scopose que vocantur Wibelsguot solventes sexdecim solidos, ad lumen Ecclesie fontis (5) Sancte Marie, & Ecclesie de Messon, utrobique equaliter per dictam Dominam de Messon fuerant deputate. Et cum super dicta donacione non esset confectum aliquod instrumentum, ne tractu temporis propter defectum probacionum jus Ecclesie predicte deperiret, hanc donacionem maternam predictus dominus Petrus innovavit coram nobis, & confessus est in jure ipsam rite & legitime processisse

 ac

ac eam ratam habuit & promisit, juxta modum prehabitum, se firmiter servaturum. Preterea si predictum dominum Petrum contingeret plures heredes relinquere, ipso mortuo, dominium apud unum vel plures heredum remanebit totaliter indivisum, & simul cum facultas se offerret, ad Solodorensem Ecclesiam devolvetur, & quod in duabus prebendis ex ipsis reditibus prebendarum numerus augeatur. At hec omnia auctoritate judiciaria mediante coram nobis innovavit, acceptavit, & confirmavit predictus dominus Petrus, & ad peticionem ipsius in testimonium predictorum sigillum (6) nostrum una cum sigillo (7) suo huic appendi fecimus instrumento, datum Solodori Anno Domini M°.CC°.LXX°VIIJ°. beate Lucie (8) Virginis.

Notae.

(1) *Henricus* Comes de *Buchegg*, Landgravius in Burgundia-Helvetica, filius Comitis & Landgravii *Petri*, uxorem duxerat filiam Comitis de *Strasberg*, e minori linea Comitum Novi-Castri (*Neuchâtel*), & ex hoc matrimonio genuit 1. *Hugonem* Comitem de *Buchegg*, illum praestantissimum Heroem, Annalibus Germaniae, Romae & Neapolis toties celebratum. 2. *Bertoldum* Commendatorem Ordinis Teutonici & successivè Episcopum Spirensem & Argentinensem. & 3. *Mathiam*, monachum & custodem Abbatiae Murbacensis in Alsatia, & postea Archiepiscopum Moguntinum, nec non quatuor filias quarum una Abbatissa in *Frauenbrunnen*, Ordinis Cisterciensis, prope Bernam, & tres nuptae Baronibus de *Klingen* & de *Signau* & Equiti Burcardo seu *de Munsingen*. Haec ultima, *Johanna* nomine, procreavit Joannem *seu* Episcopum Basiliensem. Vide Commentarium Alberti Argentinensis de Bertoldi a Buchecke, Episcopi Argentinensis rebus gestis apud Urstisium inter Germaniae Historicos illustres T. II. p. 167. & seq. Comitatus *de Buchegg* civitati Solodoro conterminalis erat.

(2) Nobiles *de Messen* vel *Messon* suam habebant arcem in pago *Messen*, hodie parochiâ reformatae Religionis, in praefectura *Buchenberg*, Cantone Catholico Solodorensi. (Vide *Leu*, Hist. Helvet. Lexicon, T. XIII. p. 83-84.) Nobiles de *Messen* fuerunt Benefactores Abbatiae sancti Urbani, Cisterciensis Ordinis, in Cantone Lucernensi.

(3) Dominium *Messen* nunc paret civitati Solodoro una cum majori parte veteris Comitatus *Buchegg*.

(4) Vox teutonica tunc heredes e corpore procreatos, Gallicè *Hoirs du Corps* designat.

(5) *Fons*

(5) *Fons Mariae* vel *Fons Beatae Virginis*, olim Abbatia Sanctimonialium Ordinis Cisterciensis, & Constantiensis Diocesis, inter Bernam & Solodorum, in parochia *Graffenried*, sita, nunc autem Praefectura Cantonis Bernensis. Anno 1290. Mathias *de Messon* huic Parthenoni donationem fecit. Ita testatur Carta.

(6) Duorum huic instrumento appendentium sigillorum cerae, albae majus & formae ovalis est Henrici Comitis *de Buchegg*. In illo eminet triangulare scutum tribus rosis, unâ super aliam, ornatum, cum hac circumscriptione residua: ✝. S. HEIN. . . . COMITIS. DE. BUCHE. . . . .

(7) Alterum hujus Cartae sigillum, & quidem formae oblongae, est *Petri Domini de Messon*, exhibet murum duabus munitum turribus, cum hac circumscriptione . . . . DOMINI DE MESS . : Antequam vetus Ecclesia Capituli Solodorensis anno 1762. destructa fuit, cernebatur in introitu illius templi ad parietem ingens tumba Gothicis inscripta litteris & eodem scuto quod praesenti notatur sigillo, insculptum. Eadem Insignia sculpta videntur in Chronico Helvetiae, Auctore *Stumpfio*, lib. VII. cap. XXXII. p. 236. *primae editionis*.

(8) Die 13. Decembris festum Beatae Luciae Virginis & Martyris celebratur.

LXXVI.

Carta data die 25. Januarii 1280. qua Eberhardus Comes de Habsburg, Landgravius Zurichgoiae, suo consignavit sigillo venditionem factam a Praeposito de Cappellis, Ordinis sancti Augustini, Lausannensis Diocesis.

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitissimae Reipublicae Bernensis, Apographum autem legitur T. II. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum p. 259. MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.

NOS EBERHARDUS (1) COMES DE HABSBURG, LANDGRAVIUS (2) ZURICHGOIÆ, notum facimus universis, ad quorum notitiam tenor pervenerit. quod Burchardus dictus Techinger, Chuno, Chunzinus & Simon, filii sui, cum manu & expressa voluntate nostra, vendiderunt, honorabili in Christo, Domino Rodolpho (3) praepolito de Cappellis, Ordinis sancti Augustini, Lausannensis

nensis diocesis, & conventui dicti Coenobii de Cappellis, quicquid habuerunt in villa Marcholvingen (4) & in monte Gemmundin (5), in agris & pratis, cum omni iure, utilitate & appenditiis universis, perpetuo possidendum, promissa de praedictis bonis eisdem fideliter Warandia. In robur validum praemissorum, ad petitionem praedictorum, qui jure proprietatis nobis pertinent, nostro sigillo fecimus praesentes consignari. Datum in die Conversionis beati Pauli Apostoli, Anno Gratiae M°.CC°.L.XXX°.

Notae.

(1) Eberhardus, Comes *Habspurgi*, frater natu minor Godefredi Comitis de *Habspurg-Lauffenburg*, qui obiit 1284. quemque Annales Dominicanorum Colmariensium (apud Urstisium inter Germaniae Histor. illustres T. II. p. 19.) nominant, *Virtuosum*.

(2) Eruditissimus *Fuesslinus* cui perillustris D. Baro de *Zur-Lauben* exemplar hujus Cartae anno 1772. transmiserat, multa disseruit de origine Landgraviatus *Zurichgoiae* (*Zurichgau*), quae primitus fuit appendix Landgraviatus Turgoviae, quamque Otto de sancto Blasio nuncupavit sub anno 1172. *Comitatum Thuricensem.* Vide *Fuesslini* Descriptionem Topographicam Helvetiae, T. IV. praefatione p. LIV.-LXIII. Schafhusae 1772. in 8vo Germanicè.

(3) Vulgò *Cappelen*, pagellus in communitate *Wohlen*, in provinciali jurisdictione (*Landgericht*) *Zollikoffen*, ditione Bernensium, qui pagellus a flumine *Ara* separatur a pago *Frauen-Cappelen*, seu *Capella Dominarum*, qui jacet in jurisdictione provinciali (*Landgericht*) *Sternenberg*, duabus leucis ab urbe *Berna*, quemque pagum incolae etiam nuncupant *Cappelen bey dem Forst*, aliàs *Capellam prope forestum* seu *silvam*. Fuit olim in pagello *Cappelen*, quem aliter vulgus nominat *Munchen Cappelen*, *Monachorum Capellam*, Praepositura Canonicorum Regularium sancti Augustini.

(4) Hodie *Marfeldingen*, pagus in parochia *Muliberg*, in jurisdictione provinciali *Sternenberg*, Cantone Bernensi.

(5) Hodie *Mont de Gummenen* supra pagum *Gummenen*, vel *Gouminen*, olim *Condamine*, ad Sanam fluvium, in parochia *Muliberg*, in jurisdictione provinciali *Sternenberg*.

LXXVII.

LXXVII.

Elisabeta (1) *Abbatissa totusque Conventus Monasterii Thuricensis predium suum situm in Attlischuyl Johanni de Schonawert militi donant & tradunt pro eo, quod ipsis proprietatem predii sui in Birboumsdorf in der Guphen renuntiatione juris hereditarii & usufructus prehabita ab Abbate & Conventu Murensi impetravit. M.CC.LXXX. Vigil. Mathaei Apostoli.* (*id est* 20. Septembris.)

Autographum pergamenum in Scriniis Illustrissimae Reipublicae Thuricensis, & Apographum in Historia diplomatica Abbatiae Thuricensis, vulgò Frauenmunster, *ab Eruditissimo* Dursteler *conflata, pag.* 99 - 100. *MSc. in folio, & T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 155. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Universis presentium inspectoribus *Elisabeta* Dei gratia Abbatissa totusque Conventus Monasterii Thuricensis notitiam subscriptorum. Ne in longiuquitate temporis rerum gestarum labatur noticia, presertim cum hominum labilis sit memoria, expedit memorie fragilitatem literis adiuvari. Noverint igitur quos nosse fuerit opportunum. quod nos predium nostrum in Adlischuuyl (2), quod colit Johannes dictus Mulner, reddens annis singulis quatuor modios & duo quartalia tritici, de quibus Advocato solvuntur tantum unum quartale tritici & unum quartale avene pro eo, quod Johannes de Schonenwerd miles nobis proprietatem predii siti in Birboumesdorf dicti in der Gupphen, renuntiatione juris hereditarii & usufructus ab ipso Johanne & filiis suis Johanne & Rodolfo nec non Anna uxore sua prehabita a venerabilibus in Christo Abbate & Conventu Monasterii Murensis donari & tradi legitime precavit, tractatu prehabito diligenti ipsi Johanni donavimus & tradidimus perpetuo possidendum, promittentes pro nobis nostrisque successoribus dicto militi ac ejus successoribus prestare Warandiam in omni serotam Ecclesiastico quam Civili. Renunciamus insuper omni juri edito vel edendo, consuetudini, exceptioni, restitutioni in integrum ac omni Canoni seu Legum auxilio, perque vel quod predicta possent aliquatenus irritari. Ceterum quia dicti Abbas & Conventus, ad petitionem memorati Johannis proprietatem predii antedicti in der Gupphen, de quo ipsis annis singulis ab ipso Johanne census XII. denariorum solvebatur, nobis liberaliter contulerunt. Idem Johannes proprietatem quondam predii nostri prefati in Adlischuuyl

chuuyl prenotatis Abbati & Conventui tradidit in compenſam, ac ab eisdem idem predium iure hereditario recepit, pro annuo cenſu unius ſolidi perpetuo poſſidendum. In cujus rei evidentiam preſentem Cartam ſigilli noſtri videlicet Abbatiſſe quo & nos Conventus utimur, cum proprium non habeamus, una cum ſigillo Conſulum Thuricenſium tradimus communitam. Acta ſunt hec Turegi (3) in lobio noſtro, Anno Domini M.CC.LXXX. Vigil. Mathœi Apoſtoli. Indictione VIIJ. (4) Preſentibus Magiſtro Henrico de Roſenberg Canonico Thuricenſi. Henrico Rectore Eccleſie in Horgen. (5) B. Rectore Eccleſie in Sarmenstorf. (6) Ulrico dicto Bochli. C. dicto Ortolf. Clericis. C. de Clarona (7) milite. H. dicto Milcheli. & aliis fide dignis. Nos Conſules Thuricenſes quorum nomina ſubſcribuntur, ad petitionem predicte Domine Abbatiſſe & Conventus noſtrum ſigillum preſentibus duximus appendendum eſſe. Nomina Conſulum (8) ſunt.

Rudeg. Mannezz.		R. de Lunkunſt.
Joh. Caſtor.		Ulr. de Schonenwerd.
Rod. an dem Stege.		Wilhelm de Kloten. Milites. (9)
Hug (10) Maneſſo	&	Hugo filius ſuus.
H. Pilgrin.		Ulr. Stori.
Otto de Mullimatten	&	Rod. Phynch. Cives Thuricenſes.

Notae.

(1) Veterrima haec Inſcriptio illius Inſtrumenti, pro cujus ulteriori intellectu legenda priùs eſt Carta ante deſcripta ſub anno 1278. die 13. Februarii.

(2) *Adlischwyl*, pagellus in parochia Kirchberg & praefectura *Horgen*, Cantone autem Thuricenſi, ad flumen *Silum*, ad radices montis *Albis*, unâ leucâ itineris ab urbe *Zurich*.

(3) *Turegi*, id eſt *Zurich*.

(4) Indictio octava die 20. Septembris 1280. currebat.

(5) *Horgen*, parochia, numeroſus pagus, & praefectura Cantonis Thuricenſis ad lacum Turicinum.

(6) Vulgò *Sarmenstorf* vel *Sarnenstorf*, parochia & pagus in inferiori Libera Argovia. Jus patronatus hujus Eccleſiae pertinet Abbatiae *Einſidlenſi*.

(7) Nobiles *von Glarus*, latinè *de Clarona* inter illuſtriſſima veteris Regiminis Thuricenſis civitatis ſtemmata numerabantur.

(8) *Conſulum* id eſt Senatorum civitatis Thuricenſis.

(9) Anno

(9) Anno 1280. Regimen civitatis Thuricensis erat partitum, prima classis *Militum* seu *Nobilium*, & altera *Civium* seu *Patriciorum*. Clarissimus *Leu* in suo Historico Helvetiae Lexicone multa agit de nobilibus familiis Thuricensis Regiminis *Manesse*, *Lunkunft*, *Castor* vel *Biber*. *de Schoenenwerd*, *vom Steg*, vel *an dem Steg*, *von Kloten*. Leguntur apud Aegidium *Tschudi* in *Descriptione Galliae Comatae*. *p.* 103-109. edit. Constantiae 1758. *in fol. Germanicè.* Tabulae Senatûs Thuricensis ab anno IIII. usque 1319.

(10) Vide quoque eundem Clariss. *Leu* ibidem de familiis Thuricensium Patriciis, *Bilgerin*, *Stoeri*, *von Mulimatten*, *Fink.* &c.

LXXVIII.

Carta data die 5. Octobris 1280. qua Heinricus Murensis Abbas donavit tradiditque Elisabetae Abbatissae Thuricensi predium in Birboumestorf in compensam alterius predii in Addlischuuyle.

Autographum pergamenum in Scriniis Illustrissimae Reipublicae Thuricensis, & Apographum in Historia diplomatica Abbatiae Thuricensis, *vulgò* Frauenmunster, *ab Eruditissimo Erhardo* Dursteler *conflata*, *pag.* 100-101. *MSc. in folio & T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 155-156. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Venerabilibus in Christo E. (1) Dei gratia Abbatisse totique Conventui monasterii Thuricensis. H. (2) divina permissione Abbas totusque Conventus monasterii in Mure, salutem in Domino Jesu Christo. Ad petitionem perdilecti nostri Johannis de Schonenwerd (3) militis, proprietatem predii siti in Birboumestorf dicti in der Gupphen ad nos spectantem reddentis annis singulis sex modios tritici & duos modios avene, cum X. solidis denariorum monete Thuricensis quod ipse Johannes pro annuo censu unius solidi, jure hereditario, a nostro monasterio possidebat, renunciatione ipsius juris hereditarii ab ipso milite & filiis suis Jo. & R. & juris usus fructus ab Anna ejus uxore, voluntate spontanea prehabita, tractatu adhibito diligenti & consilio deliberato Vobis & vestro monasterio donamus & tradimus perpetualiter possidendam, maxime cum dictus miles nobis proprietatem alterius predii in Addlischuuyle dederit in compensam. Renunciantes presentibus omni juri edito vel edendo quod nobis in predicto predio compete-

petebat, vel competere videbatur, promittentes pro nobis nostrisque successoribus, quod contra ipsam donationem nullo juris canonici vel civilis auxilio, seu restitutione in integrum nullatenus veniemus. Predictus insuper miles promisit pro se & suis successoribus H. (4) dicto Mannezzen sacerdote nomine vestri monasterii, se prestiturum Warandiam super proprietate dicti predii in Birboumesdorf in omni foro tam Ecclesiastico quam Seculari, quocunque fuerit requisitus pro eodem quod dictum predium in Adtlischuyle cum sex marcis argenti a vobis recepit titulo permutationis. In cujus rei evidentiam presentem Cartam, ad petitionem dicti Johannis vobis tradimus sigilli nostri videlicet Abbatis, quo & Nos Conventus utimur, cum proprium non habeamus & Consulum Turicensium munimine patenter communitam. Acta sunt hec in Mure Anno Domini M.CC.LXXX. primo (5) Sabbatho post festum Michaelis. Indictione VIII. Presentibus Waltero de Eschibach (6) Nobili. Hartmanno de Buttiken (7). H. de Wangen (8). Johanne de Rotenburch (9). H. de Yberth (10) militibus, & aliis quam plurimis fide dignis ad hoc vocatis & rogatis. Nos Consules Thuricenses, quorum nomina subscribuntur ad petitionem predicti Domini Abbatis & Johannis de Schonenwerd nostrum sigillum duximus appendendum Anno & Indictione prenotatis, proxima feria secunda (11) ante festum Dionysii. Nomina autem Consulum sunt.

H. Rudeg. Mannezz.		Rod. de Lunkunst.
R. an dem Stege.		Ulr. de Schonenwert.
Wilh. de Chloten.		Joh. Biber. Milites.
Hu. Mannezzo.	&	Hu. filius suus.
H. Peregrinus Senior.		Ul. Stori.
Otto de Mullimatten.		Rod. Phynch. Cives Thuricenses.

Notae.

(1) Scilicet *Elisabetae.*

(2) Videlicet *Heinricus.*

(3) Ad majorem praesentis instrumenti lucem priùs legendae sunt Cartae jam ante descriptae, sub annis 1278. die 13. Februarii, & 1280. die 20. Septembris, in quibus de milite Johanne de Schonenwerd & ejus filiis Johanne & Rudolfo, & de locis in Carta 1280. die 5. Octobris iterum memoratis agitur.

(4) *H.* scilicet *Henrico.*

(5) Anno 1280. celebrabatur Pasca die 21. Aprilis, & festus dies S. Michaelis Dominicâ 29. Septembris, & primum Sabbatum post hoc festum erat dies quintus

quintus Octobris, ut probant Clarissimi Auctores tractatûs Gallici, *l'Art de verifier les dates.* Eodem anno 1280. currebat Indictio *octava.*

(6) Barones *ab Eschenbach*, Helveticis celeberrimi Annalibus.

(7) *Nobiles de Buttiken* vel *Buttikon* in Libera Argovia inferiori.

(8) Nobiles *de Wangen* e quibus *Henricus*, in Libera Argovia.

(9) Barones & Nobiles *de Rotenburg* in Cantone Lucernensi, ubi pagus & arx diruta *Rotenburg.*

(10) Nobiles de *Iberg* e quibus *Henricus*, suam nunc ruderibus insignem habebant arcem supra pagum *Ruti* in superiori Argovia Libera.

(11) Festum sancti Dionysii Episcopi Parisiensis & Martyris die IX. Octobris, feria igitur secunda ante illud festum erat septima dies ejusdem mensis.

LXXIX.

Rudolfi I. Regis Romanorum diploma datum Friburgi (in Oechtlandia) die 8. Junii 1284. pro Conventu de Mageroia, Ordinis Cistercienfis, extra muros Fryburgenses, Lausannensis Diocesis.

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae la Maigrauge & *Apographum T. IV.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p. 248. MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

RUDOLFUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Universis sacri Romani Imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum. Etsi ad quoslibet quos Romanae ditionis habet Imperium, beneficientiae nostrae dexteram debeamus extendere debitricem, illos tamen praerogatiua favoris amplectimur & specialiori prosequimur caritatis affectu qui sub Religionis habitu Regi Regum humiliter militantes pro nobis orationum suarum suffragiis a divina facilius possunt obtinere clementia quod currentes in labentis seculi stadio vitae permanentis in secula bravium apprehendere mereamur. Ad universorum igitur tam praesentium quam futurorum notitiam volumus devenire. Quod nos zelo moti pietatis Religiosarum foeminarum Abbatissae & Conventus Sororum de Mageroia Ordinis Cisterciensis extra muros Fryburgenses Lausannensis Diocesis residentes sanctitatis fragrantiam ac vitae regularis ac Religionis celebris obser-

obſervantiam de Benignitatis Regiae Benevolentia largiſſua clementer & favorabiliter intuentes, ipſis per quas animarum ſalus & cultus divini nominis augmentatur, ob animarum noſtrae & Progenitorum noſtrorum remedium & ſalutem, dictum locum in quo ſe ad famulandum Altiſſimo receperunt, ac omnes poſſeſſiones earum & bona cum agris, pratis, paſcuis, fluviis, nemoribus & molendinis, aquis, aquarum decurſibus quae in praeſentiarum rationabiliter poſſident, ſive donationis ſive emptionis titulo aut quocunque alio modo pervenerunt ad easdem, ac in poſterum iuſtis modis poterunt adipiſci. de benignitate Regia & auctoritate Regalis culminis. praeſentis paginae atramento confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrae confirmationis infringere vel eidem auſu temerario contravenire. Quod qui attentare praeſumſerit gravem noſtrae indignationis offenſam ſe noverit incurſurum. In quorum teſtimonium ac perpetuum firmamentum preſens ſcriptum conſcribi exinde & Majeſtatis noſtrae ſigillo (1) iuſſimus communiri. Datum Friburgi ſexto Idibus Juni Anno Domini MCCLXXXIV. Regni vero noſtri anno XI.

Nota.

(1) Hoc diplomate dependet ovale ſigillum in quo *Rudolſus* regali togâ veſtitus, trono antiquo ſedet, coronâ non clauſâ coronatus, dextra ſceptrum florigerum tenens, & ſiniſtrâ globum orbis ſupra quem crux eminet. Leguntur circa ſigillum haec verba: ✝ RVDOLFUS. DEI. GRACIA. ROMANORVM. REX. SEMPER. AVGVSTVS.

LXXX.

Conradus (1) *Nobilis de Teengen ratas & gratas habet conditiones, quibus Abbatiſſa Thuricenſis curtim villicationis ſue in Rumelang conceſſerat Burcardo dicto Van der Owa ſervo ſuo. M.CC.LXXXVI.*

Autographum pergamenum in Archivo Illuſtriſſimae Reipublicae Thuricenſis, & Apographum in Hiſtoria diplomatica Abbatiae Thuricenſis, vulgò Frauenmunſter, *ab Eruditiſſimo Erhardo* Durſteler, *Thuricenſi, conflata, p.* 115-116. *MSc. in folio, & Tomo VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 165. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Uni-

Universis presentium inspectoribus Chunradus (2) Nobilis de Teengen Clericus reverentiam & honorem. Noverint presentium inspectores, quod cum reverenda in Christo Abbatissa suusque Conventus Monasterii Thuricensis curtim villicationis sue in Rumelank (3) ad ipsas iure proprietario spectantem concesserunt Burcardo dicto von der Owa servo meo pro XX. modiis tritici nomine census annuatim in festo Galli (4), & duobus porcis annuo in festo Andree (5) unam libram monete Thuricensis valentibus sibi persolvendis his adjectis conditionibus. Quod idem Burcardus ipsam curtem cum bona cultura regere debet & tenere & si in hoc negligens fuerit, & invenitur de hoc satisfacere debet eisdem secundum quod juris ordo postulat & requirit. Si vero predicte Domina Abbatissa & Conventus ipsum Burcardum ab eadem curte removent & depellunt, tunc nullam partem rerum suarum ab eo exigere debent nec aliquatenus extorquere, & post hec presatus Burcardus legitimus colonus & inquilinus secundum communem juris formam agricolarum & inquilinorum ipsarum esse debet in eadem curte residendo. Ego predictas conditiones ratas & gratas habens meum plenum favorem & spontaneum consensum eisdem conditionibus pro me meisque successoribus prebeo & adhibeo per presentes. In hujus rei certitudinem presentem literam do & trado predictis Abbatisse & Conventui mei sigilli munimine patenter communitam. Datum in Bulach (6) sabbatho proximo (7) ante Ascensionem Domini Anno Domini M.CC.LXXXVI. Indictione XIIII.

Notae.

(1) Talis est veterrima hujus instrumenti inscriptio.

(2) De Nobilibus vel Baronibus *de Tengen*, vel *Thengen* in Hegovia Dominis oppidorum Eglisau & Bulach, vide Hist. Helvetiae Lexicon, Auctore clarissimo D. *Leu*, T. XVIII. p. 77-78.

(3) *Rumlang*, parochia & pagus ad sinistram fluminis *Glatt*, inter *Ober-hausen* & *Ober-Glatt*, hodierna praefectura civitati Thuricensi pertinens.

(4) Scilicet die 16. Octobris.

(5) Die 30. Novembris.

(6) *Bulach*, oppidum & praefectura Cantonis Thuricensis.

(7) Anno 1286. *Ascensio Domini* celebrabatur die Jovis 23. Maii. Proximum igitur praecedens sabbatum fuerat dies 18. ejusdem mensis quo praesens Carta fuit expedita. Eodem autem anno, die 18. Maii, currebat Indictio *quarta decima*. Vide *l'Art de verifier les dates*.

LXXXI.

LXXXI.

Tractatus die XVII. Septembris MCCLXXXVII. inter Commendatorem de Summiswald, Ordinis Teutonici & Capitulum Solodorense, quo mutuum suorum servorum statum decreverunt.

Autographum pergamenum signatumque sub littera B. 7. in Archivo Regalis Praepositurae sancti Ursi in civitate Solodorensi, (Soleure, *Germanicè autem* Solothurn), *& Apographum T. I.* Miscellaneorum Helveticae Historiae *p.* 172. *MSc. in fol. in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Nos frater Hugo dictus de Langenstein (1) Commendator, & fratres de Suimolswalt (2) ordinis sancte Marie Theutonice Jerosolimitane notum facimus universis presentium inspectoribus, quod nos utilitatem domus seu ecclesie nostre de Suimolswalt, & hominum nostrorum commodo ac quiete pensatis, una cum honorabilibus viris, domino Bertoldo (3) de Ruthi Preposito & Capitulo Solodorensis Ecclesiae de consensu reverendi in Christo, fratris Bertoldi de Gepzenstein (4) nostri Ordinis, per Alsaciam & Burgundiam Commendatoris, pactum inivimus & conventionem fecimus per stipulationem sollemnem hinc & inde promittentes, quod ubi homines domus seu Ecclesie nostre, cum hominibus predicte Ecclesie Solodorensis, super quos Dietricus de Ruthi ius advocatie habere dinoscitur, matrimonium contraxerunt, vel ex nunc in antea contraxerint, pueri ex tali matrimonio nati, vel in posterum nasciturì utriusque videlicet sexus, communes nobis & prefate Ecclesie Solodorensi esse debent & bonis seu rebus paternis ac maternis equaliter succedere & sunt inter nos & inter . . Prepositum & Capitulum predicte Ecclesie Solodorensis equa particione sine contradictione dividendi, quandocunque super hujusmodi divisione seu particione facienda Prepositum & Capitulum sepememorate Ecclesie Solodorensis requisierimus, vel nos ab eis fuerimus requisiti. Et sciendum quod ad quam partem dividendus per divisionem transierit portio que ex parentum bonis, vel rebus ipsum contingeret, libere comitabitur, & comitari debebit. Nec mirum cum hujusmodi matrimonia contracta vel contrahenda sine offensa fiant utrumlibet Ecclesiarum. In horum plenam noticiam & robur firmum sigillum predicte domus nostre de Suimolswalt cum appositione predicti Commendatoris Alsatie & Burgundie, presentibus

tibus eſt appenſum. Nos frater Bertoldus de Gepzenſtein Commendator Alſatie & Burgundiae ſupradictus, ad peticionem predictorum fratrum noſtrorum ſigillum (5) noſtrum preſentibus appendimus in ſignum noſtri conſenſus, & approbationis, nec non in robur & teſtimonium omnium premiſſorum. Datum Suimolswalt feria quarta (6) proxima ante feſtum beati Mathei Evangeliſte Anno Domini M°.CC°. octogeſimo ſeptimo.

Notae.

(1) *Hugo de Langenſtein* de quo preſens Carta, erat natus e praenobili ſtemmate hujus nominis, quod olim e Baronibus *de Langenſtein* in Helvetia ſuam habebat originem, ſecundùm nonnullos ſcriptores & poſtea in *Hegoviam* (Hegeu) transmigravit. Arx autem *Langenſtein*, in Helvetia, nunc jacet ruderibus clara in parochia *Melchnau*, praefecturâ *Arwangen*, & ditione Reipublicae Bernenſis. Barones *de Langenſtein* fundarunt duodecimo Saeculo inclitam Abbatiam ſancti Urbani, Ordinis Ciſtercienſis, quae in Cantone Lucernenſi ſita eſt. Vide *Leu* Hiſt. Helvet. Lexic. T. XI. p. 361.

(2) *Summiswald*, olim Equeſtris domus Theutonici Ordinis, in Dioceſi Conſtantienſi, & nunc praefectura Cantonis Bernenſis.

(3) *Bertoldus de Ruthi* Praepoſitus Capituli Solodorenſis erat ortus nobili genere *de Ruti*, in Cantone Bernenſi; Dietricus *de Ruti* de quo praeſens inſtrumentum, vendidit anno 1313. ſuum condominium caſtri *Trachſelwald* nobili Conrado *de Summiswald*. Inter Beneſactores Abbatiae ſancti Urbani recenſentur Nobiles *de Ruti*. Vide *Leu* ibid. T. XV. p. 551.

(4) *Gepzenſtein*, localem illius nobilis ſtemmatis ſedem ignoramus.

(5) E duobus olim huic Cartae appendentibus ſigillis unum ſupereſt, cerae albae, formae ovalis & in quo cernitur Salvator mundi crucifixus, ſtans inter Beatiſſimam ſuam Matrem & ſanctum Johannem. Ad pedes autem crucis genibus provolutus eſt unus ſupplex, & circa ſigillum legitur: † S. COMEND . . . . . DE ALSACIA. ET BURGUNDIA. Erat illud ſigillum *Commendariatus* generalis per Alſatiam & Burgundiam, ſub cujus provinciali *Magiſterio*, ut vocant, erat Commendator in *Summiswald*.

(6) Id eſt XVII. Septembris.

LXXXII.

LXXXII.

Carta data Thurici die 1. *Maii* 1289. *qua Fridericus Comes de Toggenburg donavit monasterio in Ruti, Ordinis Praemonstratensis, Constantiensis diocesis, curiam sitam in villa Tunbrune.*

Libertas & privilegia Monasterii Ruthinensis, MSc. in Scriniis Illustrissimae Reipublicae Thuricensis, & ex illis extractus T. VI. Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 208. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Fridericus (1) Comes de Toggenburg — declaramus quod ad retribucionem Domino pro omnibus que retribuit nobis, ne nota ingratitudinis maculemur, in remedium anime nostre & nostrorum progenitorum ac nostre salutis augmentum curiam nostram sitam in villa Tunbrune (2) dictam Kelnhof ad nos proprietatis titulo pertinentem reddentem annuorum redditum IX. mutt tritici, III. malteria avene & modium fabarum mensure de Wile (3) XXII. P. de Constant. ovem valentem III. p. & VI. d. dicte monete, IV. pullos & LX. ova, cum jure patronatus Ecclesie ibidem site & decimis ac dote, cujus bona & redditus inferius specificantur cum advocacia singulis annis reddente I. lib. den. monete predicte & hominibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, cum pratis, pascuis &c. ac universis juribus & pertinenciis ad dictam curiam Ecclesiam seu dotem Ecclesie predicte pertinentibus donavimus, titulo donationis transtulimus de consensu & voluntate Ven. Patris & Domini nostri R. (4) Dei gratia Episcopi Constantiensis in viros honorab. & religiosos Abbatem & Conventum monasterii in Ruti &c. Testes hujus rei sunt Rud. sacerdos incuratus Ecclesie sancti Petri Thuricensis. Rudgerus Manesse (5), Heinricus de Cloten (6), Ulricus de Schoenenwerd (7), Cun. de Tubelstein (8), C. de Steinmur (9), milites. Ulricus dictus Snoede & Ulricus de Bussnach &c. Dat. & act. Thurici Anno Domini M.CC.LXXXIX. Kal. Maii. Ind. II. (10)

Notae.

(1) Fredericus Comes de Toggenburg, frater Wilhelmi,

(2) Hodie *Tunbrunnen;* Henricus Abbas sancti Galli declaravit Cartâ datâ die Lunae ante festum S. Mathei 1414. quod Godofredus Abbas Rutinensis & ipsius

ipfius Conventus cefferunt monafterio fancti Galli villas in *Tunbrunnen* & *Nunbrunnen* titulo permutationis pro collatione Ecclefie *Goffau* quam Abbatia fancti Galli incorporavit Conventui Rutinenfi. Parochia autem *Goffau* eft in praefectura *Gruningen*, ditione civitatis Turicenfis.

(3) *Weil* oppidum fub dominio Abbatis fancti Galli.

(4) Rodolfus Comes Habspurgi, e Linea Lauffenburgenfi, Epifcopus Conftantienfis.

(5) Nobiles de *Manefs*, Annalibus Thuricenfium celebres.

(6) Nobiles de *Kloten*, in Cantone Thuricenfi.

(7) Nobiles de *Schaenwerd*, Thurici.

(8) Nobiles de *Dubelftein* vel *Tobelftein*, fuam habebant arcem fupra pagum *Dubendorf* in Cantone Thuricenfi.

(9) Nobiles de *Steinmaur* vel *Steinmur*, feudatarii Baronum de *Regensperg*, fuam habebant arcem in pago *Steinmaur*, in praefectura *Regensperg*, ditione Thuricenfi.

(10) Indictio fecunda currebat I. Maii 1289.

LXXXIII.

Carta qua Amadeus Comes Sabaudiae fub fua tutela fufcepit Abbatiffam & Conventum de la Magrochia prope Friburgum, Ordinis Cifterciensis, & diocefis Laufannenfis, die 28. *Julii* 1293.

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae de la Maigrauge, *& Apographum T. IV.* Monumentorum Helvetico-Tugienfium *p.* 248. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

A*madeus* (1) *Comes Sabaudiae* dilectis fidelibus fuis univerfis Bayllivis, judicibus, caftellanis, miftralibus, ac fubditis, ad quos prefentes litterae pervenerint, falutem & dilectionem. Vobis univerfis & fingulis praecipimus & mandamus, quatenus religiofas dominas & chariffimas noftras Abbatiffam & Conventum beatae Mariae de la Magrochia (2) prope Friburgum Ordinis Cifterciensis & Diocefis Laufannenfis una cum rebus bonis & famulis ipfarum ab omnibus tanquam noftra propria cuftodiatis viriliter & defendatis juftitia mediante non

 permit-

permittentes sibi a quoquam injuriam seu violentiam irrogari, & si sit ita, quod absit, quod aliquis de nostris sibi vel rebus suis aliquam injuriam seu violentiam inferret, eisdem in continenti emendari faciatis, & ad hoc faciendum unus vestrum alterum non expectet. Datum cum appositione sigilli (3) nostri apud Chyllon (4) die Martis (5) post festum beatae Mariae Magdalenae. Anno Domini M.CC.XCIII.

Notae.

(1) Amadeus V. cognomento *Magnus*, Comes Sabaudiae a die 17. Novembris 1285. usque ad suam mortem die 16. Octobris 1323.

(2) Germanicè *Mageran*, latinè *Macra Augia*, & vulgari incolarum idiomate *Maigroge*, *Maigroge* vel *la Maigrange*, Abbatia *Bernardinarum* ad dexteram ripam fluminis *Sarinae* inter altas rupes, prope civitatem *Friburgum* in Oechtlandia.

(3) Sigillum ovale ab hac Carta pendens, scilicet scutum Sabaudiae rubeum cum cruce argentea, & duobus foliorum ramis circumdatum.

(4) *Chillon*, vel *Chillion*, arx inter *Vivai* & *Montreux*, in lacu Genevensi seu Lemano, districtu *Vaudi* & Cantone Bernensi.

(5) Anno 1293. Pasca celebrabatur 29. Martii, festum autem Beatae Mariae Magdalenae die Mercurii 22. Julii, dies Martis post hoc festum erat 28. ejusdem mensis. Vide *l'Art de verifier les dates*, ultimae editionis *in folio*.

LXXXIV.

Carta data Burgdorfii die IX. Augusti 1294. *qua Jacobus prior de Insula medii lacus, Cluniacensis Ordinis, Lausannensis Diocesis, quaedam bona abalienat sub certis conditionibus & sub sigillo vices gerentis Hartmanni Comitis de Kiburg, e stemmate Habsburgico.*

Autographum pergamenum Tugii in Scriniis Liberi Baronis de Turre-Castellionis-Zur-Lauben, Commendatoris Regii & militaris Ordinis sancti Ludovici, & Generalis locum tenentis in exercitibus Regis Christianissimi.

Nos Jacobus prior de Insula (1) medii lacus Cluniacensis ordinis Lausannensis Dyocesis. Notum facimus Vniuersis presentibus & futuris. Quod nos ex certa scientia nostra & spontanea voluntate evidenti vtilitate & vrgente necessitate, dicte ecclesie nostre de insula requirente concessimus & concedimus per presentes Henrico quondam filio Henrici de Herolswile (2) & Margarete uxori sue, quin-

que

que fcopofas terre fitas apud Gomerchengen (3) nobisque & dicte noftre domui de infula jure proprietatis pertinentes. In quibus quinque (4) fcopofis jus aduocacie prefato Henrico de Herofswile & fuis heredibus competere dinofcitur pro decem & novem libris minus quinque folidis ufualis monete nobis ab ipfo Henrico & Margareta predictis, undecim libris & predeceffori noftro octo libris minus quinque folidis ab Henrico patre quondam dicti Henrici traditis jn bona pecunia numerata ex caufa conceffionis predicte & in vtilitatem & pro exhonoratione debitorum dicte domus noftre conuerfis, quoad vixerint fine contradicione qualibet cum earum vtilitate & vniuerfis appendentiis poffidendas pacifice & habendas fub hac tamen forma & condicione, Quod Henricus & Margareta predicti fingulis annis in fefto beati Andree (5) Apoftoli fepefate noftre domui quinque folidos denariorum vfualis monete cenfus nomine dare debent. Et Henrico & Margareta predictis, defunctis, prelibate fcopofe cum omni jure & vtilitate, preter ius aduocacie, ad prefatam domum noftram fine contradicione qualibet reuertentur. Renunciamus igitur hoc in facto exceptioni doli metus & in factum non numerate pecunie non folute exceptioni deceptionis vltra dimidiam iufti precii — beneficio reftitutionis in integrum juri dicenti generalem renunciationem non valere nifi precefferit fpecialis. Et omni juris auxilio & beneficio reftitutionis, per quod dicta conceffio feu locatio vel aliquod de predictis poffet in pofterum irritari. promiffimus & promitimus infuper per prefentes, fide data & juramento preftito corporali a nobis, quod contra predicta feu prefens inftrumentum verbo vel facto, per nos vel per alios non veniemus in futurum. Teftes vocati & rogati qui predictis afuerunt funt hii dominus Nicholaus plebanus de Frutingue (6). dominus Walterus de Halwangen (7) miles. Thomas de Scharnachital (8) domicellus. Rodolphus dictus piftor. Johannes & Henricus fratres dicti graberra. Rodolphus de Rufchol. Johannes de Schonerlan. Jacobus Sartor. Nicholaus frater fuus Johannes an Horchen burgenfes de Burtorf (9). Petrus fapiens de Friburgo in Hoftelandia (10) minifter dicte infule. & plures alii fide digni. In hujus quoque rei teftimonium figillum (11) noftrum vna cum figillo domini (12) Vldrici de Torberc militis gerentis vices domini fui Harthemanni (13) Comitis de Kiburc duximus prefentibus apponenda. Et ego dictus Vldricus miles de Torberc ad preces & ad requifitionem domini Jacobi prioris fupradicti figillum meum huic fcripto appofui in teftimonium premifforum. Actum & datum Burtorf. Anno Domini M°. CC°. nonagefimo. quarto. feria (14) fexta ante affumptionem beate Marie Virginis.

 Notae.

Notae.

(1) Jacent in lacu *Biennensi* duae insulae quarum minor deserta, major autem ferax vineis, gleba, pratis & silvis, unius longa leucae in circuitu, & in qua structa est una domus, aspicit pagum *Ligerz*; in hac insula olim fuit Prioratus Cluniacensis Ordinis, illuc translatus a Conventu *Bellmont* prope *Nidau*, vocabatur *Prioratus de Insula medii lacus* vel *Insula sancti Petri*, cujus Apostoli effigiem in sigillo, ut nostra docet Carta, ille ferebat. Ambae hae insulae sunt sitae in Cantone Bernensi, praefecturâ verò *Nydau* seu *Nidau*. Proventus veteris hujus Prioratus nunc possidet Hospitale civitatis Bernae. Vide *Leu*, Historicum Helvetiae Lexicon T. X. p. 559.

(2) *Eriswil* vel *Erolzweil*, pagus & parochia in arcta valle ad limites Cantonis Lucernensis, in praefectura Bernensium dicta *Trachselwald*. Hoc in pago olim erat arx Nobilium de *Eriswil* vel *Erolzweil* e quibus Joannes & Henricus anno 1278. vivebant, Henricus miles, erat anno 1336. Scultetus oppidi Burgdorf nomine Comitis de Kiburg & Benefactor Abbatiae monialium in *Fraubrunnen*, Cisterciensis Ordinis. Nonnulli ejusdem stemmatis inter donatores Abbatiae sancti Urbani & Conventus Dominicanorum in Berna civitate numerantur. Erant illi Cives & Bernae & Solodori, & Domini pagi praedicti *Eriswil*. Vide *Leu* ibidem T. VI. p. 391.

(3) Hodie *Gommerkinden* in Cantone Bernensi, parochiâ autem *Hasle* in praefectura *Burgdorf*, dividitur in duas partes superiorem & inferiorem; superior est pagus, inferior verò ampla rustici villa. Petrus Nobilis de *Gommerkinden* clarebat 1313. Vide *Leu*, ibidem T. IX. p. 38.

(4) Sic legendum puto, licet autographum designare videatur *quidam* vel *quidem*.

(5) Die 30. Novembris.

(6) *Frutingen*, parochia & numerosus pagus, caput unius *Castellaniae* seu Praefecturae quae Cantoni Bernensi paret, & in qua cernuntur rudera arcis Scharnachthal, scilicet in parochia *Reichenbach*. Vallis autem *Frutingen* olim subdita erat Baronibus de Turre Castellionis in Valesia, quorum feudatarii erant Nobiles *de Scharnachthal* qui civilegio civitatis Bernae postea potiti sunt & in qua primas Regiminis dignitates obtinuerunt.

(7) Nobiles de *Halwangen*, eorum sedem ignoro. Fuerunt olim Nobiles de *Illfingen* vel *Hilwingen*, domini pagi & parochiae *Illfingen*, ad montem *Jorat*, unâ leucâ ab oppido *Bienna*, in Basileensi Episcopatu, e quibus *Ulricus* anno 1235. Benefactor Abbatiae sancti Johannis Herilacensis.

(8) Vi-

(8) Vide notam praecedentem (6), de illis Nobilibus jamdudum extinctis qui inter caetera dominia possidebant *Oberhofen*, hodiernam in Cantone Bernensi praefecturam.

(9) Hodie *Burgdorf*, arx & oppidum in ditione Reipublicae Bernensis, olim parebant Comitibus de *Kiburg*.

(10) Aliàs *Ochtlandia*, Germanicè *Oechtland*, districtus in quo fundata fuerat civitas *Friburgum*.

(11) Duo huic Cartae appensa sunt sigilla, quorum primum, oblongum, e cera subnigra conflatum, & in quo cernitur effigies sancti Petri, cujus dextera clave armata & sinistra librum tenet: circa sigillum minoribus legitur caracteribus:

S FRIS IACOBI PRIORIS DE INSVLA

(12) alterum hujus Cartae sigillum, grande ovale, e cera flava, in quo apparet triangulare scutum foliis circumdatum, in quo eminet supra tres gradus lapideos biforis janua aperta, cum hac circumscriptione, majusculis litteris:

✝ S. VLRICI . . . . TOR ✱ MILITIS Nobiles *de Thorberg*, vasalli Comitum de Kiburg in *Burgdorf*, Helveticis celebres annalibus, fundarunt Cartusiam in *Thorberg* quae nunc est Praefectura Bernensium, erant quoque domini in *Kilchberg*.

(13) Scilicet *Hartmannus* Comes *Kiburgi* residens *Burgdorfii*, filius Eberhardi Comitis de *Habspurg* qui sator fuit ultimae lineae Comitum de *Habspurg-Kiburg*.

(14) Id est, die nona Augusti, quippe Assumptionis *Deiparae* festum die XV. Augusti celebratur.

LXXXV.

Carta data die decima tertia Septembris MCCXCIV. qua Amedeus Comes Sabaudiae confirmavit cessionem plurium possessionum quam Petrus de Turre Dominus Castellionis fecerat uxori suae Guigonae & liberis suis.

Autographum pergamenum Tugii in Scriniis Liberorum Baronum de Thurn & Gestelenburg-Zur-Lauben.

NOS Amedeus (1) Comes Sabaudie. Notum facimus vniversis presentes litteras

teras inspecturis. Quod in nostra presentia propter infrascripta constitutis Petro (2) de Turre Domino Castellionis & Guigona (3) ejus uxore. dictus siquidem Petrus non vi. non dolo. non metu inductus. nec aliqua arte seu fraude circonventus. sed sua propria & libera voluntate. & volens agnoscere bonam fidem. ad instantiam & requisitionem dicte Guigone vxoris sue non in fraudem creditorum vel quorumcunque aliorum. sed pro ipsa veritate recognoscenda confessus est publice & in veritate & per sacramentum ab eo corporaliter prestitum recognoscit se habuisse & recepisse in numerata pecunia ab ipsa Guigona vel ab alio nomine ipsius pro dote & nomine dotis ipsius Guigone. duo milia librarum Viennensium que quidem duo milia librarum Viennensium. cum presata Guigona peteret per dictum petrum sibi reddi & assetari. super bonis & rebus ipsius petri. eo quod dictus petrus plures guerras (4) contentiones habebat. & etiam habuerat postquam predictam dotem receperat. propter quas dicta Guigona timebat ne posset esse ejus periculum dotis predicte amittende. vel etiam non recuperande imposterum. Ipse petrus volens bonam fidem agnoscere. Nollens quod dicta Guigona in dote sua recuperanda nunc vel imposterum modo aliquo periclitari posset. Recognoscens petitionem dicte Guigone fore consonam racioni. Considens & recognoscens se esse in casu in quo de jure presate Guigone constante matrimonio dotis repetitio competit ipsam Guigone presatam dotem sibi restituendo & pro ipsa dote eidem Guigone salua fore imposterum, eidem Guigone reddit. Assignat atque etiam dat in solutum & tradit vel quasi iure modo & forma quibus melius fieri potest bona sua. res & jura infrascripta. Videlicet quicquid habet tenet & possidet vel quasi apud Contesium (5) seu villa & castro Contesii & ejus mandamento. & apud Sassons (6) & ejus mandamento. & apud Olons (7) & ejus pertinentiis seu parochia siue sint in domibus fortalitiis. terris cultis vel incultis. nemoribus pascuis pratis. aquis. aquarumque decursibus. juribus iurisditionibus redditibus tailliis plaintis costumis obuentionibus & exactionibus aliis quibuscunque. exceptis predictis & omnibus rebus quas idem Petrus detinet in feodum a karissimo fratre nostro Domino Ludovico (8) de Sabaudia, Domino Vaudi. quecunque sint & ubicunque & quocunque nomine censeantur. dat etiam & donat eadem donatione & iure quo melius & firmius potest vltra predictam assignationem & donationem in solutum presate Guigone vxori sue presenti & recipienti nomine suo & liberorum (9) suorum centum quinquaginta libras Mauricienses (10) annuas seu in redditibus annuis habendas & percipiendas annis singulis super predictis rebus pro alimentis ipsius

Gui-

Guigone ac etiam liberorum suorum vltra predictam dotem. Ita quod ipsa de fructibus rerum predictarum sibi assignatarum & datarum in solutum ut supra pro dote sua debeat & teneatur secundum quod juris est sustentare tam ipsam quam dictum Petrum & etiam liberos eorundem. & etiam de centum quinquaginta libris mauricensibus annuis quas sibi dedit ut supra pro sustentatione ipsius Guigone vxoris sue & liberorum suorum. Cedens & concedens prefatus Petrus ex causa predicte dationis in solutum. & ex causa predicte donationis centum & quinquaginta librarum Gebennensium (11) annuarum seu annis singulis percipiendarum in rebus predictis pro alimentis & sustentationibus predictis. predicte vxori sue omnia iura & omnes actiones reales & personales qualescunque quas habet habere potest seu habere videtur seu habere potest in rebus predictis omnibus & singulis predictorum, ipsamque ex causis predictis constituit veram dominam & procuratricem in rem suam in predictis & singulis predictorum. Volens & concedens idem quod ipsa sua propria auctoritate sine auctoritate alicujus Domini vel judicis vel cujuscunque alterius persone predicta omnia bona. & possessionem vel quasi omnium & singulorum predictorum possit apprehendere & retinere. Constituens se nomine predicte Vxoris sue possidere vel quasi omnia & singula predicta ex causis omnibus & singulis predictis quousque ipsa corporalem, & vacuam possessionem & quasi omnium & singulorum predictorum per se vel per alium apprehenderit. Promittens bona fide & per stipulationem sollempnem. & per sacramentum ab eo corporaliter prestitum & sub obligatione bonorum suorum omnium predicta omnia & singula rata & firma habere & inuiolabiliter observare & contra non venire. neque contra venire volenti aliquatenus per se vel per alium consentire. Renuncians idem Perrotus (12) per pactum expressum & per sacramentum ab eo prestitum ut supra exceptioni docimali que metus causa, & in factum predicte confessionis & dationis in solutum & donationis non factarum. non rite. non legittime factarum. conditioni sine causa uel ex iniusta causa. Legi dicenti donationem factam inter Virum & Vxorem constante matrimonio non valere. & Legi dicenti redditionem dotis constante matrimonio non teneri. & Legi dicenti donationem vltra quingentos aureos seu solidos factam sine insinuatione non valere. & juri dicenti confessionem factam extra judicium seu coram non suo judice non teneri. & omni alii iuris beneficio exceptioni juris & auxilio, per quod contra predicta venire possit. vel aliqua de predictis. & Legi dicenti generalem renunciationem non valere nisi precesserit specialis. Volens prefatus perrotus & rogans nos cum instantia ut nos prefatam Gui-

Guigonam Vxorem suam debeamus in predictis tueri & defendere contra omnes & predictum perrotum compellere ad predicta omnia observanda tanquam ex re iudicata. notoria & manifesta. nulla monitione premissa. sacro approbante concilio & generalibus alia lege uel decretali non obstante & predictis omnibus & singulis tanquam rite & legittime de precepto nostro factis auctoritatem nostram interponimus & decretum & sigillum (13) nostrum in robur & testimonium omnium & singulorum premissorum. ad requisitionem & preces dicti petri duximus presentibus apponendum vna cum sigillo (14) dicti petri. Et ego presatus petrus confitens & asserens omnia & singula suprascripta vera esse & facta. ad instantiam & requisitionem dicte Guigone iu robur & testimonium premissorum sigillum meum una cum sigillo predicti Comitis duxi presentibus apponendum. Datum die Lune (15) post nativitatem beate Marie Virginis. Anno Domini M°.CC. nonagesimo quarto.

Notae.

(1) Amedeus V. cognomento *Magnus*, ab anno 1285. usque ad suam mortem die 16. Octobris 1323. Comes Sabaudiae.

(2) Petrus de Turre Dominus Castellionis in superiori Vallesia cujus Majores oriundi e perantiqua & perillustri domo de *Turre-pinni*, Gallicè *de la Tour-du-Pin*, in Delphinatu, celeberrimus est Annalibus Vallesiae, Helvetiae & Sabaudiae. Obiit anno 1310. erat ille filius *Geroldi* vel *Geraldi* Nobilis viri de *Turre Castellionis*, (*de la Tour-Châtillon*), mortui anno 1287. & qui fuerat frater natû major Aimonis *de Castellione* aliàs *de Chatillon*, satoris lineae *de Chatillon*, Germanicè *von Gestelen* vel *Gestelenburg* e qua descendit prosapia Liberorum Baronum *von Thurn und Gestelenburg - Zur - Lauben*, à ferè ter centum annis Tugii in Helvetia clarentium.

(3) Extat in Scriniis Praepositurae montis Jovis (*le Grand saint Bernard*) Carta anni 1302. qua *Perrodus* Nobilis vir de Turre & sua Uxor Guigona *de Rossilon* vendiderunt Johanni Wilhelmo de *Dugny* villam *Ecounaz* quam hodie adhuc possidet praedicta Praepositura. Gens autem Baronum de *Rossilon* Annalibus Sabaudiae, & Delphinatûs celeberrima est. Nostra autem Carta anni 1294. dotem *Guigonae* liberis Viennensibus designat, quia illa domina originem e Delphinatu (*le Dauphiné*) deducebat.

(4) Petrus de Turre-Castellionis de quo praesens Carta, plurima in Vallesia & in finitimis oris possidebat dominia. Auctores *Galliae Christianae* T. XII. pag.

pag. 744. Parisiis 1770. *in fol.* sequentia referunt: *Bonifacius de Challant* Episcopus Sedunensis anno 1294. grave sustinuit bellum adversus Petrum de Turre, dominos *de Gestellenburg*, de Raronia & alios Nobiles Vallesianos, qui arces & pagos ecclesiae abstulerunt: quo quidem in bello Petrum qui cum 11000. hominibus obvium illi fuerat, ad pagum *Leveck* (lege *Leuck*) intuitu Ecclesiam hujus loci devastandi, praelio ita superavit, ut paulo post pacem inter eos conciliaverint Comes *de Griers* & Barones *de Weissenburg* & *Tresdelingen* (lege *Strettlingen*)

(5) *Contesium*, Gallicè *Contey* vel *Gontey*, Germanicè autem *Gundis*, olim oppidulum cum castro, & hodie pagus & Ecclesia supra montem amoenum & feracem in quo sparsi sunt plures pagelli qui ingentem formant parochiam, unâ leucâ infra Sedunum, in praefectura sancti Mauritii, & inferiori Vallesia, ubi crescit excellens vinum. Castrum *Contesium* anno 1375. fuit destructum a Vallesianis eo in bello quod contra Barones de Turre Castellionis gesserunt.

(6) *Saxon*, *Sasson*, & idiomate vulgari *Schaschon*, parochia & pagus in colle ad laevam ripam Rhodani, in conspectu vallis *Entremont*, in praefectura sancti Mauritii & inferiori Vallesia, ubi olim eminebat arx altissima.

(7) Hodie *Ollon* vel *Oulon*, parochia & ingens pagus, unâ leucâ ab oppidulo *Aigle*, suum praebet nomen uni è quatuor *mandamentis* praefecturae *Aigle*, ditione Reipublicae Bernensis.

(8) Ludovicus de Sabaudia Baro Vaudi (*Baron de Vaud*) natus Octobri 1250. & Neapoli mortuus Januario 1302, fuerat natu minor frater Amedei V. Comitis Sabaudiae, cognomento *Magni*. (Vide *Guichenon* Histoire Généalogique de la royale Maison de Savoye, seconde partie pag. 1079-1080.)

(9) Inter liberos Petri de Turre Castellionis & Guigonae testibus documentis numerantur *Johannes* Liber Baro de Turre-Castellionis & Frutingen, *Aimo* Episcopus Sedunensis, filia conjux Baronis de *Weissenburg*.

(10) Id est, librae sancti Mauritii, in Vallesia inferiori.

(11) Librae Genevae civitatis.

(12) *Perod* idiomate Sabaudico designat *Petrum*.

(13) Amedei Comitis Sabaudiae magnum sigillum ovale cerae subnigrae, pergameno pendens ligamine, sed semi-fractum, in quo adhuc cernitur Sabaudiae gentilitia crux cum olivae ramo scutum ornante, & supra scutum

eminet

eminet herbarum vel florum fascis. Circumscriptio sigilli, magnis caracteribus, sic sonat post parvam stellam incisam: SIGILLUM AMEDEI......

(14) Avulsum est Petri de Turre-Castellionis sigillum, sed adhuc scissurae locus apparet. Porro autem illud sigillum praeter circumscriptionem simile erat illi quo usus fuit ejusdem Petri filius Iohannes in Carta quam sub anno 1323. referemus.

(15) Anno 1294. Pasca celebrabatur die XVIII. Aprilis, festum Nativitatis Deiparae die Mercurii VIII. Septembris, & dies Lunae proximus post hoc festum erat decimus tertius ejusdem mensis. Vide *l'Art de verifier les dates.* in folio.

LXXXVI.

Carta data apud Bagnyes die Dominico proximo post Octabas Epifanie (*id est* 16. *Januarii*) 1295: *qua Anthonius de Turre, Domicellus, quendam suum hominem ligium augmentatione feudi donavit.*

Autographum pergamenum in Scriniis Liberorum Baronum de Turre-Castellionis-Zur-Lauben, Tugii in Helvetia.

Ego Anthonius (1) de Turre domicellus filius quondam Domini Johannis de sancto Mauricio militis notum facio vniversis presentes litteras inspecturis quod ego dono & concedo in augmentationem feudi sui petro dicto Borgeis & suis heredibus homini meo ligio & talliabili talem rem qualem tenebat apud Lomabley Boso decimator de Montagnye (2) sitam juxta ... tusa (3) illorum de Glapey ex una parte & terram Jacobi Borgeis & dicti petri ex altera & ad fontem terre Raynaldi de Chondana a parte superiori. pro IIII. solidis Mauricienfibus (4) de redditu solvendis per annum in rogacionibus (5). promittens dictus Anthonius per juramentum suum super sancta Dei Euuangelia corporaliter prestitum dictam decimacionem per se uel per alium de cetero non uenire sed contra omnes in perpetuum garentire. Testes fuerunt rogati. Aymo de Montagnye & Martinus nepos ejus & Raynaldus de Chondana. Ego vero dictus Anthonius sigillum (6) meum litteris presentibus aposui in testimonium veritatis. Datum apud Bagnyes (7) die Dominico (8) proximo post octabas episanie. Anno Domini M°. CC. LXXXX°. V°.

Notae.

Notae.

(1) *Antonius de Turre, Domicellus*, erat filius defuncti militis Johannis de Turre dicti *de sancto Mauricio*, quia residebat apud *sanctum Mauricium* in inferiori Vallesia, & tenebat pluria feuda ab illa Abbatia. Porro autem erat ille procreatus e minori linea Baronum de Turre in superiori Vallesia dominantium, & quorum plures rami cognominabantur a dominiis, terris, & sedibus suis, verbi gratiâ Domini *de Castellione*, Gallicè *de Châtillon*, Germanicè *von Gestelen* vel *Gestelenburg* e quibus adhuc existens prosapia *Zur-Lauben*, Domini *d'Ollon*, *de Saint-Maurice*, *de Montagni*, *de Laringe*, *de Saint-Branchier*, *de Lugrin &c.*

(2) *Montagnye* vel *Montagner* in inferiori Vallesia, inter Verney & Frignolet, ad ingressum vallis *de Bagnes*.

(3) Est hîc in Autographo vox ferè abrasa.

(4) Scilicet monetae cusae cum scuto Abbatiae sancti Mauricii.

(5) Tres illi dies qui solemne festum *Ascensionis* annuatim praecedunt & in quibus carnis abstinentia ab Ecclesiâ injungitur, appellantur *Rogationes* propter orationes tunc temporis in processionibus publicis solitas.

(6) Parvum ovalis formae, & viridis cerae sigillum pergamenis affixum ligaminibus, in quo cernitur Turris pinnis distincta, & circa quod legitur. S. ANTHONII DE TURRE DOMICELLI. Natû minores lineae Baronum *de Turre Castellionis* talia insignia ferebant, natu autem major linea habebat scutum aureum in quo nigra Turris pinnis distincta cum praetenso muro, ejusdem nigri coloris.

(7) Pagus *Banien* vel *Bagnes* qui suum Valli ab Abbatia sancti Mauricii pendenti dabat nomen, fuit anno 1545. cum 140. hominibus ab una exundatione destructus.

(8) Anno 1295. *Epiphania Domini*, celebrabatur die Jovis VI. Januarii, & proximus dominicus dies post octavam *Epiphaniae* erat sextus decimus ejusdem mensis. Vide *l'Art de verifier les dates par les Benedictins de la Congregation de Saint Maur.*

LXXXVII.

Carta data apud Bernam die 23. Januarii 1295. de compositione apud Lauppon facta inter civitates Friburgum & Bernam.

Autographum pergamenum in Scriniis Illustrissimae Reipublicae Friburgensis in Helvetia, & Apographum T. VII. Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 183. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Ego Vlricus de Porta (1) miles Vicarius Illustris viri Hartmanni (2) Comitis de Habsburg Notum facio universis, quod Ego a Sculteto Consulibus & Communitate de Friburgo (3) recepi & me recepisse confiteor centum libras bonae monetae usualis in quibus ex parte eorum in manus Bernensium obligatus fueram nomine compositionis inter ipsos apud Lauppon (4) factae. Quapropter scienter & spontanèe eosdem Scultetum Consules ac Communitatem & eorum successores de predictis centum libris mihi totaliter solutis quito & penitus absolvo nunc & in futurum. In hujus rei testimonium & evidentiam sigillum (5) meum apposui huic scripto. Datum apud Bernam Anno Dominicae Annunciationis M CC Nonagesimo quinto, in crastino (6) sancti Vincentii Martiris.

Notae.

(1) Germanicè *zum Thor*, nobilis haec prosapia olim clarebat in civitate *Schaffhausen*, & postea *Thurici* (Zurich). Vide *Leu*, Hist. Hel. Lexicon T. XVIII. p. 102. Ultimus hujus generis, *Caspar* nomine, obiit *Frauenfeldae* in Turgovia anno 1561. fuerant illi Nobiles Comitibus de Habspurg maximè devincti. Extat apud *Hergottum codice probat. Geneal. Habsburgicae* T. II. p. 294. Instrumentum datum in oppido *Burchtorf* (Burgdorf) mense Januario anno 1251. pro monasterio *de sancto Urbano*, munitum sigillis *Illustris viri Hartmanni Comitis de Kiburch, Abbatis de Urinisperch* (Frienisperg) & *Domini Alberti de Porta.*

(2) Erat filius Eberhardi Comitis de Habspurg (e linea *Lauffenburgensi*) & Annae Comitissae de Kiburg, quo matrimonio tota successio Hartmanni *Junioris* Comitis de Kiburg posteris Eberhardi fuit adscripta. *Friburgum* in Oechtlandia, Burgdorff, Thunum, ex hac successione pendebant.

(3) *Friburgum in Oechtlandia,* hodie caput unius e tredecim Helvetiae Cantonibus.

(4) Hodie

(4) Hodie oppidulum *Laupen*, praefectura Cantonis Bernensis.

(5) Cerae ovale sigillum parvum, in quo eminet supra tres gradus lapideos biforis porta patens cum hac circumscriptione: VLRICUS. DE. PORTA.

(6) Die 23. Januarii.

LXXXVIII.

Mandatum Alberti Romanorum Regis, datum in Baden Argoviae die VIII. Aprilis 1299., *ad Ludovicum de Sabaudia, suum fidelem, Baronem Vaudi, ne cudi faciat monetam in gravamen Episcopi Lausannensis.*

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitissimae Reipublicae Bernensis, & Apographum T. II. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum p. 393. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

ALBERTUS (1) DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS. Spectabili viro Ludovico de Sabaudia fideli suo dilecto, gratiam suam & omne bonum. Intellexit nostra serenitas, quod tu de novo monetam, monetae Lausannensi fere consimilem cudi facias, prope termino Lausannensis Diocesis, ac etiam currere in terra sua, quam tenes in eadem Diocesi Lausannensi, contra antiquam consuetudinem, nec non in nostrum & Imperii, ac venerabilis Lausannensis Episcopi Principis nostri suaeque Ecclesiae praeiudicium & gravamen. Eapropter fidelitati tuae committimus & iniungimus studiose, quatenus ab hujusmodi cesses penitus & desistas, donec coram Majestate nostra edoceas legitimis documentis, si quid tibi jure competat in hac parte, hoc nullatenus obmittendo. Datum in Baden VI. Idus Aprilis Regni nostri anno primo (1).

Nota.

(1) Dux Austriae Albertus, electus Rex Romanorum die 23. Junii 1298. a parte Principum qui Adolphum Nassoviensem rejiciebant, suam secundâ vice, occiso aemulo, electionem ab omnibus Electoribus renovari curavit die 9. Augusti sequentis, & coronatus fuit die 24. ejusdem mensis Aquisgrani. (Vide *l'Art de verifier les dates* p. 448. novissimae editionis in folio.)

LXXXIX.

Sententia lata Constantiae die 29. Martii M.CCC.III. nomine Henrici, Episcopi Constantiensis, de controversia orta inter Abbatissam Thuricensem & Epponem de Kussenach, militem, propter districtum Kiemen lacui Zuge adjacentem.

Autographum pergamenum in Scriniis civitatis Tugii, aliàs Zug, & Apographum T. II. Helveticarum Cartarum ab anno 1241. usque 1319. p. 472-473. MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.

Magistri *Walther Scholasticus & C. Praepositus sancti Johannis*, nec non canon. maioris Ecclesiarum Constant. vices gerentes venerabilis in Christo patris ac domini H. (1) Dei gratia Constantiensis Episcopi in absentia constituti, dilectis in Christo universis & singulis ad quos praesentes pervenerint & specialiter Plebanis seu Viceplebanis in Rische (2), in Zuge (3), in Kama (4), in Arta (5), & in Kussenach (6), seu Decanis salutem in Domino. In causa quam procurator honor. in Christo Abbatisse & Conventus monasterii Abbatie Thuricensis (7) nomine dictorum Abbatisse & Conventus movit coram nobis viro strenuo Epponi de Kussenach (8), militi, super eo, quod idem miles eosdem Abbatissam & Conventum seu officiales eorundem in jure & possessione lacus dicti *der Se an dem Kiemdon* (9) pertinentis dicte Abbatisse & Conventui & ipsorum monasterio jure dominii vt qui eos impedit contra justitiam & perturbat. Lite igitur contestata prestito que hinc inde calumnie sacramento, & productis testibus in causa premissa ac ipsorum attestationibus publicatis, & facta copia earundem partibus hinc & inde omnibusque aliis rite & rationabiliter peractis, que in causarum examinationibus requiruntur, & tandem conclusione in ipsa causa facta termino que praefixo in eadem videlicet proxima feria quarta post Dominicam qua cantatur Laetare (10) continuata per nos usque ad feriam quintam, qua cantatur Judica (11) me Deus post Dominicam, ad ferendum in causa praemissa sententiam deffinitivam invenimus ex parte memoratorum Abbatisse & Conventus sufficienter fore probatum, quod lacus dictus eosdem ipsorumque monasterio iure proprio seu dominii directi dinoscitur pertinere, quodque in possessione infra spatium quadraginta (12) annorum per quondam patrem dicti Epponis & per ipsum Epponem contra juris debitum extiterant destituti. Quapropter his in-

scriptis

ſcriptis ſuper impedimento & perturbatione quod idem miles dictis Abbatiſſe & Conventui praeſtitit in poſſeſſione uſu & iure laci praedicti, ſibi per deſinitivam ſententiam imponimus ſilentium per praeſentes, & prohibemus eidem, ne de caetero ipſis Abbatiſſe & Conventui in poſſeſſione & jure laci praedicti impedimentum praeſtet quodcunque, vel aliquam inferat perturbationem. Mandamus itaque devotioni veſtrae ſub poena ſuſpenſionis ab officio, precipientes firmiter & diſtincte, quoties alius veſtrum quam requiſitus fuerit alium non expectans) praefatum Epponem de Kuſsnach militem diligenter moneatis & inducatis, ut huic noſtrae ſententiae, quam etiam per nos in cancellis veſtris publicari volumus, pareat cum effectu, nec memoratis Abbatiſſae & Conventui in poſſeſſione uſu & jure laci ſupradicti impedimentum aliquod praeſtet, ſeu etiam aliqualem inferat perturbationem. alioquin ipſum Militem quem praeſentibus monitione octo dierum excommunicamus, excommunicatum pronuncietis & tanquam excommunicatum ab omnibus evitandum. Sigillo utimur epiſcopali. Datum Conſtantie anno domini M.CCC. tertio. feria quinta praeſcripta. Indictione prima (13). Reddite Litteram ſub poena praedicta.

Notae.

(1) Henricus Nobilis *de Klingenberg*, Epiſcopus Conſtantienſis ab anno 1293. usque 1306.

(2) *Ryſch*, pagus & parochia in Capitulo rurali *Lucernae* ſive *quatuor Cantonum Silveſtrium*, ad lacum Tuginum, in Cantone Tugienſi, alta hujus pagi jurisdictio pertinet civitati *Zug*, ſed parochiae collatio pendet a primogenito nobilis ſtemmatis *ab Hertenſtein* Lucernae vigentis.

(3) *Zug*, civitas, caput Cantonis ejusdem nominis ad lacum dictum *Zuger-See.*

(4) *Cam* vel *Cham*, antiquitùs *Kahm*, pagus & numeroſa Parochia, necnon Praefectura civitatis *Zug*, ad lacum hujus nominis, unâ diſtantes leucâ a civitate *Zug*, eo in diſtrictu quo flumen *Lorza* a lacu egreditur. Collatio illius plebaniae, & *alta baſſaque* jurisdictio civitati *Zug* pertinent. Saeculo autem IX. Ludovicus, Rex Germaniae, Caroli Magni nepos, curtim *Chama* conceſſerat Abbatiae Turicenſi. Porro autem Plebania *Cam* pars eſt Decanatûs ruralis Capituli *Zug.*

(5) *Art*, ingens pagus ad caput lacus Tugienſis in Suitenſi Cantone, Plebania *Art* jacet in Capitulo rurali *quatuor Silveſtrium Cantonum.*

(6) Ho-

(6) Hodie *Kusnacht*, parochia & ingens pagus in Cantone Suitensi ad radices montis *Rigi*, ad lacum *Lucernensem* vel *quatuor Silvestrium Cantonum*, Plebania illius pagi pars est Capituli ruralis quatuor Cantonum.

(7) Abbatissa Turicensis, Ordinis sancti Benedicti, Principissa Sacri Romani Imperii Germanici, possidebat inter alias possessiones, dominia lacui Tugino adjacentia seu contermina.

(8) Nobiles ab *Kussenach* arcem suam habebant in pago *Kussenacht*, ad lacum Lucernensem.

(9) Antiquitùs *an dem Kiemboum Zuger Sees*, hodie districtus *Kiemen* vel *Chiemen* ad lacum Tugiensem inter *Immensee* & *Rysch*.

(10) Quarta Quadragesimae Dominica propter Missae introitum vocatur *Laetare*.

(11) *Judica me Deus*, est *Introitus Missae* Dominica Passionis in Quadragesimali anni jejunio. Pasca anni 1303. die VII. Aprilis fuit celebrata. Vide *l'Art de verifier les dates* p. 27. ultima editione.

(12) Id est, anno 1262.

(13) Anno 1303. currebat Indictio prima, praesentis autem Cartae epocha incidit feriâ quintâ post Dominicam *Judica* id est anno 1303. die Veneris 29. Martii.

XC.

Electa Abbatissa Elisabetha de Matzingen, a Vicariis Episcopi Constantiensis Gerhardi tamquam rite electa in Abbatissam Monasterii Thuricensis confirmatur. V. Id. Martii MCCCVIII.

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitae Reipublicae Thuricensis, Apographum autem in Historia diplomatica Abbatiae Thuricensis, Frauen-Munster, *Auctore Erhardo* Dursteler, *pag.* 159-161. *MSc. in folio, & Tomo VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *pag.* 189. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Frater Johannes de Reno (1) Prior Conventus aedis Predicatorum domus Columbarensis (2) & Conradus de Landsperg (3) Prepositus Ecclesie Lutenbacensis (4) Basileensis Diocesis Reverendi in Christo Patris ac Domini Gerhardi (5) Dei gratia

gratia & Apostolice Sedis Episcopi Constantiensis in absentia constituti in spiritualibus Vicarii Generales omnibus presentium inspectoribus subscriptorum notitiam cum salute. Vacante Monasterio Thuricensi & carente Abbatissa per mortem felicis recordationis venerabilis Domine Elisabethe de Spiegelberg (6) olim Abbatisse Monasterii ejusdem corpore ipsius sicut decuit reverenter tradito Ecclesiasticae sepulturae moxque convenientibus omnibus & singulis Dominabus de Conventu dicti Monasterii & presentibus que Electioni celebrande debuerunt interesse placuit eisdem de Capitulo seu Conventu dicti Monasterii existentibus ipsi Monasterio de Abbatissa per viam Scrutinii providere. electis itaque de Collegio Dominabus Scrutatricibus fide dignis & per eas secretim ac sigillatim inquisitis primo suis voluntatibus ac deinde singularum Dominarum que dicte electioni inter erant, & in scriptis redactis publicatisque consensibus & votis earumdem ac habita collatione numeri ad numerum debita & consueta inventum est, omnes personas seu Dominas de Collegio dicti Capituli seu Conventus, quibus hac vice competiit Abbatissam ipsius Monasterii eligendi in Dominam providam & circumspectam Elisabetham de Matzingen (7) Monialem seu Conventualem ejusdem Monasterii in Scrutinio consensisse eligendam in Abbatissam Monasterii prelibati exceptis duabus monialibus ejusdem Monasterii hac vice ipsi Electioni supersedentibus se non opponentibus non contradicentibus, & sic una ex dictis Scrutatricibus a dicto Capitulo seu Conventu electis nomine suo & etiam aliarum Dominarum, que vota sua in dictam Elisabetham de Matzingen rite & Canonice elegit in Abbatissam Monasterii memorati. eademque Elisabetha. electioni hujusmodi de se facte consensit, humiliter requisita publicatione ejusdem electionis primitus facta solemniter iuxta exigentiam Juris & consuetudinem approbatam. Petente itaque ipsa Elisabetha electa a Nobis confirmationem huius electionis humiliter & devote Nos quoque examinato ipsius electionis processu ipsis electricibus ac conscientiis earumdem cum diligentia debita examinatis pronunciavimus, & scriptis presentibus pronunciamus eamdem electionem cum eam invenerimus de persona idonea observata forma Canonica celebratam fore. per Nos auctoritate ordinaria confirmandam ipsamque deliberatione prehabita diligenti Jurisperitorum & aliorum hon. Virorum accedente consilio, scriptis presentibus in nomine Domini auctoritate ordinaria confirmamus & ipsam Elisabetham de eadem Abbatia more solito & consueto investivimus & tenore presentium investimus cum solemnitate debita & consueta inducentes eam in possessionem corporalem Abbatie memorate ac dantes ei authoritatem apprendendi eamdem & in-

grediendi plenam bonorum ejus adminiſtrationem & gubernationem Abbatie ante dicte cum poſſeſſionibus omnibus & pertinentiis & juribus quibuscunque ejusdem tam corporalibus quam incorporalibus univerſis. Et in Evidentiam premiſſorum noſtrum ſigillum preſentibus duximus appendendum. Dat. Conſtantie Anno Domini MCCC. octo. V. id. Martii Indict. VI. (8)

Notae.

(1) *Schoepſlinus* in *Alſatia illuſtrata* exhibuit Genealogica fragmenta Equeſtris ſtemmatis *de Reno*, aliàs *de Rhein*, in Alſatia ſuperiori & Sundgovia florentis, & olim Baſileae Civilegio pollentis.

(2) Editi ſunt ab *Urſtiſio* inter Germaniae Hiſtoricos illuſtres T. II. Annales Dominicanorum Colmarienſium in Alſatia ab anno 1211. usque 1303. Olim dicebatur Colmaria, *Columbra*, vel *Columbaria*.

(3) Nobiles de *Landsberg* Alſaticis celebres annalibus.

(4) Hiſtoricum epitome Capituli *Lutenbach* in ſuperiori Alſatia dedit clariſſimus D. *Grandidier* T. I. *Hiſtoire de l'Egliſe de Strasbourg* p. 411-413. & inter illius Prepoſitos celebravit Nobiles de *Horbourg*, de *Landsberg* & ab *Andlau*.

(5) Albertus Argentinenſis agit in Chronico de *Gerhardo de Senar* Epiſcopo Conſtantienſi, qui teſte Tſchudio *Chr. Helvet. Parte I. p.* 234. Gallus, Avenionenſis patriâ, ſucceſſerat Henrico de Klingenberg cujus obitus evenit die 12. Septembris 1306. Gerhardus autem rexit per XII. annos.

(6) Olim Nobiles de *Spiegelberg* in Turgovia & aliis partibus Helvetiae.

(7) Olim Barones de *Mazingen* in Turgovia de quibus *Leu* Hiſt. Helvet. Lexic. T. XII. p. 610-611.

(8) Die XI. Martii 1308. currebat Indictio ſexta.

XCI.

Henrici VII. Romanorum Regis Diploma datum Fryburgi nona Maii 1309. *pro Conventu de Macra Augia, Ordinis Ciſtercienſis, extra muros Fryburgenſes, Lauſannenſis dioceſis.*

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae la Maigrauge, *& Apographum T. IV.* Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 249. *MSc. in folio, Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Henricus

Henricus Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus. Universis Sacri Romani Imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam & omne bonum. Etsi ad quos libet quos Romanae ditionis habet Imperium, Beneficentiae nostrae dexteram debeamus extendere debitricem. illos tamen praerogativa favoris amplectimur & specialiori prosequimur caritatis affectu, qui sub Religionis habitu Regi Regum humiliter militantes pro nobis orationum suarum suffragiis a Divina facilius possunt obtinere clementia quod currentes in labentis seculi stadio vitae permanentis in secula bravium apprehendere mereamur. ad universorum igitur tam praesentium quam futurorum notitiam volumus devenire, quod nos zelo moti pietatis Religiosarum foeminarum Abbatissae & Conventus Sororum de Macra Augia Ordinis Cisterciensis extra muros Fryburgenses Lausanensis Diocesis residentes sanctitatis fragantiam ac vitae Regularis ac Religionis celebris observantiam de Benignitatis Regiae benevolentia largiflua clementer & favorabiliter intuentes, ipsis per quas animarum salus & cultus Divini Nominis augmentatur ob animarum Nostrae & Progenitorum Nostrorum remedium & salutem dictum locum, in quo se ad famulandum Altissimo receperunt, ac omnes possessiones earum & bona cum agris, pratis, pascuis, fluviis, nemoribus & molendinis, aquis, aquarum decursibus quae in praesentiarum rationabiliter possident, sive Donationis sive Emptionis titulo, aut quocunque alio modo pervenerint ad easdem, ac imposterum justis modis poterunt adipisci ad instar Divae Recordationis Rudolphi (1) Romanorum Regis Antecessoris nostri de Benignitate Regia & auctoritate Regalis Culminis presenti scripti patrocinio confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel eidem ausu temerario contra venire, quod qui attentare praesumserit, gravem nostrae indignationis offensam se noverit incursurum. jn quorum testimonium & perpetui roboris firmamentum presens scriptum conscribi exinde, & Majestatis nostrae sigillo jussimus communiri. Datum Fryburgi (2) Nona Maii Anno Domini MCCCIX. Regni vero nostri Anno primo (3).

Notae.

(1) Vide sub anno 1284. Rudolfi I. Regis Romanorum diploma pro Conventu *de Mageroia.*

(2) Friburg in Helvetia.

(3) Henricus VII., e domo Luxenburgica, fuerat electus Rex Romanorum die 15. Novembris 1308.

XCII.

Diploma Henrici VII. Regis Romanorum datum Conſtantiae die 21. Maii 1309. pro Abbatiſſa & Conventu in Feldbach, Ciſtertienſis Ordinis.

Autographum pergamenum in Scriniis Abbatiae Feldbach, Apographum autem legitur T. VIII. Monumentorum Helvetico-Tugienſium *p.* 407. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

H*enricus Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus* univerſis advocatis, ſcultetis, miniſtris, & officialibus ſuis, & jmperii, praeſentes litteras inſpecturis gratiam ſuam, & omne bonum. Etſi cunctis noſtro Dominio ſubjectis, ac devotis jmperio ad gratiarum munera teneamur, eorum tamen commodis, & profectibus ſpecialius & favorabilius delectat intendere, qui ſoeculi praeſentis abjectis delitiis, ſub ordinis obſervantia Deo jugiter militant, & Ejus inſiſtunt laudibus inceſſanter. Devotas igitur, & in Chriſto dilectas perſonas, Abbatiſſam, & Conventum Monaſterii in Feldbach (1), Ordinis Ciſtercienſis, cum hominibus, & poſſeſſionibus, ac bonis ſuis omnibus in noſtram, & jmperii ſuſcepimus ſpecialem protectionem, fidelitati veſtrae tenore praeſentium firmiter injungentes, quonam modo nullum ſibi gravamen, impedimentum, vel diſpendium inferatis, de coetero, vel irrogari ſinatis per aliquem, ſed a turbationibus, & offenſionibus quorumlibet, auctoritate noſtra fideliter praeſervetis, nullumque ab eisdem exactionis, vel ſervitii ſubſidium, a quibus eas exemptas eſſe volumus, requiratis, ut ſub noſtro regimine Conditori omnium devotis animis ſervire valeant libere & quiete praeſentium teſtimonio litterarum. Datum Conſtantiae XII. Calendas Junii Anno Domini M.CCC.IX. Regni vero noſtri primo (2).

Notae.

(1) *Feldbach*, Abbatia monialium, Ordinis Ciſtercienſis, in Turgovia, ad lacum inferiorem Conſtantienſem, prope oppidum Steckboren, in dioceſi Conſtantienſi, anno 1253. fundata, nunc ſubeſt viſitationi Abbatis *Maris Stellae* aliàs *de Wettingen.* Vide *Leu* Hiſtoric. Helvet. Lexicon T. VII. p. 76-77.

(2) Henricus VII. electus Rex Romanorum die 15. Novembris 1308. coronatus Aquisgrani die 6. Januarii 1309.

XCIII.

XCIII.

Carta data 26. Junii 1312. *qua Hainricus Abbas Murensis, Ordinis sancti Benedicti, diocesis Constantiensis, confirmavit fundationem in ipsius monasterio a defuncto suo fratre Rudolfo de Schoenenwert factam.*

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitissimae Reipublicae Thuricensis, & Apographum ex Museo Scheuchzeriano *depromptum legitur T. VII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 253-254. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Vniversis Christi fidelibus presentium inspectoribus. Hainricus (2) Divina permissione Abbas totusque Conventus monasterii in Mure Ordinis sancti Benedicti Constantiensis Dyocesis notitiam subscriptorum. Noverint quos nosse fuerit opportunum, quod cum piae memoriae Rudolfus de Schoenenwert (2) frater carnalis nostri Abbatis predicti laicus nobis & nostro monasterio domum muratam in Golpach, & duo jugera cum dimidio vitium sita prope domum eandem. jtem domum an dem Stertzen & duo jugera vitium ibidem. jtem ob dem Herueg ze Golpach unum juger cum dimidio vitum donasset & tradidisset ob sue & parentum suorum animarum salutem, & ut divinus cultus possessionum opitulamine earundem in nostro monasterio augeatur. Nos tractatu & deliberatione non semel sed multoties inter nos habitis, assensu honor. Dominorum Vicariorum generalium Venerandi in Christo patris ac Domini Gerhardi (3) Dei gratia Constantiensis Episcopi accedente, ordinamus ac statuimus, ut de cetero per sacerdotes nostri Conventus singulis diebus completo matutinali officio sollempnia facere Misse surgente aurora in altari sancti Petri in nostro monasterio pro remedio animarum predictorum & pro salute tam vivorum quam mortuorum dicantur cottidie seu etiam celebrentur. Et ut sacerdotes nostri Conventus celebrationem dicte Misse voluntarie in se sumant, ordinamus & statuimus, ut eidem sacerdotes ad vestiarium seu usum vestimentorum suorum, in quibus defectum aliqualem pati hactenus videbantur, debeant annis singulis recipere redditus de dictis der Müllnerin Gut, decem & octo frusta. jtem de possessionibus dictis Leinner an Merienhalden unum malterum spelte, & unum malterum avene. jtem de curia in Walthusern quatuor modios tritici, quindecim modios siguli (4), duos

duos modios fabarum, duos modios milii & duo maltra avene. jtem de duobus agris & prato dictis Hunoberch quinque quartalia tritici. jtem de area sita in dem Aspe tria quartalia tritici, & tres modios, & duo quartalia avene. jtem de agro Kaltisens, agro in der Sweigmatten, agro uf Birchenstal unum modium tritici. Item de possessionibus in Lutingen comparatis ab Arnoldo dicto Barrer, ad quarum empcionem viginti libre denariorum Zovingensium (5), quas memoratus Rudolfus de Schoenenwert preter possessiones nobis & nostro monasterio ut premissum est per eum collatas nobis legavit, pariter sunt converse, duos modios tritici, & duo maltra avene. Quodque sacerdotes nostri conventus personam de conventu idoneam eligant, que fructus dictarum possessionum colligat, & conservet, ac in festo beati Martini ad vestiarium sacerdotibus conventus distribuat prenotati. Statuimus etiam & ordinamus, ut si quis sacerdotum, qui ad dicte Misse teneretur celebrationem, aliqua die eam negligeret celebrare, is sacerdos poenam sue negligentie, nisi impedimento evidenti & legitimo excusetur, privari debet illo die vino, quod eo die sibi debuerat ministrari, & alius sacerdos id vinum recipere debet qui Missam recuperet sic neglectam. Et hoc fieri debet totiens quotiens fuerit illud actum. Anniversaria quoque quondam Johannis de Schoenenwert militis & Rudolfi filii sui sepe dicti, per nos in nostro debent monasterio annis singulis celebrari, ita quidem ut in die anniversarii ipsius Johannis unum maltrum spelte de antedictis possessionibus an Merienhalden, in esculentis & potulentis conventui ministretur. Sane neminem volumus ignorare, quod cum possessionum hujusmodi redditus, quibus Abbates nostri monasterii hactenus utebantur duntaxat, fore videantur ad usum vestimentorum sacerdotum prelibatam Missam celebrantium, aptiores quam proventus possessionum per dictum Rudolphum de Schoenenwert nobis & nostro monasterio collatarum, possessiones nobis donatas per dictum quondam Rudolphum ad usum Domini Abbatis qui pro tempore fuerit, in recompensam dictarum possessionum ad vestiarium deputatarum ordinamus & statuimus convertendos ac domino Abbati debere perpetuo deservire. Demum ne prescripte ordinationis effectus ullo unquam tempore per nos seu nostros successores, aut per quemquam alium valeat violari, & ut celebrationes tam Misse quam anniversariorum, & omnia supra statuta & ordinata plenius omni tempore observentur, huic pene sponte nos subjcimus, si quando quod absit celebrationem dicte Misse & anniversariorum per nos seu nostros successores omitterentur negligenter, quod trina monitione premissa per honor. viros prepositum seu vices suas gerentem & Capitulum Ecclesiae

lesiae Thuricensis (6), quorum monitionum quelibet unum mensem seu quatuor septimanas contineat, & hujusmodi negligentia per dictas ammonitiones recuperata non fuerit, ex tunc universi redditus & proventus possessionum nobis & nostro monasterio per Ruodolfum dictum de Schoenenwert donatarum, & possessiones eaedem transire & transferri debent sine contradictione qualibet in predictam Ecclesiam Thuricensem, sic quod statim premissis indebite omissis & neglectis, prout praescriptum est, dicti prepositus & Capitulum dictas possessiones apprehendant, & teneant, ac possideant perpetuo pleno jure, nulla nobis in hac parte defensione penitus suffragante. Preterea si Capella in nostro constructa fuerit monasterio, in ejusdem Capelle altari dicta cottidiana debet ex tunc Missa semper in antea celebrari. Et ut omnia & singula suprascripta firma permaneant, & inviolabiliter observentur, per nos nostrosque successores supplicamus honor. Dominis Vicariis generalibus Vener. in Christo Patris ac Domini G. (7) Dei gratia Constantiensis Episcopi predicti, ut in evidentiam assensus sui statutis & ordinationibus predictis prestiti sigillum Episcopale, quo utuntur apponant & appendant huic pagine duplicate, cui & nos nostra sigilla appendimus in evidentiam omnium premissorum. Acta sunt hec in monasterio nostro predicto anno Domini M. CCC. XII. VI. (8) Kal. Jul. Indict. X. Nos & Vicarii generales &c. &c. Datum Constantie Anno Domini M. CCC. XII.

Notae.

(1) *Heinricus* filius Johannis *de Schoenenwert*, militis de quo etiam agit praesens Carta, & frater Rudolfi, donatoris, unus ex praestantissimis Abbatibus monasterii *Muri* in Libera Argovia, Constantiensis Diocesis.

(2) De Nobilibus *de Schoenenwerd* vel *Schoenenwert* agit Clarissimus *Leu*, Hist. Helvet. Lexic. T. XVI. p. 443-444.

(3) Ille *Gerhardus* Episcopus Constantiensis erat Avenionensis in Gallia natus.

(4) Forsan idem atque *secale* vel *siligo*, Gallicè *seigle*, quaedam frumenti species, Germanicè *Roggen*.

(5) Monetae *Zovingensis*, quam Austriaci Principes in oppido Argoviae *Zoffingen* cudi faciebant, ex antiquo hujus oppidi privilegio.

(6) Videlicet *Zurich*.

(7) Nempe *Gerhardi*.

(8) Die 26. Junii. 1312. currebat Indicta *decima*.

XCIV.

XCIV.

Die XXVII. Octobris MCCCXVI. Gerbardus Constantiensis Episcopus per suum Vicarium generalem concessit Capitulo Abbatiae Thuricensis (Zurich) *privilegium ne monasterium detrimentum propter alienationes prediorum Capitulo irrequisito incurrere contingat, ut sibi sigillum proprium in alienationibus, venditionibus utendum &c. faciat.*

Autographum pergamenum in Scriniis Reipublicae Turicensis, Apographum autem in Historia diplomatica Abbatiae Turicensis, Frauen-Munster, *Auctore Erhardo Dursteler, pag.* 192. *MSc. in folio, & T. VIII.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 205, *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Henricus de Werdenberch (1) Vicarius Reverendi in Christo patris & Domini Gerhardi (2) Dei gratia Constantiensis Episcopi generalis omnibus presentium inspecturis subscriptorum notitiam cum salute. Propositum exstitit Nobis ex parte Capituli Monasterii Abbatie Thuricensis quod ipsi in omnibus tractatibus, alienationibus prediorum & possessionum ipsi Monasterio pertinentium hactenus factis & celebratis sigillo duntaxat Abbatisse utebantur & adhuc utuntur, quia ipsum Capitulum sigillum proprium non habuit, nec adhuc habere dinoscitur, propter quod vero similiter timetur, ipsi Capitulo & Monasterio suo predicto gravia pericula propter alienationes rerum dicti Monasterii, que fieri possunt & possent Capitulo irrequisito preter juris ordinem imminere. Ne igitur dictum Monasterium periculum seu detrimentum propter alienationes & venditiones prediorum dicti Monasterii & possessionum que fieri possent Capitulo dicti Monasterii irrequisito, ut est predictum, si sigillo proprio non uteretur, incurrere contingat, Capitulo prelibato concessimus & presentibus concedimus, quod sibi sigillum faciant, & illo utantur sigillo in alienationibus, venditionibus, & ypothecis, si quas alienationes dictum Capitulum una cum Abbatissa Monasterii pretacti propter ipsius Monasterii necessitatem evidentem circa possessiones & predia, sive res Monasterii prelibati facere sive celebrare oporteret, ne dolose ipso Capitulo irrequisito de rebus ipsius Monasterii per quemquam aliquid possit distrahi seu alienari. Volumus tamen ut dicta Domina Abbatissa circa alios tractatus preter alienationes rerum & possessionum dicti Monasterii videlicet in concedendo feuda

&

& in aliis libere sicut antea sine appensione sive appositione sigilli Capituli predicti suo sigillo proprio sicut consueverat, utatur. Datum Constantie sub sigillo Episcopali Anno Dom. MCCCXVI. VI. Kl. nov. Ind. XV. (3)

Notae.

(1) E Comitibus de Werdenberg in Helvetia.

(2) Albertus Argentinensis (*Chronico* p. 121. *T. II. inter Germaniae Historicos illustres apud Urstitium, primaevâ editione*) scribit mortuo Gerhardo Episcopo Constantiensi electos in discordia fuisse Henricum de Klingenberg Praepositum & H. de Werdenberg ambos Canonicos Constantienses, sed utrumque a Curia Romana rejectum. Gerhardus, *teste Tschudio Chron. Helvet. parte prima p.* 285. obierat anno 1318.

(3) Die 27. Octobris 1316. currebat Indictio XV. Porro autem hoc praesens privilegium fuit anno 1335. VI. Idus Octobris Indictione quarta vidimatum & confirmatum a Nicolao Episcopo Constantiensi, ut Erhardus Dursteler affirmat in Historia diplomatica Abbatiae Turicensis pag. 192.

XCV.

Donatio facta die 21. Julii 1318. a Nobilibus de Kriegsteten, Capitulo Solodorensi sancti Ursi, consentiente Domino Hartmanno Comite de Kiburg.

Autographum pergamenum in Scriniis Regalis Capituli sancti Ursi, Solodori in Helvetia: Apographum autem T. I. Miscellaneorum Helveticae Historiae *p.* 195. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Noscant cuncti presentium inspectores vel auditores, quod ego Anna relicta quondam Petri de Kriegsteten (1) armigeri felicis memorie, & nos Petrus, Jacobus, Johannes, Rudolfus fratres uterini de Kriegsteten, nec non ego Elisabet soror eorundem nati ejus Petri & predicte Anne olim conjugum non coacti, non seducti, nec dolo circumventi, sani mente & corpore, matura prehibita deliberatione, de consensu & expressa voluntate illustris Dñi Domini nostri Hartmanni (2) Comitis de Kiburg donavimus, & presentibus liberaliter donamus, donatione inter vivos pro nobis & nostris heredibus universis Beato Urso Martiri patrono, & reverendo Domino Domino Hartmanno (3) Comiti de Nidowe

prepo-

prepoſito eccleſie Solodorenſis, totique Capitulo honorabilium virorum Canonicorum ejusdem eccleſie, nec non ſuis ſucceſſoribus, heinricum de Solodoro in villa Teitingen (4) commorantem, qui proprietatis titulo ad nos pertinere dinoſcebatur una cum ſuis heredibus, cum omni jure, quo ad nos pertinere videbatur ipſum & ſuos heredes univerſos de proprietate, que nobis in eodem competebat. reddentes liberos penitus, & ſolutos. Pro cujus proprietatis exemptione, ſeu etiam libera donatione decem, & ſeptem libras denariorum Solodorenſium integrum nos preſentibus recepiſſe profitemur ab eodem heinrico in pecunia numerata. Promittentes per fidem nomine iuramenti omnes in ſimul ac ſinguli noſtrum ſigillatim contra dictam donationem cum omnibus conditionibus ut ſupra nunquam in perpetuum venire, nec contra venire volentibus quoquomodo conſentire, nec ipſum aut ſuos heredes ratione proprietatis dicte in judicio vel extra ſpirituali ſeu civili per nos, vel per alios maniſeſte ſeu occulte unquam impetere, ſeu aliqualiter impugnare. renuntiantes ex dicta ſententia omni juri & juris beneficio, quod nobis in dicto heinrico, aut ſuis heredibus competebat, aut competere videbatur. Teſtes hujus rei ſunt honorabiles viri, Dn̄s Prepoſitus in Wangen (5) ordinis ſancti Benedicti, Dn̄s U°lricus de Kriegsſteten, Dn̄s Chu°no, Dn̄s Arnoldus de Rormos (6) Canonici eccleſie Solodorenſis, magnificus Dn̄s Dominus Heinricus Comes de Bu°chekka (7), Dn̄s Pantaleon de Gebstraſſe (8) miles. Johannes dictus (9) dives armiger cives Solodorenſes, & plures alii fide digni. in cujus rei robur, & teſtimonium evidens ego Anna relicta anteſcripta, & nos Petrus, Jacobus, Johannes, & Rudolfus predicti fratres, nec non ego Eliſabet ſoror eorundem rogavimus illuſtrem Dn̄um Dominum noſtrum Hartmannum Comitem de Kiburg preſatum, ut ſigillum ſuum (10) proprium pro nobis, & noſtris heredibus univerſis huic ſcripto appenderet. Quod & nos Hartmannus Comes predictus ad petitionem ſecimus predictorum in evidentiam, & teſtimonium firmum omnium premiſſorum. Datum in Burgdorf Anno Domini M°. CCC°. XVIII°. proxima (11) feria poſt feſtum Margarete Virginis.

Notae.

(1) Nobiles *de Kriegſtetten* pagum hujus nominis in Cantone Solodorenſi poſſidebant, qui pagus ſuum dat nomen uni e Praefecturis interioribus ejusdem Cantonis.

(2) Hartmannus de Comes Kiburg, reſidens Burgdorſii (in Cantone Bernenſi). Ejus Vaſſi erant Nobiles *de Kriegſtetten.*

(3) Hart-

(3) Hartmannus Comes *de Nidau*, e prosapia Comitum *Novi Castri* seu *de Neuchatel*, electus fuerat anno 1306. Praepositus Capituli Solodorensis. Obiit autem 1327.

(4) *Teitingen*, pagus & parochia in praefectura *Kriegstetten*, ditione Reipublicae Solodorensis.

(5) Ante mutatam Religionem, existebat in oppidulo *Wangen*, quod uni e Praefecturis Cantonis Bernensis suum dat nomen, Praepositura Benedictinorum, quae pendebat ab Abbatia *Trub*, eodem in Cantone sita.

(6) Nobiles a *Rormoos*, vassi Comitum Kiburgi, suam habebant arcem in pagello *Rormoos*, qui jacet in parochia *Oberburg*, mediâ itineris leucâ extra oppidum *Burgdoff*, hodie in praefectura *Burgdorff* quae Reipublicae Bernensi paret.

(7) Henricus Comes *de Buochekka*, aliàs *Buchegg*, Landgravius in Burgundia, cujus dominia civitati Solodoro adjacebant.

(8) Pantaleo *de Gebenstras*, miles, Thuni natus, fuit Scultetus civitatis Solodorensis ab anno 1327. usque ad suam mortem 1329.

(9) *Dives*, id est Germanicè, *der Riche*, gens hujus nominis plures Scultetos civitatis Solodorensis Saeculis XIII. & XIV. procreavit.

(10) Pendet ovale cerae albae sigillum in cujus medio eminet triangulare scutum quod exhibet duos leones salientes & tramite divisos legitur circa sigillum. ✝ S. . . . . MANI COMITIS : . . . . . RC.

(11) Die 20. Julii celebratur festum sanctae Margaretae Virginis & Martyris.

XCVI.

Carta data in Berno (*hodie* Bernae) *die* 1. *Februarii* 1323. *qua Johannes de Turri Dominus Castellionis in Vallesio se fidejussorem constituit pro summa pecuniae quam Johannes de Wediswile miles debebat tanquam obses Comitis de Sabaudia, Jacobo de Grasburg civi in Berno.*

Autographum pergamenum in Scriniis Liberorum Baronum de Turre-Castellionis-Zur-Lauben, Tugii in Helvetia.

Ego Johannes de Wediswile (1) miles notum facio vniversis quod ego teneor

nomine

nomine obſtagii Domini Comitis (2) de Sabaudia Jacobo de Grasburg (3) ciui in Berno meo hoſpiti in viginti libris bonorum denariorum vſualium in Berno, ſoluendis ſibi vel ſuis heredibus, in feſto paſche (4) proxime aduenturo. Et quod pro eisdem denariis termino predicto integre ut dictum eſt ſoluendis conſtituo me & heredes meos, ac meis precibus Johannem de Turri (5) Dominum Caſtellionis in Valleſio ac ejus heredes quemlibet, unum in ſolidum & in totum, inter manus dicti Jacobi de Grasburg & ſuorum heredum, debitores & fideiuſſores per preſentes & hos in ſolidum iuſtos obſides ſcilicet Ottonem de Giſenſtein (6) rectorem Eccleſie in Liſſon (7). Nycolaum de Blankenburg (8) rectorem Eccleſie in Turnda (9). Berchtoldum de Krouchtal (10) & Johannem filium quondam Jacobi Ringgolt (11) burgenſes in Berno. Quos Johannem de Turri, & obſides predictos & ſuos heredes promitto ego Johannes de Wediswile miles predictus pro me & heredibus meis in hac parte a dampno quolibet releuare me & heredes meos in ſolidum ipſis & ſuis heredibus ad hoc debitores & fideiuſſores firmiter obligando. Et ſi dictorum obſidum ante ſolucionem predictam aliquis deceſſerit, tunc loco illius teneor alium bonum obſidem ſubſtituere infra quindenam, preter dicti Jacobi de Grasburg & ſuorum heredum aut ſui nuncii monicionem. Alioquin reſidui obſides obſtagii ſeruare debebunt usque ad predicti obſidis ſubrogationem. Nos vero prenominati quatuor obſides promittimus bona fide cum preter dictum ſolucionis terminum, a prefato Jacobo de Grasburg vel a ſuis heredibus aut nuncio moniti fuerimus obſtagia in Berno ut eſt mos fideliter obſeruare usque ad plenariam predicte pecunie ſolucionem, ſic tamen quod quilibet noſtrorum dictorum quatuor obſidum ſe & ſuos heredes preter dictum ſolucionis terminum cum quinque libris denariorum dicte monete, & pecunie, quando ſibi placuerit, de dicto obſtagio & debito exonerare poteſt penitus ex cauſa dicta. Ego vero Johannes de Turri predictus fateor me & heredes meos in ſolidum eſſe debitores & fideiuſſores dicti Jacobi de Grasburg & ſuorum heredum pro prehabitis viginti libris denariorum, ut de nobis ſuperius eſt expreſſum. Sub hac forma, quod dicte viginti libre denariorum in illo debito, pro quo ipſius Jacobi fideiuſſor extitero, ex parte dicti Domini Johannis de Wediswile racione dicti obſtagii ſicut in litera ſuper hoc confecta expreſſum eſt ſunt principaliter & ſpecialiter decomputande. Teſtes horum ſunt Rod. Viſcher. Volricus de Guggansberg. Nycolaus de Rotwil & alii. Et in predictorum omnium robur & teſtimonium, Nos Johannes de Wediswile miles. Johannes de Turri & Otto, rector in Liſſon predicti ſigilla (12) noſtra pro nobis, ſcilicet

ſcilicet ego dictus rector in Liſſon meum ſigillum pro me & reſiduis tribus obſidibus, appendimus huic ſcripto. quo ſigillo iam dicti rectoris Eccleſie in Liſſon nos reſiduì predicti tres obſides vtimur in hac parte. Datum in Berno, in vigilia purificationis beate Marie virginis, Anno Domini M°. CCC°. viceſimo tercio.

Notae.

(1) Miles Johannes de *Waediſchweil* erat natus ſtemmate Baronum hujus nominis qui varia ad lacum Turicinum ſeu *Zurich*, & in Cantone Bernenſi poſſidebant dominia, quae inter Baronia *Wedenſchweil*, Dominia *Unſpunnen*, *Unterſeen*, & *Gſteig*, advocatiam Monaſterii *Interlachen*, &c.

(2) Scilicet Amedeus V. cognomento *magnus* qui obiit 16. Octobris 1323. cum eſſet in procinctu auxiliari Andronico *veteri* Imperatori Conſtantinopolitano adverſus Turcas.

(3) *Grasburg*, dives familia Bernae civitatis, nunc extincta, e qua illius Scultetus fuit Jacobus anno 1239; alius Jacobus (forſan idem de quo praeſens Carta), fuit anno 1330. creatus ſenator ejusdem civitatis. Vide *Delicias urbis Bernae*, auctore *Gruner*, p. 36. & 71. Zurich 1732. in 8vo Germanicè.

(4) Anno 1323. Paſca die 23. Martii incidebat.

(5) Johannes Liber Baro de Turre-Caſtellionis in Valleſia, filius Baronis Petri & frater Aimonis Epiſcopi Sedunenſis, Helveticis & Valleſianis celeberrimus annalibus. Gallicè dicebatur *le Baron de la Tour*, *Seigneur de Chatillon en Vallais*, & Germanicè *Freyherr von oder zum Thurn*, *Herr von Geſtelen oder Geſtelenburg in Wallis*. Adeſt apud *Tſchudiani* Chron. Helvetic. T. I. p. 288. Carta Germanica data die Dominicà proxima ante feſtum ſancti Michaelis 1318. in caſtris ante Solodorum (*bi Solotorn uff dem Veld*) qua *Johans von Thurne Herre zu Geſtelen in Wallis* promiſit Leopoldo Duci Auſtriae & illius fratribus ſe illis auxiliaturum fore in illius ſtipendiis contra confoederatos dictos *die Waldſtetten* (*Uri, Schweitz & Underwalden*) cum tribus mille ſuis hominibus, & contra Bernenſes cum decem lanceis & omnibus viribus quas tenebat in Alpibus; tunc temporis Solodorum obſidebat Dux Leopoldus. Ex hac Carta conſtat ſororem praeſati Johannis de Turre fuiſſe uxorem Baronis de *Wiſſenburg* & matrem plurium liberorum.

(6) Nobiles de *Geiſenſtein* vel *Gyſenſtein* ſuam habebant arcem in pago ejusdem nominis, in parochia *Munſingen*, in jurisdictione provinciali (*Landgericht*) de

de *Conolfingen*, ditione Bernae. Civilegio ejusdem civitatis pollebant, & ad Regimen Reipublicae vocati; prosapia haec anno XVI. extincta.

(7) *Lisson*, forsan *Leus* vel *Leins*, aliàs *Lenz* aut *Leus*, parochia in Vallesia, in *Dizeno* de *Sierra* vel *Siders*; haec parochia continet montem *Lenserberg*, ad limites Cantonis Bernensis.

(8) Nobiles de *Blankenburg* arcem ejusdem nominis possidebant in valle superiori *Sibenthal*, uno quadrante leucae a pago *Zweysimmen*. Miles Antonius de *Blankenburg*, civis Bernae, viriliter oppidum *Laupen* anno 1339. contra confoederatos Nobiles defendebat.

(9) *Turnda*, hodie *Thurnen*, Parochia & pagus in jurisdictione provinciali (*Landgericht*) de *Seftigen*, in ditione Bernae civitatis. Anno 1343. Nobiles de *Blankenburg* Monasterio *Interlacensi* collationem Ecclesiae *Thurnen* contulerunt.

(10) Nobiles de *Krauchthal*, fastis Regiminis Bernensis illustres.

(11) *Ringolt*, patricia Bernensis Reipublicae familia; Ulricus & Jacobus *Ringold* erant anno 1294. Assessores summi *Consilii*, & anno 1391. Sigefridus, minoris *Senatus*. (Vide *Leu* Hist. Helvet. Lexicon T. XV. p. 294.)

(12) Praesens Carta tribus viridis cerae sigillis, pergamenis adhaerentibus ligaminibus, munita est, quorum primum, ovale, exhibet antiquum scutum cum orbiculo fibulâ instructo & globulis ornato. Eadem insignia adsunt apud *Stumpfium* in Chronico Helvetiae, & in *Nobiliario* (*Wappenbuch*) Imperii Germanici Auctore Johanne *Sibenmacher*. Adhuc circa sigillum leguntur haec verba: . . . . WEDISW . . . . MIL . .

Secundum sigillum, etiam ovale, exhibet Turrem pinnis distinctam cum praetenso muro; scutum implexis circumdatum funiculis, cum hac Inscriptione:

S. I. D. TVRRE D. CASTELLIO. I. VAL.

Haec insignia eadem erant atque Baronum de *Turre-Pini* (*de la Tour du Pin*) in Delphinatu Galliae, (*en Dauphiné*) e quibus procreati Barones *de la Tour-Chatillon en Vallais*, uti observavit Eruditissimus *Guichenon* in sua Historia diplomatica *de Bresse* & *de Bugey*.

Tertium sigillum, formae oblongae, offert effigiem sancti Johannis Baptistae, cujus caput circulo ornatum, quique inter suas manus portat agnum. Legitur circa sigillum: S. O. RECTORIS ECCLES. I. LISSON

XCVII.

XCVII.

Nobiles de Ruda fundant die 17. Octobris 1331. praebendam sanctae Catharinae in Parochiali Ecclesia Sins, *Constantiensis Diocesis, in Helvetia.*

Autographum pergamenum in Archivo Abbatiae Engelberg, *Ordinis sancti Benedicti, in Helvetia, & Apographum T. V.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium, *p. 222. MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Noscant quos nosse fuerit opportunum, quod Ego Ulricus de Ruda (1) Rector Ecclesiae in Sinse (2) de voluntate & consensu domini Hartmanni militis de Baldegge (3), nec non Hartmanni & Marquardi filiorum quondam domini Hartmanni de Baldegge militis patronorum ipsius Ecclesiae, parochianorumque omnium ibidem ob augmentum divini cultus, & salutem animarum domini Hartmanni quondam de Ruda militis & Annae parentum meorum, meae quoque & fratrum meorum constitui & ordinavi praebendam sacerdotalem in ecclesia praenotata, per dictos patronos & eorum successores, viro discreto & actu sacerdoti perpetuo conferendam, qui continuam ibidem residentiam faciat, nullum aliud beneficium, vel vicariam habeat. Omni quarta feria in Capella villae Owa (4), predictae subjecta Ecclesiae de sancto Nicolao, vel alias competentem Missam celebret, die vero lunae pro dictis animabus, aliisque fidelibus officium faciat defunctorum, dicti patris mei in eo memoriam faciens specialem. Sexta vero feria in ipsa ecclesia celebret Missam pro tempore competentem. Vices Rectoris, vel ejus vicarii cum in negociis Ecclesiae, vel ipsius Rectoris, vel vacationis ad synodum, aut fraternitatem aut alias rationabiliter ad tempus absfuerit, exequendo. Nullam in his omnibus portionem oblationum sibi factarum, aut ex confessionibus sibi a sacerdote commissis, aut quibuscumque obventionibus aliis, praeter secunda remedia, penitus accepturus. Verum quia secundum Apostolum altari serviens debet vivere de altari, dignumque est, carnalia metere, spiritualia seminantem, pro sustentatione sacerdotis ejusdem ego Ulricus fratresque mei praedicti, in recompensam, maxime fructuum ipsius Ecclesiae a dicto patre meo, quocumque titulo perceptorum juxta mandatum ab eo nobis injunctum de bonis nobis ab ipso relictis trium marcharum redditus in possessionibus libere deputavimus infrascriptis. In Bottenwilen (5) areas cum pratis reddentes quatuor

tuor frusta. In Wile (6) bonum tria frusta & dimidium reddens. In Eichiberg (7) bonum reddens duo frusta. In Bentzischwyler (8) bona octo frusta cum dimidio reddentia. In Tüetwyle (9) bona undecim frusta reddentia. In Rötistorff (10) bonum tria quartalia tritici reddens. Ego verò praedictus Ulricus vice & nomine ipsius Ecclesiae de proventibus ab olim rectori ipsius Ecclesiae pertinentibus, tres libras monetae communis in usus ipsius praebendarii deputavi eidem, & suis successoribus de oblationibus per vicarium, vel rectorem, qui pro tempore fuerit, assignandas, me & meos successores ad hoc praesentibus obligando. Praeterea certo & expresso consensu dictorum parochianorum officium sacristae eidem praebendae cum universis suis hactenus consuetis pertinentiis, & obventionibus est adjectum, ut sacerdos, qui pro tempore fuerit in eadem, dictum officium cum omnibus hactenus consuetis servitiis, operis, & omnibus fideliter exequatur. In qua executione, si evidenter negligens inventus fuerit, aut remissus, & ab honestioribus sine invidia, & fraude agentibus benignè admonitus se non correxerit infra mensem, dictum officium cum suis pertinentiis ad dictos parochianos redeat eorum arbitrio disponendum. Haec igitur Praebenda si a dictis patronis ullo unquam tempore collata fuerit alicui personae non in sacerdotio constitutae, ipsa collatio nullius penitus sit momenti. Et nisi infra tres menses a die vacationis numerandos sacerdos idoneus per patronos ad eandem fuerit praesentatus, ipsa collatio ad Constantiensem Episcopum loci Dioecesis, illa duntaxat vice, plenarie devolvatur, qui eam tantum sacerdoti sub modis & conditionibus conferat suprascriptis. In praedictorum igitur testimonium Nos Hartmannus miles & Hartmannus Canonicus Ecclesiae (11) Beronensis de Ruda fratres, sigilla (12) nostra duximus praesentibus apponenda. Nos quoque Joannes Canonicus Ecclesiae Beronensis, & Albertus de Baldegge fratres, dictam ordinationem de consensu nostro, & voluntate factam esse fatemur, in robur, & evidentiam omnium praedictorum sigilla (13) nostra praesentibus apponenda. Nos & Universitas dictorum subditorum praedictis omnibus & specialiter ordinationi sacristae consentimus expressè sigillum honorabilis viri Domini Marquardi militis de Reussegge (14) nostri comparochiani super hoc obtinentes. Et ego Marquardus ad ipsorum petitionem pro me, & ipsis sigillum meum (15) apposui pro evidentia praemissorum. Datum & actum in praedicta Ecclesia Sins anno Domini millesimo tricentesimo, tricesimo primo XVI. Kalend. Novembris, Indictione (16) XIV.

Notae.

Notae.

(1) *Rud*, pagus, parochia & arx, in comitatu *Lenzburg* qui Bernensi paret Reipublicae, ad limites Cantonis Lucernani. Nobiles *von Rud* fuerant olim Domini hujus pagi, extincti sunt circa finem Saeculi XIV. Dominium illud cum arce nunc pertinet perillustri familiae *May*, quae inter patricias Bernensis civitatis gentes splendet. Vide de Nobilibus *von Rud* Historicum Helvetiae Lexicon, auctore Clarissimo *Leu*, T. XV. p. 502-503.

(2) Hodie *Sins* & vulgariter *Seys*, pagus & parochia ad laevum latus fluminis *Rusae*, inter Ruti & Merischwanden, in praefectura *superioris liberae Argoviae, in denen obern Freyen Aemtern.* Haec parochia, adhuc numerosa, & cujus collatio nunc pertinet Abbatiae *Engelberg* ab anno 1421, olim continebat pagos *Auw* & *Appel* quorum primus anno 1641. & alter 1718. ab ea separati & quisque *Parochiae* titulo decoratus. Jurisdictio autem minor seu *bassa* pagi *Sins* cum villa *Reusegg* quae ex eadem pendet parochia & in qua cernuntur nobilia rudera arcis *Reusegg*, sedis Baronum illius nominis, pertinet ab anno 1495. Reipublicae Lucernensi. Vide *Leu* ibidem T. XVII. p. 186.

(3) Arx & pagus *Baldegg* vel *Baldeck* in praefectura *Rotenburg*, ditione autem Lucernensis Cantonis, ad laculum ejusdem nominis, olim pertinebant Nobilibus de *Baldegg*, qui Habsburgicae domus documentis & Helveticis Annalibus celeberrimi sunt. Varia dominia possidebant. Vide de illis *Leu* ibidem T. II. p. 53-55.

(4) Hodie *Auw*, latinè *Augia*, pagus & parochia in superiori libera Argovia quae octo primis veteribus Cantonibus paret; haec parochia, cujus collatio Abbatiae *Engelberg* pertinet, olim pendebat ab Ecclesia *Sins*; continet inter alios districtus, *Rustenschweil*, *Eich-mulli*, &c. Vide *Leu* ibidem T. I p. 401.

(5) *Botterweil*, pagus in parochia *Uerken*, Comitatu *Lenzburg* & ditione Reipublicae Bernensis. Vide *Leu* ibidem T. IV. p. 235.

(6) Dantur in superiori & inferiori Libera Argovia plures pagi & pagelli nomine *Wyl*, *Nider-Wyl*.

(7) *Eichiberg*, hodie *Eichberg*.

(8) *Bentzischweiler*, latinè *Benzonisvilla*, hodie *Benziswyl* vel Benzischwyl, in Libera Argovia superiori.

(9) Hodie *Dietweil*, pagus & parochia ad *Rusam* fluvium, in superiori Libera Argovia. Hujus Ecclesiae collatio pertinet Commendatori domus Melitensis in *Hohen-Rain*.

(10) *Rötistorf*, forsan pagus *Rud*, Germanicè *das Dorf Rud* de quo prima Nota.

(11) *Berona*, Germanicè *Munster*, nobilis & ditissima Praepositura in Cantone Lucernensi a Comitibus de *Lenzburg* Saeculo IX. fundata.

(12) Insignia Nobilium *von Rud* in Argovia, *Stumpfius* dedit *Chron. Helvet.* lib. VII. cap. XXXVII. p. 244. *primae editionis*.

(13) *Stumpfius* ibidem lib. VII. cap. XXXVII. p. 242. retulit insignia Nobilium *de Baldegk* in Argovia.

(14) Barones de *Reussegg* vel *Russegg* veterrimis Helvetiae documentis celebrati, & quarum arx nunc in ruinis jacet, sita ad laevum latus fluminis *Rusae*, in parochia *Sins* & Libera Argovia superiori. Vide de illis *Leu* ibidem T. XV. pag. 174-176. suam sepulturam habebant cum Nobilibus de *Baldegg* in Abbatia *Cappel*, Ordinis Cisterciensis.

(15) Insignia Baronum *de Russegk*, apud *Stumpfium* ibidem lib. VI. cap. XXXII. p. 184.

(16) Indictio XIV. currebat anno 1331. die 17. Octobris quo haec fuit data Carta.

XCVIII.

Statutum novum Ludovici de Strasberg Praepositi & Capituli Solodorensis die 30. Januarii M.CCC.XXXVIII.

Autographum pergamenum signatum A. 13. *in Scriniis Regalis Capituli sancti Ursi Solodori in Helvetia: Apographum autem T. I.* Miscellaneorum Helveticae Historiae *p.* 203. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Nos Ludovicus de (1) Strasberg prepositus totumque Capitulum Ecclesiae Solodorensis Lausannensis Diocesis ad univerforum noticiam cupimus pervenire quod licet numerus Canonicorum seu praebendarum in Ecclesia nostra Solodorensi, nunc sicut olim, olimque sicut nunc similis sit proportionaliter & equalis, tamen propter Chori Solodorensis honorem, & Divini Cultus uberiorem nunc elapsis temporibus copiam, Canonici Solodorensis Ecclesie nec plus quam unquam fecerint (2), residentiam faciant personalem. Gaudemus enim de hujusmodi

modi multiplicatione Dominum glorificantes, licet ex hoc prebende nostre singule facte sint nimis tenues & exiles, sicque quibus alie facultates non suppetunt, ex eis non possunt commode sustentari vel secundum cursum hujus mundi vivere & hospitalitatem tenere prout hactenus Solodorenses Canonici honorifice facere consueverunt, quodque populus Solodorensis tam propter guerrarum turbines quam ignis voraginem adeo sic depauperatus quod Elemosinarum suarum largicio tantam non potest inopiam sublevare. Hinc est, quod nos eundem defectum nostrum saepe & saepius in Capitulo nostro volventes tractavimus. quomodo. & qualiter a laqueis paupertatis hujusmodi effugere possemus. & quia non licet ut bona alicujus capiamus preter ipsius voluntatem, necesse est ut de nostris & Ecclesie nostre propriis perpetuis dicte Ecclesie honorem & successorum nostrorum voluntatem successive nobismet in tempore succurramus. propterea cum in dicta Solodorensi Ecclesia a longe retroactis temporibus statutum juramento vallatum & confirmatum tum per loci ordinarium (3) servatum sit quod singulis Canonicis decedentibus annus gratie post mortem serviat prout in antiquo statuto exprimitur evidenter. illi statuto non intendimus in aliquo derogare, sed ipso in suo robore permansuro, unanimiter & concorditer bona deliberatione prehibita statuimus, ut quicunque de cetero in possessionem prebende admitteretur, presens juret vel Capitulum testificet, quod post annum gracie predictum universos fructus prebende sue anni secundi pariter distributiones presentiarum Capitulo seu Ecclesie Solodorensi libere dimittat, ipsumque Capitulum ipsos fructus recipiat & colligat & ex ipsis redditibus emat ipsi Ecclesie in augmentum aliquod hujusmodi prebendarum. Nos igitur prepositus & Capitulum ante dicti promittimus pro nobis & successoribus nostris, hoc statutum predictum in perpetuum ratum habere & firmum, & omnibus huic statuto se opponentibus vel obviare valentibus, viriliter resistere pro nostrarum virium facultate. in cujus rei robur evidens & testimonium sigilla (4) nostra tam prepositi quam Capituli Ecclesie Solodorensis predicte presentibus sunt appensa. Datum Solodori & actum in Capitulo nostro celebrato III. Kalend. Februarii (5) Anno Domini M°. CCC°. XXXVIII°.

Notae.

(1) Ludovicus *Comes de Strasberg*, e minori linea Comitum *Novi Castri* seu *Neuchâtel*, qui obiit 1343. *Sabbato proximo post festum Beati Andreae Apostoli* ut docet Carta 1344. T. II. *Tableaux topographiques de la Suisse, inter probationes* N°. XXXIV. Parisiis 1781. in 4to.

(2) For-

(2) Forsan legendum *fuerint.*

(3) Scilicet *Episcopum Lausannensem.*

(4) Primum sigillum superest, alterum autem deest. Primum ovale cerae albae offert militem loricatum cujus caput est avulsum, portat dextera vexillum & sinistra clypeum cruce signatum ad cujus pedes ad dexteram procumbit Canonicus capucio indutus. Circa illud sigillum adhuc legitur: . . . . . TI ECCLES. SOLO.. id est PREPOSITI ECCLESIE SOLODORENSIS, cujus patroni *sancti Ursi* Martyris effigies cum Praepositi Ludovici Comitis de Strasberg supplicis imagine hîc datur.

(5) Id est, 30. Januarii.

XCIX.

Henricus Episcopus Constantiensis litteris datis in castro suo Gottlieben die 16. Novembris 1363. confirmavit venditionem juris patronatus Ecclesiae in Nuheim, **(Cantone Tugiensi),** ***ab Abbate*** **Einsidlen** ***factam Abbati*** **de Capella,** ***Cisterciensis Ordinis.***

Autographum pergamenum in Scriniis Ecclesiae Parochialis in Nuheim, *Cantone Tugiensi, & Apographum T. V.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 229. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Heinricus (1) Dei gratia Episcopus Constantiensis omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris ad quos presens scriptum pervenerit salutem in Domino & subscripte notitiam veritatis. Ex parte dilectorum in Christo honorabilium & religiosorum virorum Nicolai (2) eadem gratia Abbatis & totius Capituli seu Conventus Monasterii loci Heremitarum in nostra diocesi constituti Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus contractum venditionis ac abalienationis juris patronatus Ecclesie ipsarum in Nuhem (3) dicte nostre diocesis, cum omnibus suis bonis decimis majoribus & minutis ac juribus & pertinentiis universis eorundem, communi consensu omnium quorum intererat & voluntate initum & consumatum inter ipsos ex una & dilectos in Christo & religiosos viros Johannem divina permissione Abbatem & Conventum Monasterii in Capella (4) nostre diocesis sepe dicte parte ex altera approbare & confirmare ex certa scientia, auctoritate

ritate

ritate nostra ordinaria dignaremur, quorum petitioni rationabili & iuste favorabiliter annuentes cum predictum contractum rite & legitime & ex causis necessariis invenissemus utique celebratum, cum etiam bona spiritualia religiosarum personarum in alias religiosas transferre personas sit rationi consentaneum & juri proprium, contractum sepe dictum approbavimus & presentis scripti auctoritate approbamus & perpetuo confirmamus cum omnibus suis articulis & clausulis universis, in predicti contractus instrumento, positis & tactis ac examinatis sufficienter a nobis, cujus quidem principium est tale. Nicolaus Dei gratia Abbas totumque Capitulum seu totus Conventus Monasterii Loci Heremitarum, Ordinis sancti Benedicti Constantiensis diocesis universis & singulis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presentium inspectoribus seu auditoribus quorum interest vel interesse poterit, quemlibet in futurum notificare cupimus presentium pro tenore quod nos matura & provida deliberatione in nostro capitulo prehabita communi quoque & unanimi omnium & singulorum quorum de jure intererat, voluntate assensu & consensu universo accedente servatis & adhibitis sollempnitatibus juris legis & facti in genere & in specie que in subscripto contractu interponi ex aliqua causa rationabili consueverunt certis etiam rationabilibus causis nos ad infrascriptum contractum moventibus plenarie consideratis & perspectis videlicet magis expedire partem bonorum nostrorum ac monasterii nostri necessitate relevanda vendere & alienare, quam quod per accrescentiam dampnorum apud nostros creditores continuam dictum contingeret nostrum monasterium penitus interire bona nostra ac monasterii nostri subscripta vendimus & tradimus ac vendidisse & tradidisse nomine nostro & monasterii nostri ac omnium successorum nostrorum in dicto monasterio presentibus publice confitemur honorabilibus dominis viris Religiosis domino Johanni divina permissione Abbati totique Conventui monasterii in Capella Ordinis Cistertiensis dicte Constantiensis diocesis, omnibusque ipsorum in dicto monasterio successoribus ac monasterio ipsorum pro quingentis florenis & viginti florenis puri auri sufficientis ponderis & legalis, quos quidem quingentos & viginti florenos bonos in numerata & parata pecunia ab ipsis integraliter nos recepisse & in usus nostros ac monasterii nostri necessarios convertisse . . . . presentibus etiam profitemur. Ista autem sunt bona & certa. . finis vero predicti instrumenti est talis in quorum omnium & singulorum predictorum evidens testimonium atque firmum Nos Nicolaus Dei gratia Abbas totumque Capitulum seu totus Conventus monasterii loci Heremitarum predicti nomine meo & om-

nium in noſtro monaſterio ſucceſſorum & monaſterii noſtri preſens inſtrumentum tradimus honorabilibus dominis & religioſis viris domino Johanni divina permiſſione Abbati totique Conventui monaſterii in Cappella predictis & ſucceſſoribus eorum ac monaſterio ipſorum appenſione ſigillorum noſtre Abbatiae ac Capituli ſeu Conventus noſtri monaſterii predicti firmiter roboratum. Datum & actum in caſtro noſtro Pfeffikon (5) anno ab incarnatione Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio in vigilia (6) beati Mathei Apoſtoli & Evangeliſte indictione prima (7). In cujus itaque approbationis & confirmationis evidentiam & inviolabile munimentum ſigillum (8) noſtrum huic apponi fecimus inſtrumento. Datum in caſtro noſtro Gotluben (9). Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio XVI. KL. (10) Decembr. indictione prima.

Notae.

(1) Henricus ex Baronibus *a Brandis* electus Abbas Heremitarum ſeu *Einſidlen* ſub finem anni 1348. & Epiſcopus Conſtantienſis anno 1357. Epiſcopatum rexit ſingulari cum laude annos viginti quinque. Deceſſit anno 1383. *Klingnovii* Epiſcopali oppido, in feſto ſanctae Caeciliae, id eſt 22. Novembris.

(2) Nicolaus ex Baronibus a *Guottenburg* electus Abbas Heremitarum anno 1358, Henrico *a Brandis* praedeceſſore ad Epiſcopalem ſedem Conſtantiae evecto, rexit usque ad ſuam mortem, quarto Idus Martii 1365. cui ſucceſſit Marquardus ex Baronibus a *Grunenberg*. Vide Annales *Heremi Deiparae Matris monaſterii in Helvetia*, auctore Chriſtophoro *Hartmanno* p. 343-349. Friburgi Brisgoviae 1612. in fol. cum fig.

(3) Hodie *Nuheim*, parochia & pagus in communitate *Menzingen*, in Cantone Tugienſi ſeu *Zug*.

(4) *Cappel*, olim Abbatia Ciſtertienſis Ordinis, nunc Praefectura civitatis Thuricenſis ad limites Cantonis Tugienſis.

(5) Hodie *Pfaeſiken*, pagus in parochia *Freyenbach* & Cantone *Suitenſi* ad lacum Thuricinum vel *Zurich-See*, ubi & arx in qua reſidet nomine Abbatis Heremitarum Capitularis vices-gerens qui illic & in caeteris proximis ab Abbatia *Einſidlenſi* dependentibus locis *baſſam*, ut ajunt, exercet jurisdictionem.

(6) Id eſt, die XX. Septembris.

(7) Indictio prima anno 1363. currebat.

(8) Si-

(8) Sigillum deest, sed videtur locus.

(9) Hodie *Gottlieben*, arx & elegans oppidulum unâ parvâ distat leucâ infra urbem Constantiam ad laevum latus Rheni, ubi inferiorem influit lacum, pertinet Episcopo Constantiensi in *Landgraviatu Turgoviae* sub suprema jurisdictione octo veterum Helvetiae Cantonum.

(10) Scilicet die XVI. Novembris.

C.

Carta data die 12. Augusti 1377. qua Anna de Nydowa relicta Hartmanni Comitis de Kyburg, Landgravii Burgundiae, & suus filius Rodulphus Comes de Kyburg receperunt ter mille florenos a Communitate de Friburgo in Ochtlandia.

Autographum pergamenum in Scriniis Reipublicae Friburgensis; Apographum autem legitur T. VII. Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 200. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

Nos Anna de Nydowa (1) Relicta felicis recordationis domini Hartmanni (2) Comitis de Kyburg, Landgravy Burgundiae, ac Rodulphus nunc Comes de Kyburg, Landgravius Burgundiae, dictorum conjugum filius. Notum facimus universis, quod Nos habuimus & recepimus à Viris Nobilibus, sapientibus & discretis, advocato, Consulibus & Communitate de Friburgo (3), per manus viri discreti domini Johannis Spiegler, Rectoris Ecclesiae Parrochialis, in Munsigen (4) Diocesis Constantiensis, ter mille florenos, quos Nobis, ex mera dilectione accommodaverunt qua re super receptione dictorum ter millium florenorum nos plenariè contentamus. In cujus rei testimonium, Nos Anna & Rodulphus, Ejus filius, praedicti sigilla (5) nostra propria duximus praesentibus litteris apponenda. Datum die mercurii (6) post festum beati Laurentii Martyris. Anno Domini millesimo ccc septuagesimo septimo — —

Notae.

(1) Soror Rudolphi Comitis *de Nidau*, e stemmate Comitum *Novi Castri* aliàs *de Neuchâtel*, in Helvetia Burgundica.

(2) *Hart-*

(2) *Hartmannus* filius Eberhardi, & Berchtae Comitissae de *Buchek*. Vide Rustenum *Heer* San-Blasianum in Anonymo Murensi denudato & ad locum, suum restituto, p. 362-363. Friburgi Brisgoviae 1755. in 4to.

(3) Scilicet *in Ochtlandia*, aliàs in Helvetia Burgundica.

(4) *Munsigen*, hodie *Munsingen*, ingens pagus & parochia prope flumen *Aram*, viâ Bernâ Thunum tendente, ferè in medio provincialis jurisdictionis *Conolfingen*, ditione Reipublicae Bernensis. Vide *Leu*, Hist. Helvetiae Lexicon T. XIII. pag. 395-396.

(5) Superest hujus Cartae rotundum parvum sigillum in quo tria scuta apparent, primum superius Comitum de Kiburg, *duo Leones ascendentes, tramite divisi*, & sub hoc scuto cubant alia duo scuta, primum ad dexteram, *Comitum de Neuchâtel*, & alterum ad sinistram, insigne domus *de Chalon*, e qua jura tenebat Comes Kiburgi in Haereditatem veterum Comitum Burgundiae. Circa sigillum legitur: HARTMAN. DE KYBVRG. erat illud Hartmanni Comitis de Kiburg cujus vidua Anna de Nidau, mater Comitis Rodulphi.

(6) Anno 1377. celebrabatur die Lunae 10. Augusti festum sancti Laurentii. Idcirco praesens Carta, data die mercurii post illud festum, scilicet die mercurii duodecima ejusdem mensis. Vide *l'Art de verifier les dates.*

CI.

Mandatum expeditum Thuregi (Zurich) *die sexta Februarii* 1387 *quo* Hainricus Thesaurarius Ecclesie Sanctorum Felicis & Regule Thuricensis, Constanciensis Diocesis, *executioni dedit bullam Urbani sexti datam* Janue (Genes) *die XV. Novembris* 1386. *& absolvit Thuricenses & eorum confoederatos* Zug, *&c. ab omnibus excessibus quos commiserant adversus adhaerentes Antipapae Clementi septimo.*

Autographum pergamenum in Scriniis Decanatus & Plebaniae civitatis Zug; *& Apographum T. I.* Monumentorum Helvetico-Tugiensium *p.* 196-197. *MSc. in fol. Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

HAIN-

HAINRICUS thesaurarius ecclesie Sanctorum Felicis & Regule Thuricensis Constantiensis Diocesis executor ad infra scripta a Sede Apostolica specialiter deputatus omnibus presencium inspectoribus & specialiter rectoribus siue plebanis ecclesiarum in Zug (1) in Barr in Kam & in Egre dicte diocesis subscriptorum noticiam cum salute. Noveritis noverintque universi & singuli quos nosse fuerit oportunum nos literas sanctissimi in Christo patris ac Domini nostri Domini Urbani (2) divina providencia Pape sexti cum vera bulla plumbea more romane curie bullatas sanas integras & illesas omnique prorsus vicio & suspicione carentes nobis pro parte providorum virorum Ministri Consulum & Universitatis opidi in Zug & villarum in Barr in Egre & in Kam dicte diocesis eorumque colligatorum & adherencium exhibitas & presentatas cum ea qua decuit reverencia recepisse quarum tenor sequitur in hec verba. VRBANUS Episcopus servus servorum Dei. dilecto filio .... thesaurario ecclesie Sanctorum Felicis & Regule Thuricensis Constanciensis diocesis Salutem & Apostolicam benedictionem. Sedes Apostolica pia mater recurrentibus ad eam cum humilitate filiis post excessus libenter se propiciam exhibet & benignam. Sane peticio pro parte Magistri civium Consulum & Universitatis opidi Thuricensis Constantiensis diocesis eorumque colligatorum & adherencium eisdem nobis nuper exhibita continebat quemadmodum dictum opidum & terre Magistri civium Consulum & Colligatorum predictorum in confinibus nonnullorum principum comitum & nobilium perdicionis alumno Roberto (3) olim basilice duodecim Apostolorum presbitero cardinali nunc antipape qui se Clementem septimum ausu sacrilego nominare presumit adherencium sita existunt ipsi que ab eisdem dicto Roberto antipape adherentibus multas injurias & hostiles incursus sepius ut asseritur passi fuerunt & paciuntur propter quod ipsi Magister civium Consules Universitas & Colligati ac adherentes quandoque ad hujusmodi injurias propulsandas cum exercitu valido procedentes ecclesias monasteria & alia sancta loca concremarunt & bonis repertis ibidem spoliarunt homicidia eciam in personas ecclesiasticas & seculares commiserunt ipsasque personas ecclesiasticas mutilarunt. quare pro parte dictorum magistri civium Consulum Universitatis & Colligatorum ac adherencium nobis fuit humiliter supplicatum ut providere eis in premissis de opportune absolucionis beneficio de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes ipsorum Magistri civium Consulum Universitatis & Colligatorum ac adherencium animarum providere saluti hujusmodi supplicationibus inclinati absolvendi hac vice de com-

missis

miſſis duntaxat prefatos Magiſtrum civium Conſules Univerſitatem & Colligatos ac adherentes eorum ab hujusmodi ſacrilegii reatu & ab excommunicatione & aliis ſentenciis & penis quas propter premiſſa incurrerunt dummodo eccleſiis & monaſteriis ac aliis piis locis de bonis per eos ablatis quam primum tute & commode poterint ſatisfecerint competenter injunctis per te ipſis Magiſtro civium Conſulibus Univerſitati & Colligatis ac adherentibus pro modo culpe penitencia ſalutari & aliis que de more fiunt injungenda . . diſcretioni tue tenore preſencium concedimus facultatem . . Datum Janue XVII. Kalend. decembris Pontificatus noſtri anno nono (4). POSTQUAM earundem literarum Apoſtolicarum preſentacionem & receptionem pro parte predictorum Miniſtri Conſulum & Univerſitatis ipſorum colligatorum & adherencium Nobis fuit humiliter ſupplicatum ut iuxta literarum Apoſtolicarum formam & tenorem eisdem de oportune abſolucionis beneficio providere & ad execucionem contentorum in eisdem procedere dignaremur . . Nos igitur Heinricus theſaurarius & executor prefatus viſis & perlectis preſcriptis literis Apoſtolicis & diligenter conſideratis omnibus & ſingulis in eisdem contentis & comprehenſis & preſertim quia Miniſter Conſules & Univerſitates opidi & villarum pretactarum providorum & ſapientum virorum Magiſtri civium Conſulum & Univerſitatis opidi Thuricenſis in preſcriptis literis Apoſtolicis principaliter nominatorum & expreſſorum colligati exiſtunt & eisdem adherent prefatos Miniſtrum Conſules & Univerſitates opidi in Zug & villarum in Barr in Egre & in Kam pretactarum eorumque colligatos & adherentes ab hujusmodi ſacrilegii reatu & ab omnibus & ſingulis excommunicacionibus & aliis ſentenciis & penis quas propter premiſſa in preſcriptis literis Apoſtolicis expreſſa & per ipſos commiſſa & perpetrata incurrerunt auctoritate Apoſtolica predicta nobis in hac parte commiſſa in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti abſolvimus in forma Eccleſie conſueta & injunctis per Nos ipſis Miniſtro Conſulibus & Univerſitatibus opidi & villarum pretactarum eorumque colligatis & adherentibus pro modo culpe penitencia ſalutari videlicet quod quilibet poſt confeſſionem per ipſos & quemlibet ipſorum Rectori aut plebano ſuo factam vel faciendam unam diem quam alias ex voto vel penitencia ieiunare non tenetur ieiunet. ipſos ut ſic per nos abſolutos ad vos remittimus per preſentes. Mandantes vobis & cuilibet veſtrum in virtute ſancte obediencie quatenus auditis confeſſionibus ſingulorum & ipſorum culpa in premiſſis diligenter conſiderata receptaque fide data nomine Sacramenti a ſingulis vobis confitentibus & abſolucione

noſtra

noſtra prediƈta uti volentibus quod eccleſiis & monaſteriis & aliis piis locis per eos concrematis deuaſtatis & ſpoliatis de bonis per eos ablatis quamprimum tute & commode poſſint ſatisfaciant competenter. injungatis inde ipſis & eorum cuilibet auƈtoritate prediƈta penitenciam ſalutarem quam per eos & quemlibet ipſorum adimpleri volumus & mandamus penitencia ipſis per nos ut premittitur injunƈta non obſtante . . Datum & aƈtum Thuregi ſub ſigillo noſtro (5) preſentibus in teſtimonium premiſſorum appenſo. Anno Domini milleſimo trecenteſimo LXXX^mo. VII°. ſexta die menſis Februarii indiƈtione decima (6).

Notae.

(1) Civitas *Zug*, & Parochiae *Bar*, *Cam* & *Egré* vel *Egri*, in Cantone ejusdem nominis.

(2) *Urbanus VI.* (Bartholomeus *Prignano*, Neapolitanus, Archiepiſcopus Barienſis) fuit eleƈtus Papa die IX. Aprilis MCCCLXXVIII. a quindecim Cardinalibus Romae poſt mortem Gregorii XI. degentibus, quibus praeſentibus die XVIII. ejusdem menſis fuit ſolemniter coronatus. Qui Cardinales die XIX. eleƈtionem ſex aliis Cardinalibus Avenioni ſuperſtitibus notificarunt, qui eam illorum precibus viƈti confirmarunt. At imprudens Papa mox abalienavit eos qui illum elegerant. Qui cum nullitatem Eleƈtionis tanquam non liberae incuſarent, novam fecerunt, & Cardinalem Robertum Genevenſem qui vocari voluit Clemens ſeptimus Papam proclamaverunt. Quae duplex eleƈtio Schisma quod per XL. annos inter varios viguit competitores, peperit. Urbanus quidem a majori parte Imperii, in Bohemia, Hungaria & Anglia fuit agnitus, qui Pontifex obiit Romae die XV. Oƈtobris 1389. poſt undecim annos, ſex menſes & ſex vel ſeptem dies valde procelloſi regiminis. Vide *l'Art de verifier les dates*, p. 305. noviſſimae editionis *in folio.*

(3) *Clemens VII.* (Robertus e Stemmate Comitum Genevae, Canonicus Pariſienſis, poſtea ſucceſſive Epiſcopus Teroanenſis & Cameracenſis, Cardinalis), fuit eleƈtus Papa in civitate *Fondi* die XXI. Septembris M.CCC.LXXVIII. a quindecim illorum Cardinalium qui Urbanum ſextum elegerant. Coronatus fuit die prima Novembris ſequentis. Qui

 Cle-

Clemens VII. pro legitimo Papa fuit agnitus, in Gallia, Hifpania, Scotia, Sicilia & Infula Cypri. Italiam reliquit & transtulit fuam fedem in Galliam, advenit Maffiliam die XXV. Junii MCCCLXXIX. indeque Avenionem in qua civitate Apoplexia tactus die XVI. Septembris MCCCXCIV. poft fere fexdecim Regiminis annos obiit. Fuerat creatus Cardinalis Presbiter *Bafilicae XII. Apoftolorum* die VIII. Junii MCCCLXXI. a Papa Gregorio XI. qui Avenioni fedebat.

(4) Nonus annus Pontificatus Urbani VI. incoeperat die IX. Aprilis MCCCLXXXVI.

(5) Sola figilli avulfi ligamina pergamena fuperfunt.

(6) Anno MCCCLXXXVII. currebat Indictio decima.

CII.

Praeftatio *homagii ligii die* 20. *Decembris* 1398. *Guillelmo Epifcopo Laufannenfi ab Amedeo Comite Sabaudiae & Domino Vuaudi.*

Autographum pergamenum in Scriniis Inclitiffimae Reipublicae Bernenfis, & Apographum T. I. Helveticarum a Saeculo feptimo Cartarum p. 281-282. *MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.*

IN NOMINE DOMINI. Amen. Anno a Nativitate Domini M.CCC.XCVIII. indict. (1) VII. die XX. menfis decemb. hora matutina orto iam fole, infra capellam B. Mariae ecclefiae cathedralis Laufannenfis prope altare dictae capellae. in mei notarii publici & teftium infrafcriptorum ad haec vocatorum & rogatorum prefentia perfonaliter conftituti Rever. in Chrifto pater & dominus D. Guillelmus (2) miferatione divina Epifcopus Laufannenfis ex una parte, & Illuftris ad magnificus princeps dominus Amedeus (3) Sabaudiae Comes & dominus Vuaudi ex altera. Idem vero dominus Amedeus placide requifitus a dicto domino Epifcopo fuper infrafcripta, fcienter fponte ac provide fubmiffis ejus manibus

nibus inter manus dicti domini Episcopi stipulantis & recipientis, vice nomine & ad opus ipsius & Ecclesie sue Lausannensis predicte ac successorum suorum in dicta Ecclesia, & oris osculo fidei & pacis interveniente, prout in talibus est de more consuetum, intravit & fecit homagium ligium & fidelitatem dicto domino Episcopo recipienti nomine praedicto, videlicet in formam & modum ac sub forma & modo quibus illustres progenitores seu predecessores eiusdem illustris & magnifici principis domini Comitis Sabaudiae Comites quondam dominis Episcopis Lausannensibus dicti domini Episcopi predecessoribus homagium fecerunt. Qui quidem dominus Comes promisit in manu mei notarii publici infrascripti, ut & tanquam communis & publicae personae stipulantis & recipientis, vice nomine & ad opus omnium quorum interest, vel intererit, esse fidelis dicto domino Episcopo & Ecclesiae Lausannensi, & eidem secundum antiquam & novam fidelitatis formam praestare & facere prout & quemadmodum illustres progenitores prefati domini Comitis promiserunt facere & praestare dominis Episcopis Ecclesiae Lausannensis praenominatis. de quibus voluit, laudavit & precepit fieri prefatus illustris dominus Comes & dictus dominus Episcopus petierunt sibi publica fieri instrumenta sigillo curie officialatus Lausannensis roboranda. presentibus nobili & potenti viro domino Ludovico (4) de Sabaudia. Nobilibus viris dominis Rodulpho (5) de Grueria domino Albonae &c.

Datum & actum anno. indict. die. mense. hora. ubi & coram quibus supra.

Notae.

(1) Die 20. Decembris 1398. currebat Indictio septima.

(2) Sequentia leguntur in Chronico brevi Episcoporum Lausannensium e manuscripto Meldunensi (*Moudon au païs de Vaud*) erutum, quod finit cum anno 1533. & cujus apographum datur pag. 36-70. T. I. Helveticarum a Saeculo septimo Cartarum MSc. in folio Tugii in Bibliotheca Zur-Laubeniana.

Anno Domini MCCCCV. regnabat Dominus Wilheimus de Menthonay tempore schismatis & Ruperti Imperatoris. Iste fuit interfectus in Lucens per suum barbitonsorem, & jacet in ecclesia ante Dominam nostram, &

& ſecit quatuor anniverſaria. Obiit autem anno Domini MCCCCV. die VIII. Julii. Idem Reverendus Dominus de Menthonay Epiſcopus Lauſannenſis fuit in caſtro de Lucens, de mane ſurgendo de lecto ſuo, vulneratus per dictum Menolet cubicularium ſuum, de uno gladio per ventrem, de qua vulneratione mortuus fuit die dicti menſis, horâ quaſi nonâ, & corpus ejus fuit portatum apud Lauſannam die decima ejusdem menſis, & ſepultus ante parvam portam prope capellam ſanctae Mariae.

(3) Scilicet Amedeus VIII. cognominatus *Pacificus*, Comes Sabaudiae, natus die 4. Septembris 1383, ſucceſſit die 1. Novembris 1391. ſuo genitori Amedeo VII. dicto *Rufo*, ſub tutela ſuae matris Bonae de Borbonia. Fuit primus Dux Sabaudiae, quem titulum illi conceſſit Chamberiaci die 19. Februarii 1416. Sigismundus Rex Romanorum.

(4) Ludovicus de Sabaudia, Princeps Achaiae qui uxorem duxit Bonam filiam Amedei VII. Comitis Sabaudiae.

(5) Rodolphus de Grueria, (*de Gruyere*), Dominus *Albonae* ſeu Gallicè *Seigneur d'Aubonne*, in Baronia Vaudi, *au païs de Vaud*.

II.

II.

HISTORIA DIPLOMATICA

MONASTERII RHENAUGIENSIS

ORD. S. BENED.

AUCTORE

REV. D. P. MAURITIO HOCHENBAUM VAN DER MEER.

DISSERTATIONES PRÆVIÆ IN HISTORIAM RHENAUGIENSEM.

DISSERTATIO I. DE ANTIQUITATE RHENAUGIÆ.

§. 1.

Rhenaugia ſub antiquo Romanorum Imperio.

Rhenaugia eſt noſtra ætate oppidum ad fines Helvetiorum, qua Sueviam reſpiciunt, infra majores Rheni Cataractas ſitum. Celeberrimus hic fluvius, poſtquam Scaphuſiam leni tractu pacifice prætergreſſus eſt, paulatim in ſcopulos & concava, altasque rupes incidit, quibuscum diu luctatur; donec tandem ſeſe cum horrido fragore ab alto præcipitet, ſparſo interim denſiſſimo ſpumarum pulvere, quas fumum potius aut nebulas diceres, & quæ, lucentibus ſolis radiis, iridem mirum in modum repræſentant. Superatis ſcopulis Rhenus quidem mox iterum priſtinam malaciam reſumit; non tamen via regia curſum proſequitur, ſed ad unius horæ ſpatium per reflexos aquarum decurſus, nunc ad occaſum & meridiem, nunc ad ortum & ſeptentrionem iter ſuum dirigit: & hac ratione duas Peninſulas hinc inde ſibi invicem e diametro oppoſitas efformat. Prior Peninſula, in terris Imperii ſita, denſam ſylvam, antiquitus *Suabova*, hodie *Suaben* dictam, complectitur; altera, in agro Helvetico poſita, Oppidum cingit, quod olim *Rinova*, hodie *Rhenaugiam* (a) vocant. Has inter Peninſulas in ipſo fluminis medio tertia ſurgit Inſula, aquis undique circumdata, & pariter *Rhenaugia* nuncupata; cui hodie Monaſterium Ordinis ſancti Benedicti inædificatum eſt.

In

(a) Rhenaugia primum anno 1126. in Oppidum excrevit; jus vero Civitatis anno 1241. a Fridrico II. per Bullam auream confirmatum fuit (*Civitatem Renogienſem cum pertinentiis ſuis*) ita tamen, ut tota *Civitas cum munitionibus &c.* Abbati & Monaſterio ſubjecta ſit.

In Peninfula, ex parte Helvetiorum pofita, collis eminet; in quo veteres Romani propugnaculum adverfus Alemannos habuiffe, dicuntur. Unde Rhenaugia a plerisque rerum antiquarum Scriptoribus inter romana ad Rhenum præfidia numeratur (b). Moderno tempore in eodem colle extat Ecclefia divo Nicolao Myrenfi facra. Aliqui putant, quod Rhæti & Vindelici jam anno Chrifti quinto a Tiberio apud Rhenaugiam devicti fint, & profligati; qua etiam occafione *Solium* & *Forum* Tiberii ad Rheni ripam quatuor aut quinque horas infra Rhenaugiam conftructum effe, credunt (c). Conftantius Chlorus, cum Alemannos primum apud Lingonas (d), dein prope Vindoniffam (e) fuperaffet, Rhenaugiæ anno Chrifti 299. caftra locaffe, fertur (f). Eundem Cæfarem totum Rheni tractum in noftris partibus præfidiis, murisque firmaffe, Eumenius (g) teftatur; & Guilimannus (h) addit: Conftantium Chlorum *inter alia munimenta Fines*, hodie Pfin, *conftituiffe*, *Liber conftructionis Augiæ*, *vulgo Rinau oftendit.* Circa hæc quoque tempora, & eundem in finem Civitas Conftantia apud Lacum podamicum, ubi Rhenus præterfluens eundem Lacum in fuperiorem & inferiorem dividit, condita fuiffe fertur. Alii autem Civitatis hujus initia referunt ad tempora Conftantii Junioris & Juliani Cæfaris.

Hæc tamen omnia Alemannos abfterrere non potuerunt, quo minus Rhenum trajicerent, & fæpe fæpius per vicinam Rhætiam Galliamque prædas agerent; adeo equidem, ut regnante Conftantio juniore anno Chrifti 357. fuis deprædationibus Lugdunum usque devenirent: donec tandem a Juliano Cæfare, imperium in Galliis tenente, & Barbetione Belliduce, cum viginti quinque Armatorum millibus fubfidium ferente, redire coacti fint. Quamquam autem Alemanni Galliam reliquerint; nihilominus, Barbetione moras trahente, in Infulis noftris denuo fubftiterunt: Romanis vero infequentibus, & unam ex Peninfulis occupantibus, ipfi in ripa adverfa fortiffimo vallo & aggere fefe munierunt. Utra-

(b) Tfchudius Gallia comata pag. 135. & 211. Beatus Rhenanus, Simlerus, Crufius, Waldkirch pag. 49. & in Append. pag. 47.
(c) Rüffinger de antiquit. Fori Tiberii apud Haller de Script. Helvet. Tom. II. pag. 263.
(d) Hermannus in chronico ad hunc annum 299.
(e) Stumpfius T. I. pag. 280. Eumenius panegyri VI. cap. VI.
(f) Idem Stumpfius T. II. pag. 56.
(g) Paneg. fupra citat.
(h) De Reb. Helvet. lib. I. c. IV. pag. 33.

Utraque caſtra cis & trans Rhenum ſibi mutuo in conſpectu erant; Peninſulam *Suabova* dictam Alemanni ſibi vendicaverant, alteram *Rinova* nuncupatam Romani tenebant, Inſula intermedia, ubi nunc Monaſterium viget, neutri parti addicta. Alemanni, ſuis confiſi aggeribus, Romanos, vehementius inſultando, probroſe convitiabantur; ſed iſti, injuriam non ferentes, irritati convitiis, inſperato ſuperato flumine in hoſtes irruunt, caſtra ſubvertunt, ac male ſecuros ingenti clade proſternunt. Totam rei ſeriem Amianus Marcellinus (i) teſtis occulatus fuſe deſcribit. *Barbari*, inquit, *adventu Exercituum perterriti, domicilia fixere cis Rhenum, occupatisque Inſulis, & arboribus immenſi roboris caſis, ululantes per flumen lugubre, convitiis & Romanos & Cæſarem inceſſebant. At Cæſar graviore animi motu percitus, auxiliares velites cum Bajnobaude Cornutorum Tribuno miſit, facinus memorabile patraturos. Qui nunc incedendo per brevia, ſcutis deinde per modum alveorum ſuppoſitis, nando ad Inſulam venere propinquam* (ubi nunc (k) Monaſterium eſt) *nactique vacuas lintres, per eas, licet vacillantes evecti* (in Peninſulam Suaben) *perruperunt, egreſſique promiſcue ſine ætatis diſcrimine trucidabant ut pecudes; & ubi cædendi ſatietas cepit, prædis onuſti, quarum partem vi fluminis amiſerunt, rediere omnes incolumes. Hocque comperto reſidui Germani, infido præſidio Inſularum relicto, ad ulteriora fruges opesque barbaricas contulerunt. Converſus hinc Julianus tres Tabernas, munimentum ita cognominatum, reparavit. At Barbari, collectis viribus, primum Barbetionem in Agro Rauracenſi, deinde Decentium Cæſarem profligant; donec apud Argentoratum* (l) *Julianus inſigni victoria potitus, ſecuros Rheno terminos Galliarum reddidit.* Hucusque Amianus, qui hæc eadem pluribus proſequitur.

Prædictas Inſulas a noſtris haud eſſe diverſas (m) exinde conſtat; quod Rhenus in noſtris partibus nullas alias Inſulas alat, quibus omnes circumſtantiæ congruant, quas Amianus Marcellinus tam ſolerter & accurate exprimit. Certe *Suabova*, ſeu Suevorum Peninſula hodie quoque tota ſylveſtris eſt; ad cujus

initium

(i) Lib. 16. cap. 11. Edit. Hauriſii pag. 458. Schœpflinus Alſat. illuſt. Tom. I. pag. 401. & 189. Cruſius Tom. I. pag. 125.

(k) Beatus Rhenanus pag. 78. eam, inquit, Inſulam eſſe reor, in qua Cœnobium hodie Benedictinorum, quod Rheni Augiam appellant, prope Cataractas ejus amnis infra Schaffhuſium.

(l) Hauriſius notat annum 357. Hermannus ponit ad annum 365. Videatur Schœpflinus T. V. p. 402. & 406.

(m) Stumpſius T. II. p. 80.

initium vallum præaltum, ab uno Rheni littore ad alterum protenſum, conſpicitur, quod omnem aditum claudit, & munit: quemadmodum ad ejus terminum antiquiſſima *domiciliorum* rudera (Alemannorum habitacula) cernuntur. Effodiuntur inſuper in Vallo prætacto Nummi ex Romanorum ætate conſpicui, atque antiquiſſima telorum ſpicula. Neque illud prætereundum eſt, quod in mappis antiquis & Romanorum & Alemannorum Caſtra, in noſtris Peninſulis cis & trans Rhenum locata notentur. Cæterum ſcripſere aliqui (n) quod ſæpe dicta Peninſula *Suabova* a *Suevo* Alemannorum Rege (potius Duce) nomen *Suaben* obtinuerit; certe a *Suevorum* domiciliis nomen traxiſſe, haud dubito. Alemannis autem nullas fuiſſe Urbes aut Oppida, multo minus Regias Sedes, ſed vaga ſolummodo domicilia, ex Cæſare, aliisque Scriptoribus coævis liquido conſtat.

Julianum hoſtem acerrimum Alemanni ſæpius quidem experti ſunt, maxime tamen anno 360. apud Sanctionem (hodie Seckingen) haud procul a Rhenaugia diſtantem; ubi denuo ab eodem cæſi ſunt (o). Haud minora Valentiniano I. cum Alemannis fuere negotia; qui eosdem fortiter dimicantes apud Solicinium (*Sulz infra Rothweilam*) anno 366. prælio ſuperavit; hanc ipſam autem victoriam non ſine vitæ diſcrimine reportavit (p). Quapropter, ut tutam redderet Rhætiam, Rhenum omnem Præſidiis atque Caſtellis communivit (q), *ne latere usquam hoſtis ſe proripiens poſſet.* Et hac occaſione Propugnaculum Rhenaugienſe, de quo ſupra, haud dubie reparatum fuit, ſeu potius majora incrementa ſumpſit. Reperiuntur etiamnum noſtra ætate in hac Peninſula, & in adjacente planitie Romanorum Caſtrorum ac Muniminum veſtigia, qualia ſunt murorum rudera, telorum cuſpides, nummi, foſſæ cadaveribus oppletæ &c.; prout jam olim idem ipſum Guilimannus annotaverat, cujus ſententiam admetior (r). *Rhenovii antiquitatis indicium magnum, ſitu mirabili. Rhenus enim, ubi cataractas majores prolapſus eſt, adeo tortuoſo fluxu volvitur, & in tot mæandros, ut duas quidem Peninſulas conſtituat, unam ſolo germanico, alteram tigurino, ſibi mutuo ita conjunctas, ut ſolus fluvius dividat. Germanica antiquo nomine Suevia vocatur. In contrapoſita oppidum Rhinovium antiquum & fractum, & paulo infra Augia*

(n) Cruſius Tom. I. pag. 125 col. 2. item Greg. Mangold p. 13.
(o) Amian. l. 20. Guil. l. II. c. 4. p. 182.
(p) Amian. l. 27. Guil. p. 186.
(q) Amian. l. 28. & 30. Guil. p. 91.
(r) L. I. c. 11. p. 96. Greg. Mangold in chronico conſtant. Mſc. originali p. 8. averſa: *Zu Rinow war vor Ziten ein Stat und Römiſches Wachthus wider die Alemannos.*

Augia Rheni Monasterium toto Rheno a Continenti separatum, nisi quantum ponte ex oppido nectitur. Sunt tamen & in Suevia antiquæ fossæ, valli, murorumque reliquiæ; quod argumentum facit, a Germanis, Alemannis & Suevis firmatam, & contra Romanos, qui Rhinovium tenebant, munitam fuisse, illo maxime tempore, quo duobus exercitibus validissimis eas gentes Julianus aggressus est; qua re perculsos refert Amianus plerosque in Rheni Insulas perfugisse, eas vallo, & cæsis immensis arborum truncis sepiisse. Reperiuntur vicinis prope Rhinovium campis etiam nummi, hominum vero & equorum ossa passim, & quandoque fossæ oppletæ; quod indicat, moras ibi & castra Julianum, aut Barbetionem Ducem habuisse, aut Alemannos cæcidisse, & ultra Rhenum repulisse. Augiæ antiquissimum Monasterium, & ibi Fundanus Hybernus Monachus jam sub Carolo M. sepultus non sine sanctitatis fama. Hucusque Guilimannus; qui ejusdem Sancti Fintani & alio loco meminit (s), sed ad marginem melius annum Christi 850. adscripsit, cum Carolo Magno haud componendum.

§. 2.

Rhenaugia sub antiquo Alemannorum Principatu.

Hactenus Rhenaugia sub Romanorum imperio fines Rhætiæ, Galliæque tuebatur. At vero anno 372. Burgundiones, ejusdem cum Alemannis originis, cum juxta Rhenum consedissent (t), unacum sociis suis fines transgressi, infelice pugna cum Gratiano Cæsare dimicarunt (u): quibus tamen Victor, ut ex Ausonio Burdegalensi Guilimannus existimat (x), Thuringorum, & Rauracorum agrum incolendum concessit Certum saltem est, eosdem populos anno 406. cum Vandalis, Suevis, & Alanis (y) vastata Gallia in Hispaniam usque penetrasse: quorum variæ turmæ varias provincias occupantes, stabilem inibi sedem fixerunt. Nostras oras Alemannorum pars residua occupavit, hacque occasione nomen *Alemanniæ* ad Rusam usque protendit; reliqua antiquæ Helvetiæ parte Burgundionibus afferta. Reperiuntur hodieque in Peninsula Rhenaugiensi nummi gothici, testes utique omni exceptione majores, gentem illam una-

(s) Pag. 141.

(t) Hermannus in chron. ad eundem annum.

(u) Idem anno 375. Annos tamen exactius ex aliis Authoribus annotavit Schœpfl. Alsat. illust. T. I.

(x) L. II. c. 5. pag. 190.

(y) Herman. ad annum 409, ubi editio Canisii Suevos omittit. Rhenanus L. I. & III. Stumpf. L. IV. c. 26. Crusius T. I. p. 178. Eckardt Orient Franc. T. I. p. 21.

unacum Alemannis Rhenaugiæ aut caſtra aut ſedem ſtabilem fixiſſe. Tanta clade Romanis illata, Alemanni totum Rheni tractum ſibi tandem vendicarunt. Odio exaſperati, diruebant, ac penitus demoliebantur univerſa Romanorum Munimenta; ut nec memoria inviſi ſibi nominis ad Poſteros transiret (z). Hinc Viri eruditi mirari deſinant, pauca jam Romanorum marmora, murosve Rhenaugiæ ſupereſſe.

Hoc tempore florida Alemannorum fortuna ſummum culmen attingebat (a); cum dominatum ſuum, ejectis Romanis, ultra Rhenum extenderent. Etenim fractæ jamjam Romanorum vires anno 455. penitus ſunt contritæ. Nam Merovæus Francorum Orientalium Rex Romanos e Gallia, Odoacer autem Herculorum Rex eosdem ex Italia propulſabat. Erant ambo Reges germano ſanguine orti; Odoacer quidem Frater erat Aunulfi, ſeu Welfi, illuſtriſſimorum Welforum primi Progenitoris; de quibus in Diſſertatione ſecunda fuſius agemus.

Prædicta tamen proſperitas Alemannis ipſis ruinam accelerabat. Dum enim Francos, in Gallia latius dominantes, æmulantur, invidia dementati, eo deveniunt; ut amiciſſimos ſibi Francos cum ingenti exercitu invadere ſtatuant. Utraque acies apud Tolbiacum (b) manus & arma conferebat; pugna erat decretoria: & primitus quidem fortuna Alemannis favere videbatur; cum ſubito Clodovæus Francorum Rex, voto ad Deum emiſſo, nutantem victoriam in ſuas partes traxit, & Alemannos devictos ſubjugavit: Superis ita volentibus, ut in ſtrage Alemannorum fides Chriſti ſplendidius triumpharet, & gentem utramque jucundius illuſtraret. Haud meliorem fortunam Burgundiones Alemannorum ſocii experti ſunt; qui paucos poſt annos Francorum jugum pariter ſubierunt. Retinuerunt quidem Regiones ſubactæ priſtina vocabula ſub *Ducatu Alemanniæ*; Rhætiæ tamen primæ cis Rhenum nomen Sueviæ adhæſit (c): pars autem altera trans Rhenum, in qua Turegum ſitum eſt, Pagus Turgoviæ nuncupatus fuit.

Quantum attinet ad Religionem Chriſtianam; ea ſæculo quarto ſub Imperatoribus chriſtianis in noſtris partibus mirum in modum effloruit, perturbata non nihil

---

(z) Stumpf. T. I. pag. 279. & T. II. p. 80. Tſchud. Gall. comat. p. 211.

(a) Beatus Rhen. p. 206. Eckardt Franc. Orient. T. I. p. 42.

(b) Aimo l. I. c. 15. Guil. p. 234. Herman. in chron. ad annum 494. Eckardt Franc. Orient. T. I. p. 43.

(c) Rhenan. p. 208. Stumpf. T. I. p. 279.

nihil per incursum Alemannorum, adhuc Idolis servientium. Supersunt in Museo nostro aliqua superstitiosi cultus monumenta, & effossa Deorum Simulacra; quorum unum æri incisum Reverendissimus Calmetus (d) minus feliciter explicavit. Isidem quoque in vicinia nostra cultam fuisse, collis Rhenaugiæ proximus docet (e), quem Isenbuck, quasi Isidis Burgum, hodieque appellant; & Veneris Citreæ cultum demonstrat effossa haud procul ipsius statua, æri incisa. At Alemannis a Clodovæo subactis, ipsoque Rege ad fidem perducto, reliqui Infideles paulatim suavi jugo Christi colla submisere, Monachis plerumque rem egregie promoventibus. Quos inter S. Fridolinus ad annum Christi 511. Rhenum nostrum prædicando illustravit (f); qui Constantiæ initium dedisse fertur Monasterio ad Scotos dicto, Cathedrali olim Ecclesiæ, donec idem ipsum Monasterium circa annum 800. a Theobaldo Episcopo extra muros transferretur. Fundavit insuper S. Fridolinus Monasterium Virginum apud Sanctionem ad Rheni ripam, hodie Seckingen appellatum. Sæculo sequente Sancti (g) Columbanus & Gallus erant famosissimi Helvetiorum Apostoli; quorum alter Bobiense Monasterium in Italia, alter vero celeberrimum Monasterium a suo nomine ad sanctum Gallum nuncupatum, in nostra vicinia fundavit. Sæculo octavo sanctus Pirminius Meldensis Episcopus, seu potius Regionarius, & Abbas, primum in Fungen, seu Pfungen infra Vitodurum, haud procul a Rhenaugia, ubi Duces Alemanniæ Gottefridus & Liutfridus residere solebant, consedisse fertur (h); qui deinde in Augiæ Majoris, seu divitis Insula cœnobialem vitam instituit (i). Eodem instigante Ruthardus Dux, Wolfehardi nostri Parens, fundavit duo Monasteria Gengenbach scilicet & Arnolfsmünster, Schwarzach postea nuncupatum, &

(d) In itinerar. Helvet.

(e) Hottinger Hist. Eccles. T. IV. in addit. pag. 6.

(f) Bucelin. in chronol. const. ad an. 511. Greg. Mangold in chron. const. Msc. ad an. 529. in originali p. 49. a ex Archiv. Episc. constant.

(g) Hermannus annis 611. & 614. de S. Columbano agit, non vero anno 627. ut inepte perstringit Stumpfius T. II. p. 10. procul dubio mendosum Apographum nactus.

(h) Hotting. ad an. 711. ex Stumpf. l. V. c. 34. p. 113.

(i) Hermannus in chron. cujus tamen vulgatæ Editiones hic omnes corruptæ sunt. Eckardt Franc. Orient T. II. p. 349. S. Pirminii Reliquiæ a Suicardo Comite de Helffenstein Collegio Oenipontano S. J. donatæ sunt ex Hotting. T. I. ad an. 737. At vero anno 1777. pars Sac. Reliq. ab Augustissima Theresia Illustrissimo Martino Principi & Abbati S. Blasii tradita fuit.

& ultra Rhenum translatum (k). Anno 731. tria Cœnobia, id eſt, Altacha, Morbach, & Favarias ex Augienſibus Fratribus conſtructa ſunt (l). Anno autem 752. Audogarius primus Campidonenſis Monaſterii Fundator & Abbas locum illum incolere cœpit.

Inter hæc Alemanni ſœpius adverſus Francos rebellabant, maxime poſtquam Majores Domus authoritatem regiam uſurparunt, quibus ſeſe Noſtrates Duces haud inferiores exiſtimabant. Verum a Carolo Martello primum (m), deinde a Carolomanno anno 746. repreſſi, magnam authoritatis ſuæ jacturam fecerunt, per Nuntios Regios, ſeu Miſſos aliquamdiu gubernati. Hos inter Miſſos erant Warinus & Ruthardus, qui S. Othmarum Monaſterii ad ſanctum Gallum Abbatem cum conſenſu, ſatius dixero, ex inſtinctu Sidonii Epiſcopi Conſtantienſis (n) inique condemnatum, in parvulam Rheni Inſulam, oppido *Stein* adjacentem, relegarunt. Ruthardus Arcem Kiburgenſem condidiſſe fertur anno 760. (o). Quamvis autem Alemannia in pœnam rebellionis per Regios Miſſos ſit adminiſtrata, nomen tamen *Ducatus Alemannici* ſemper retinuit, prout conſtat ex variis Diplomatibus tum noſtris (p), tum Parthenonis Turicenſis (q), tum denique ex Diplomate Caroli M. dato Abbati Fulrado, quo plures Cellæ & Monaſteriola, in *Ducatu Alemannico* (r) ab eo fundata, uniuntur Monaſterio S. Dionyſii. Verum quidem eſt, quod nomen *Ducis* illis, qui Regum loco Provinciis præerant, non amplius adhæſerit; nihilominus etiam in hac parte dabatur aliqua exceptio: nam illi, qui Exercitum ducebant, *Ducis* titulo gaudebant, ſicut & quædam præſtantiores Familiæ in Alemannia, quales erant Agilolfingica, & Welfica, ex Agilolfingica deſcendens; quibus *Ducis* titulum nemo derogabat (s). Certe in Regni Comitiis non minus Proceres Alemanniæ, quam Franciæ authoritate pollebant juxta leges alemannicas, circa idem tempus a Regibus approbatas (t).

Inter

(k) Mabill. Annal.

(l) Herman. in chron.

(m) Herman. ad an. 722. & 746. Epidan. ad an. 743. & 758. &c.

(n) Ratpertus Monachus S. Galli de caſibus S. Galli c. 2. apud Goldaſt. Rer. Aleman. T. II. pag. 2.

(o) Leo in Lex. Helv. verbo Kiburg.

(p) De anno 870.

(q) Apud Herrgott Gen. dipl. T. II. p. 1. chart. 54.

(r) Rhenan. pag. 208.

(s) Eckardt Franc. Orient. T. I. p. 368. Deſing Reichsgeſchicht T. I. p. 101.

(t) Goldaſt. Rer. Aleman. T. II. p. 1.

Inter alias Alemanniæ Ducum Sedes *Rhenaugia* quoque numeratur (u); unde plures Viri eruditi eandem antiquissimam, amplisque ædificiis instructam fuisse censuerunt (x). Neque defuere, qui ejus amplitudinem, licet cum minore verisimilitudine, usque ad tempora Christo nato anteriora protraxerunt (y). Verisimilius forsan esse poterit, quod Bullingerus testis occulatus asserit, dicens (z): „inter omnes totius amplissimæ constantiensis Dioceseos Basilicas vetustissimam „Ecclesiam Rhenaugiæ constitisse, quæ certe plurimarum in Turgovia Ecclesia„rum Mater fuit." Hæc intelligenda sunt de Ecclesia in colle oppidi constructa (ubi olim Romanorum propugnaculum erat) & jamjam duobus abhinc sæculis collapsa; cui in eodem loco nova S. Nicolai Ecclesia successit. Nam de reliquarum Ecclesiarum origine & dedicatione ex monumentis nostris certo constat.

DISSERTATIO II.
DE FUNDATORIBUS MONASTERII RHENAUGIENSIS.

§. 1.

Origo difficultatis in perquirendis Fundatoribus nostris proponitur.

WOLVENI Viri illustris in Alemannia AVUM fuisse Monasterii Rhenaugiensis Fundatorem ex authenticis Diplomatibus nostris certo constat. Cum ergo NEPOTEM certo teneamus, nec ulla ratione de ejus nomine dubitare possimus, AVUM solummodo perquirere debemus, si Genus & Prosapiam Fundatorum nostrorum tuto cognoscere velimus. Ast hic labor, hoc opus est. Nam primæ Fundationis Chartæ injuria temporum interiere, & posteriora Diplomata nomen proprium AVI non expresserunt. Quamprimum ergo de AVO liquido constabit, tota difficultas cessabit, & unico ictu nodus gordius solutus erit.

Jam hunc AVUM Majores nostri dixere WOLFEHARDUM Kiburgi Comitem (a); eumque anno 778. ad Monasterium in Insula Rheni condendum animum

(u) Hotting. T. IV. Addit. p. 24.
(x) Guil. loc. cit. Stumpf. l. V. c. 18. p. 79. Tschudius Gall. comat. p. 135. *Hat ein Anzeigen eines uralten Fleckens.*
(y) Steiner. Antiquarius Rhenanus verbo Rheinau.
(z) Epist. ad Rud. Bullingerum 1. Julii 1572. Hotting. T. IV. addit. p. 24.
(a) Goldast. Rer. Alem. T. I. p. 254. Stumpf. T. II. p. 81. Mabill. Annal. T. II. p. 351.

mum adjeciſſe, Hiſtorici conſentiunt (b). Altefatus nempe WOLFEHARDUS & Nepotes ſui poſſeſſores fuerant arcis Kiburgenſis; quæ poſteriore tempore nomen ſuum Comitibus ex ea ſtirpe progenitis præbuit. Unde Majoribus noſtris in mentem venit, ut Primum Fundatorem Kiburgenſem Comitem dicerent.

Hæc quamvis certa ſint, totam tamen difficultatem non ſatis tollunt, nec lumen ſufficiens afferunt; nam ipſa claritas quodammodo obſcurat, lucique repertæ novas tenebras offundit: eo quod illa ætate *Comitis* Titulus non ab arcibus, quas Viri nobiles inhabitabant, deſumptus fuerit. Satius itaque ac melius noſtra ætate Viri eruditi Fundatores noſtros WELPHIS adſcripſerunt (c); utpote quibuscum idem ferme nomen ſortiti ſunt. Situs quoque Rhenaugiæ WELPHIS apprime convenit; quos ad Rhenum inter Germaniæ Galliæque confinia confediſſe conſtat (d). Denique annus ipſe Fundationis noſtræ nos recta deducit ad WOLFEHARDUM ſeu WELPHUM illum MAGNUM, Judithæ Imperatricis Patrem, qui hoc ipſo tempore vixit. Sunt plurimæ aliæ Welphicæ Gentis prærogativæ, quæ Fundatoribus noſtris ad amuſſim conveniunt. Singula ſingillatim expendamus, deſumentes argumentorum pondera ex antiquis monumentis, & factis hiſtoricis.

§. 2.
Welforum Nomen Fundatoribus Rhenaugienſibus aſſeritur.

Wolfehardi atque *Wolfeni* nomina, quæ promiſcue tribus primis Fundatoribus a Majoribus noſtris attributa ſunt, convenire cum *Welfi, Welfonis,* aut *Guelfi* nominibus, apud Eruditos in confeſſo eſt (e); his ipſis enim, utcunque variis nominibus medii ævi Scriptores unam eandemque Perſonam non raro deſignant. Sic Eccardus junior, Monachus S. Galli, Nepotem S. Conradi *Wolfhardum* dicit

---

(b) Bucel. chron. conſt. ad an. 778. Langius Delineat. or. T. II. p. 332. & 1083. Hotting. Hiſt. Eccleſ. T. I. ad an. 778. Illuſtriſſ. Gerbert Princeps & Abbas S. Blaſii in Auctariis ad Faſtos Rudolphi I. p. 222. in notis. Item in Itin. Aleman. verbo Rheinau. Calmet Iter. Helv. p. 117.

(c) Eckardt Orig. Guelph. T. II. p. 14. Præeunte Leibnitio, probante Grubero, edente Schneidio. Senckenberg T. II. Theſaur. rer. ſuev. Vegelini Differt. 11. tota. Illuſtriſſ. Mareſchallus de Zurlauben Diſſert. de orig. Reg. Burgund. oblata Societati Bellar. Litter. Schœpflin. Alſat. diplom. part. I. p. 85.

(d) Otto Friſing. apud Urſtis lib. II. de geſtis Friderici I. cap. 2.

(e) Senckenb. loc. cit. Cruſius part. II. l. 1. c. 15. Eckardt Franc. Orient. T. I. p. 561.

cit (f), quem Annonymus Weingartensis *Guelfum* nominat (g). Sic ab Hermanno contracto *Welf* nuncupatur (h), qui *Welfhardus* est Epidano (i). Welf quoque Bavariæ Dux a Frowino *Welfhardus* vocatur (k), quem alii simpliciter *Welf* nuncupant. Neque defuit, qui Patrem Judithæ unica syllaba *Wolf* appellavit (l); cui ad energiam exprimendam particula *Hart* facile addi potuit, quemadmodum pluribus aliis vocabulis addita fuit: sic dicitur Erhart, Mannhart, Sighart, aut Hartmann, Hartmut, Hartwich. Adhæc in testamento Fulradi Abbatis S. Dionysii prope Parisios *Wlfhardus* omissa prima vocali ad annum 778. adscriptus legitur (m); qui tamen in alio Diplomate ad annum 805. *Wolwinus* exprimitur (n). Hæc itaque sunt varia Fundatorum nostrorum nomina, litteris quidem & syllabis ad speciem dissona, reapse tamen & in communi Eruditorum æstimatione consona; quæ unum, eundemque *Welfum* designant, seu potius cuilibet ex *Welforum* Familia oriundo propria sunt. Unde Illustrissimus Senckenbergius (o) hunc in modum proloquitur: „Nomen *Welf* idem esse, quod Wolfgangus, Wolf„hardus, Wolfinus, Welfhardus, aut, quod infra occurret, Wolfene, confir„mabar, quando didici, ipsum Welfum IV. Wolfhardum Ducem compellari, id „quod dubium fere relinquebat nullum: accedebat latinum catuli nomen, quod „haud secus ac germanicum *Wolf*, & lupum & canem exprimit (p). Quando „vero primos gentis Authores hoc nomine in tantum delectatos legi, ut mini„mum Primogenitus, aut aliquis etiam aliorum, si impedimentum nasceretur, „in illud adscriberetur, opinatus fere sum, hic accidere potuisse„ ut Posteritas „inde communi nomine, etiamsi alio aliquo in Baptismate essent aliqui insigniti, „nihilominus compellaretur: qua in re animum præcipue attendi Ottonis Fri„singensis authoritati, qui ita fatur: Duæ in Romano Orbe apud Galliæ, Germa„niæque fines famosæ Familiæ hactenus fuere, una Henricorum de Guebbelinga,

 „altera

(f) Apud Goldast. T. I. p. 18.
(g) Hist. Guelph. Edit. Basnag. T. III. p. 581. n. 5.
(h) Ad an. 1027.
(i) Apud Goldast. T. I. ad an. 1031.
(k) In Fragmento Chronici Msc. Murensis ad an. 1075.
(l) Vitus Prior Ebersperg. in Chron. Bavar. apud Pezium T. III. Annectod.
(m) Mabill. Act. SS. O. S. Ben. sæc. 3. part. 2. p. 341.
(n) Schœpflin. Hist. Zaringo-Bad. T. I. p. 426.
(o) T. II. Thesauri Rer. Suevic. edente Vegelino differt. 11. per totam.
(p) Catuli quarumlibet Bestiarum dicuntur *Welfer*; ita Glossarium Theotiscum antiq. S. Blasii p. 66.

„altera Guelforum de Altorfio." Hæc Senckenbergius; quæ mirifice illuftrantur per Fundatorem noftrum fecundum, Wolfehardi feu Welfi I. Filium, nobis quidem *Wolfinum* dictum, ab Anonymo autem Weingartenfi *Ethiconem* vocatum. Nam, ut ait Annalifta faxonicus (q): Tempore Ludovici Pii Imperatoris, Filii Caroli M. extitit quidam de Principibus Bavariæ, qui fuit *Binomius*, nam & *Ethico*, & *Welfus* dicebatur; a quibus non abhorret Boffo in Chronico picturato (r). Appofite Reverendiffimus Defingius Nomina Welforum, prout & Agilolfingorum potius cognomina fuiffe, exiftimat, quæ magis genus Familiæ, quam nomen proprium Perfonæ indicarent; licet illo ævo id aliis Familiis paffim non contingeret (s). Qua de re Eckardus, Habilinga, inquit, illud forte in catilinga mutatum eft, ut Catulinga feu Guelfica Familia indicetur; ea enim & Alemanniæ, & Bajoariæ indigenatu gaudebat, & Welfus Judithæ Imperatricis Pater, cum in Suevia degeret, nihilominus Thegano de nobiliffima ftirpe Bavarorum fuiffe dicitur (t). Etymologiam *Welfici* nominis non defumimus ex fabulis; conftat enim id multo antiquius effe: & fagaciffimus Defingius (u) Authorem argentei libri Epifcopum Weftgottorum, quem *Ulfilam* vocant, *Wulfel* & *Welfel* interpretatur; qui tamen jam fæculo quarto Teutonicam linguam, forte omnium primus, in verfione quatuor Evangeliorum litteris confignare eft aufus. Anonymus Weingartenfis, poftquam fub initium fuæ hiftoriæ Guelficæ prædictas fabulas, fi non afferendo, faltem enarrando retuliffet, fic demum concludit: *fic nomen, quod in principio fuit, abhominabile omnibus, poftremo factum eft in hac profapia quafi naturale, & acceptabile* (x). Naturale, ait, quafi omnibus natura adhæreret, atque commune foret.

§. 3.

(q) Apud Eckardt Corp. Hift. medii ævi T. II. p. 659. & 186. Quamvis Annalifta Patrem cum Filio confundere videatur.

(r) Edit. de an. 1492. By duffes milden Keyfers tyden Ludowicus, fo was *Ethico* effte *Welpy* feiner Keyferine Vater: Duffe here *Ethico* effte *Welpy* was ein here von Ravenfparge &c.

(s) Reichsgefchicht T. I. p. 95. & alibi: Der alte *Welf Ethico.*

(t) Ad præfat. Legis falicæ p. 9. item Franc. Orient. T. II. p. 154.

(u) Loc. cit. p. 35.

(x) Apud Basnag. T. III. p. 580. Bucelinus in genealogia gentis Agilolfingicæ atque Guelficæ memoratis fabulis fruftra immoratur.

§. 3.

Welforum Nobilitas Fundatoribus Rhenaugienfibus vendicatur.

Welfos inter Primos Regni Principes femper numeratos effe, certum eft; & ingentia funt, quæ Anonymus Weingartenfis de illorum magnificentia prædicat. Dantur quidem nonnuli, qui Ducis & Comitis Titulum Welfis dubium reddere conantur, his ducti rationibus: quod Welfi Regum minifteria fubire detrectarint; Ducum vero nomen a Francis Regibus penitus fuppreffum fuerit. Verum neutra ratio fubfiftit. Non prima; nam unius Ethiconis faftus ad reliquos ejusdem Familiæ Proceres non eft trahendus; & nos chartas publicas fuis annis producemus, ex quibus conftabit, Welfos Regum nomine Comitatus adminiftraffe. Nec majoris momenti eft fecunda ratio; nam Welfos non raro Duces vocatos effe, ex mox dicendis patebit. Sic Ruthardus, quamvis fub nomine Nuntii aut Miffi Regii Ducatum Alemanniæ adminiftraret, tamen alibi Dux appellatur (y). Sic Welfus I. a Thegano, coævo Scriptore Ducis titulo honoratur (z): *Imperator Ludovicus Pius accepit Filiam Welfi Ducis.* Hic ipfus tamen Welfus ab Aftronomo, Authore pariter coævo, eadem occafione Comes nuncupatur (a): *Imperator infpectis plerisque nobilium filiabus, Velpi Comitis Filiam uxorem duxit.* Certe Reverendiffimus Defingius Comitis ac Ducis Titulos Welficæ Familiæ tantopere adhæfiffe exiftimat, ut hæc Illuftriffima Profapia iisdem Titulis illo etiam tempore gauderet, cum nullo Regum minifterio fungeretur (b).

Jam vero Fundatores Rhenaugiæ, non minoris fuiffe Nobilitatis, non folum Author coævus vitæ S. Fintani (c) demonftrat, qui *Wolfenum*, primi Fundatoris Nepotem, *Virum Nobilem in Alemannia* vocat; fed idem ipfum multo cla-

 rius

(y) Mabill. Annal. ad an. 727. Anaftafius Edit. Vignoli T. II. p. 103.

(z) Edit. Schilteri.

(a) Edit. Reuberi.

(b) Reichsgefchicht T. I. p. 231. Der namen Graff ift ganz gewifs auch jenen vornemmen Leuthen gegeben worden, welche keine königliche Beambte, fonder freye Herren und Landsftände waren, und endlich dem ganzen Adel: der Beyfpiele feynd ville, jenes des Welfen ift berümbt, welcher die königliche Bedienungen als eine groffe Schande feines Haufes anfahe, deme doch der Graff und Herzogs titel von niemand angefochten wird. Et poft pauca: Es waren nit alle fo abergläubifch, wie der Welf; fcilicet Ethico, ut minifteria declinarent. Denique p. 266. Wenn man den Welfen nennte, verftund man fchon was groffes.

(c) S. Fintanus Rhenaugiæ Monachum induit anno 851. mortuus anno 878.

rius & evidentius ex Diplomatibus authographis liquet. Horum tenore Ludovicus Germanicus in Diplomate anno 852. dato eundem Wolfenum ſimilibus verbis *Virum Nobilem in Alemannia* appellavit; & Carolus Craſſus Ludovici Filius in Diplomate de anno 876. Wolfenum *Viri Illuſtris* titulo inſignire non dubitavit. Omitto alia Prædicata v. g. *Vaſſus Regius* (d), *Fidelis*, *Venerabilis*, *Dominus loci*, *Senior* (quod idem eſt ac Gallicum *Seigneur*, & Dominum territorialem ſignificat) quae in Diplomatibus Rhenaugienſibus, aut vita S. Fintani paſſim occurrunt, & Fundatoribus noſtris attribuuntur. Illud certum eſt, quod Titulus *Nobilis* ea ætate nonniſi Viris primi ordinis datus ſit (e). Deſingius (f), ubi nobilitatem antiquorum Germanorum ex profeſſo perſcrutatur, ait, *Nobiles* illo ævo fuiſſe Regni Principes, eosque nominatos eſſe *Optimates*, *Seniores*, *Proceres*, *Fideles*; nomen vero Baronum ac Dynaſtarum multo recentius eſſe. Alii Inferioris ordinis Viri antiquitus dicebantur Liberi, Ingenui, Caballarii, Equites, ſeu Equeſtres. Titulum *Illuſtris* Reges Merovingici Pipinus & Carolus M. ſibimet ipſis tribuebant, eodemque alios primæ Nobilitatis Viros decorabant; nec Regum Liberi alio, quam *Nobiliſſimorum* præconio gaudebant (g). Eadem igitur Welforum ac Fundatorum Rhenaugienſium Nobilitas, eadem dignitatis ratio fuit; quia eadem honorum vocabula, idem Titulorum ſplendor utrosque exornavit.

§. 4.

Situs Loci Rhenaugienſis & Prædia circumjacentia Welfis accommodantur.

Credibile eſt, Welfos tempore, quo Monaſterium fundabatur, aut Rhenaugiæ aut in vicinia habitaſſe; ſaltem Domini erant earundem terrarum, queis Fundatores Monaſterium dotabant. Welfica tradit hiſtoria, primos ejusdem Gentis Surculos juxta Rheni ripam in confinio Germaniæ & Galliæ conſediſſe (h), nosque ſupra vidimus, quosdam Alemanniæ Duces Rhenaugiæ ſedem fixiſſe. Et monumenta noſtra inſinuant, non ſolum Wolfenum, antequam Abbatiam regeret, verum etiam Patrem ipſius & Avum in eodem loco habitaſſe, quem, Monaſterio conſtructo, conſtanter excolebant. Ruthardus Kiburgum, paucis horis

(d) Vaſſi Regii cenſebantur de Familia Regis, prout de Taſſilone Duce Bavariæ refertur in Annalibus S. Nazarii ad an. 787. & in Annalibus Francicis anno 788.

(e) Beſoldus verbo Adel.

(f) Loc. cit. pag. 118.

(g) Mabill. de re diplom. Du Cange &c.

(h) Anonym. Weingart. apud Basnag. T. III.

horis a Rhenaugia dissitum, condidisse fertur; alii vero ejusdem Gentis Rami post excitatas in Imperio contra Welfos turbas in Burgundiam, ac citeriorem Sueviam commigrasse videntur. Eruditissimus Senckenbergius tam ex situ loci, quam ex nomine Personarum Fundatores Rhenaugienses Welficæ Prosapiæ adscribit (i), dicens: „videntur mihi aliquid ad hanc Gentem spectans suppeditare „chartæ Rhinovienses, celebris illius in Turgovia Monasterii. Hujus Fundator „dicitur Wolfhardus Comes de Kiburg, qua in re ex traditione, & constanti „fama omnes conveniunt: nec ego contradixerim aut traditioni aut verisi-„militudini. Id tantum observo, primos hujus Monasterii Fundatores dictos „fuisse Wolfene, sive Welfos; aut ergo Welfi fuere Monasterii Fundatores, aut „plane ipsi Kiburgii Welfis accensendi, præsertim cum Welfos in Galliæ Ger-„maniæque finibus simul consedisse legamus. Kiburgicus autem Burgundiæ Co-„mitatus ad terras gallicas satis apte quadrat. Accedit, Conradum Guelficum „fuisse Ducem Burgundiæ; quod fieri forte nequivisset, nisi is aut Burgundus, „aut illic magnis Bonis fuisset præditus; cum semper ditissimi fere ex provincia „in Duces legerentur.“ Hæc Senckenbergius. Ubi notandum, quod altefatus Conradus Burgundiæ Dux Primi Fundatoris nostri Nepos fuerit; constat enim, Welfos pluribus in Pagis, immo & Regionibus Latifundia habuisse (k).

Cæterum tempore Fundationis nostræ Welfi non minus ac ipsi Fundatores nostri Alemanni censebantur; Hermannus Contractus identidem illos *Suevignas* vocat (l): Author autem vitæ S. Altonis ita fatur: Post obitum Beati Altonis præpotens quidam in Alemannia, Pater videlicet illius Comitis, qui vulgo nomen sortitus est, quod latine exprimitur Catulus (m). Jam *Præpotens in Alemannia*, de quo modo dictum, est Ruthardus, qui teste Walafrido (n) tunc temporis totius Alemanniæ curam cum Warino administrabat; quem hoc ipso, quod Ducatum Alemanniæ administraverit, Magnis Bonis, ut verbis Senckenbergii utar, in eodem Ducatu præditum fuisse, necesse est. Castrum Kiburgicum, quod condidit, non minus ac Monasterium nostrum in Pago Turgoviæ, parte nimirum Alemanniæ, situm erat. Kiburgum inter atque Rhenaugiam est Dynastia *Andelfingen*, vicusque haud procul dissitus *Islingen*, & hæc erant pariter prædia

(i) Apud Vegelin. loc. sæpius cit. T. II. pag. 136.
(k) Desing. loc. cit. pag. 146.
(l) Ad an. 1025. & 1047.
(m) Apud Boland. T. II. Febr. pag. 360. N. 6.
(n) Vita S. Othmari c. 4. apud Goldast. T. I. pag. 178. Waldk. p. 122.

prædia ad Welſorum dominium ſpectantia. Hiſce igitur tot tantisque argumentis non ſolum Welforum Poſſeſſiones, Fundi, & Prædia, in Turgovia, Ducatu Alemanniæ, circa Rhenaugiam ſita, vindicantur; verum etiam Ruthardus ipſe ſtipes Welficæ Familiæ, atque adeo Pater Primi Fundatoris noſtri, circa Rhenaugiam habitans, & in Ducatu Alemanniæ nomine Regis dominans, ſatis ſuperque demonſtratur. Accedit novum pro Welfis Fundatoribus noſtris argumentum ex eo capite, quod illo tempore in noſtra vicinitate nullum præter Welſos Præpotentem, qui Fundis & Prædiis abundaret, invenias, ſi Ludovicum Germanicum excipias; qui tamen certo certius nec primus Fundator fuit, nec ex primis Fundatoribus noſtris deſcendit, quamvis Benefactor Celeberrimus, ipſis Fundatoribus æquiparandus, extiterit.

Refert Anonymus Weingartenſis commutationem quamdam, quam S. Conradus cum Fratre ſuo Rudolpho ex bonis paternis fecit, receptis nimirum ſupra memoratis locis *Iſlingen* & *Andelſingen*, quorum vice alia prædia Fratri reddidit. Verba Authoris ſic ſonant (o): Sanctus igitur Conradus in Epiſcopatum promotus, Patrimonium, quod a Patre poſſederat, Altorf, Wolpeteswende, Berge, Fronhoven cum ſuis attinentiis, & omnia ultra fluvium noſtrum Stuzina ſita, ſicut ad nos hodie pertinent, Fratri ſuo Rudolpho per concambium donavit, & ipſe ab eo remotiora accepit, id eſt *Enſilingen* & *Andilvingen* cum omnibus appenditiis ſuis. Hucusque Anonymus. Jam vero his ipſis in locis Rhenaugia plura prædia a Fundatoribus donata poſſidebat, & adhucdum ex parte cum jure directo poſſidet; quis igitur dubitabit, quin Fundatores noſtri S. Conradi Progenitores, atque adeo Welfi fuerint. Porro *Andelſingam* per Ruthardum ad Welſos perveniſſe, ex Ratperto S. Galli Monacho aperte demonſtratur (p). Hic enim, poſtquam perſecutionem S. Othmari, inſtigante Sidonio Epiſcopo Conſtantienſi, factam retuliſſet, ſubdit, eundem Epiſcopum his ſuis Executoribus bona quædam gratitudinis ergo diſtribuiſſe, & Ruthardo quidem tradidiſſe Uznach (q) & *Andelſingen. Quibus, ut ſolatio eſſet*, inquit Ratpertus, *beneficia promiſit, atque donavit; Warino videlicet Vina & Turinga, Ruthardo vero Antolvinga & Uzinhaha.* Igitur

(o) Ex Mſc. Augiæ, & apud Basnag. T. III.

(p) De Caſibus S. Galli c. 2. apud Goldaſt. T. I. pag. 2.

(q) Uznach cum Tuconia, quæ Wolfeni noſtri quoque erat, poſtmodum ad Comites de Raperſchwe l pervenit, quos Anonymus Weingart. pariter ex Welfis & Fratre S. Conradi deducit. Füeſsle T. III. p. 24. Apud Basnag. T. III. p. 581.

Igitur *Andelfinga*, per Ruthardum domui Welficæ acquifita, tranfiit partim per Fundationem ex dono Filii ad Rhenaugiam, partim per hæreditatem & commutationem ad S. Conradum Welficæ Stirpis furculum. Denique *Islingen* hodie ad Carthufiam Ittingenfem fpectat; cujus *Ecclefiam* Henricus Bavariæ & Saxoniæ Dux, pariter *Welfus*, anno 1155. data charta teftatur, *ex hæreditate fua, & Parentum fuorum conftructam effe.* (r)

Verum enim vero non folum in vicinia noftra, fed etiam in remotiffimis Italiæ partibus erant quædam Bona ac Prædia tam Welficæ Genti, quam noftræ Rhenaugiæ communia. Mirum fane (nifi ex hoc etiam fonte *Fundationem Welficam* derivare velimus) mirum fane, infignia quædam loca in Italia a Fundatoribus Monafterio noftro donata fuiffe, & quidem in illis Pagis, ubi tunc temporis ex Familiis Alemannicis foli forfan *Guelphi* dominabantur. Ludovicus Germanicus in Diplomate de anno 858. inter alias Fundationes, Monafterio Rhenaugienfi factas, confirmat etiam: *Quicquid illi* (Wolfeno) *in Italia, in Pago Veronenfe & Tortonenfe hæreditario jure provenit, cum omnibus ibi adjacentibus.* Nomina Locorum aliis Chartis defignantur, nimirum *Curte Nova*, *Rubeffel*, *Chodrum* & *Gaves.* Quis porro ignorat, Welfos fuiffe in Italia celebres; quorum uni, videlicet Adalberto Ruthardi Germano, Carolus M. Pagum Veronenfem, devictis Longobardis, regendum tradidiffe fertur (s). In Pago Tortonenfi adhucdum extat Caftrum, quod a Welfis *Caftell Guelfo* hodie nominatur. Veronam Welfi tenuere usque ad Azonem Eftenfem, Ferrariæ Marchionem, qui fecundam ftirpem ejusdem Domus in Germania fufcitavit. Superfunt ex ea hodie Sereniffimi Duces Mutinæ, qui nexum cum Auguftiffima Domo Auftriaca feliciter junxerunt.

§. 5.

Tempus Fundationis Rhenaugienfis Welfis adjudicatur.

Tempus Fundationis noftræ non folum Familiam Welficam, fed etiam certas in Illuftriffima Familia Perfonas nobis defignat, a quibus Monafterium fundatum effe, credamus. Hic autem tria tempora bene ponderanda funt. Et primo

(r) Apud Herrgott Geneal. dipl. T. II. charta 232.

(s) Leonardus Alberti pag. 331. 409. & 411. Schoepfl. Hift. Zar. T. I. p. 45. Bucel. Topogr. Germ. T. II. p. 386.

mo quidem ipsa primæva Fundatio ad annum 778; deinde Monasterii Fundati oppressio, seu *stirpatio* (t) per Bella intestina circa annum 832: postremo Monasterii *stirpati* Restauratio per Wolfenum facta anno 851.

Jam solertissimi Originum Welficarum Scrutatores (u) omni data opera nullum alium sive *Wolfehardum* sive *Welfum* circa annum 778. invenerunt, qui Monasterium Rhenaugiense fundare potuerit, præter Magnum illum Alemanniæ aut Comitem, aut Ducem, Ruthardi filium, Judithæ Imperatricis Patrem, Ludovici Pii Socerum, Caroli Calvi Avum, toto orbe decantatum. Etenim Ruthardus Kiburgi Conditor illo anno jam erat mortuus; ergo non hic, sed ejus Filius est Monasterii Rhenaugiensis *Fundator Primus:* qui eodem prorsus anno 778. subscriptus reperitur Testamento Fulradi Abbatis S. Dionysii. Refert hoc testamentum Mabillonius (x) ex Autographo, datum Heristalli prope Mosam; ubi ad finem prædicti anni Carolum M. inter alios convenerat *Wlfhardus*, id est, Welfhardus seu Wolfhardus, armatos Alemannos contra Saxones iterum rebelles ducturus. In eodem Testamento Fulradus quædam loca sæpius nominat, quæ a *Chrodardo*, id est, Rothardo Patre Wolfhardi *in Ducatu Alemannico* olim emerat; cujus emptionis Instrumentum Mabillonius itidem producit (y). Fulradus jam anno 753. amicitiam cum Ruthardo inierat; hoc enim anno uterque a Pipino Rege Stephano II. Pontifici Maximo ad S. Mauritium in Burgundia obviam missus fuerat. Rei seriem enarrat Anastasius (z) his verbis: Conjunxerunt quoque se illi (Stephano) in prædicto Monasterio Agaunensi Fulradus Abbas, & *Rothardus Dux*, directi a præfato Pipino Excellentissimo Francorum Rege.

Sub secundo Fundatore, intestino gliscente Bello, Monasterium Rhenaugiense pene *stirpatum* fuit. Hoc testatur ipse Wolfenus Restaurator (a): *Monasterium Parentibus meis inter se litigantibus; atque vastantibus pene stirpatum evenit.*

Epocha

(t) Hac phrasi Wolfenus Restaurator utitur in Instrumento Restaurationis Chart. 9. ad an. 858.

(u) Leibnitius, Eckardus, Gruberus, Scheidius Orig. Guelf. T. II. pag. 14. Mareschallus de Zurlauben Differt. de Orig. Reg. Burgund. Et alii plurimi.

(x) Act. SS. T. III. P. II. pag. 342.

(y) De Re Diplom. l. 4. c. 45. ubi duæ aliæ chartæ exhibentur de annis 752. & 759. quibus ambo simul subscribuntur.

(z) Edit. Vignolii T. II. pag. 103. ubi diversas ortographias nominis Rotardi notat. Mabill. Annal. T. II. pag. 162.

(a) Charta 9. ad an. 858.

Epocha hujus vastationis in illud ipsum tempus incidit, quo Affines Welficæ Gentis Lotharius, Pipinus, & Ludovicus, ob Juditham suam Novercam (*Welfi* Filiam, *Ethiconis* Sororem, & *Wolfeni* Amitam) ejusque Filium Carolum Calvum, in ipsum Patrem Ludovicum Pium insurrexerunt, & maximas in toto Imperio turbas excitarunt, Propinquorum studiis inter sese divisis (b). His turbis & depopulationibus Welfi, utpote Fratres Judithæ, omnium primi succubuere; vastabantur eorum Possessiones, Monasteria ab ipsis fundata evertebantur, nec Sacris nec Profanis parcebatur. Nam teste Ratperto (c) *Ludovicus* (Bajoariæ Rex) *Alemanniam penetrans, singula loca suæ suorumque ditioni subjecit; quare contigit, ut sicut Regna, ita & Monasteria diversis erroribus atque laboribus quaterentur.*

Hoc igitur Bello *stirpatum* Rhenaugiense Monasterium satis indicat, quales Authores ac Fundatores habeat. Neque restauratum fuit Monasterium; donec tandem aliquando per pacem virdunensem anno 843. publica quies ac tranquillitas restituta, stabilitaque fuerit. Tunc demum *Wolfenus*, secundi Fundatoris Filius, & primi Fundatoris Nepos, rebus domi suæ compositis, ad restaurandum Monasterium & vires & opes serio impendit. Opportune *Wolfenus* noster in Chartis nostris hoc ipso tempore occurrit, quo tota Welforum historia ac Genealogia ingentem patitur hiatum, per prædictas turbas & bella haud dubie causatum. Successit sequente sæculo altera Monasterii nostri per Hungaros vastatio; cujus Restaurationi S. Conradus Constantiensis Episcopus eo libentius intendit, quo certius & ipse ex Welforum Prosapia ortum traxit; hinc Monasterium a Majoribus suis fundatum, & sua ætate pene extinctum, minitanti ruinæ qua consilio, qua auxilio paterne subduxit, factus noster Fundator quartus, Restitutor integerrimus, & Abbas Optimus: donec Rhenaugiam in utraque substantia florentem conspiceret, & eidem Abbatem ex gremio cum unanimi Fratrum consensu Authoritate Cæsarea præficeret (d).

His bene perpensis videtur Monasterium nostrum ab Anonymo Weingartensi inter illas Ecclesias comprehensum, quas a Welfis ex integro a primo fundamento constructas his verbis testatur: „Ecclesias Regales, scilicet Constantien„sem, Augustensem, Frisingensem, Curiensem, Campidonensem, Utinburen-

 „sem,

(b) Nithardus de dissensionibus Filiorum Ludovici Pii. l. 1. & 4. Edit. Boecleri pag. 86.
(c) Apud Goldast. T. I. pag. 6.
(d) Ex Diplomatibus Othonis Primi & Secundi ad annos 973. & 974. chart. 29. & 30.

„ſem, magnis prædiis, & magna familia ditaverunt; quasdam vero *ex integro* „*a primo fundamento*, quæ adhuc ad Succeſſores ſpectant, honorifice conſtruxe„runt" (e). Quod vero Rhenaugiam non expreſſerit, nemo mirabitur; tum quia poſt annos a noſtra Fundatione quadringentos ſcripſit, tum quia, ut ait Senckenbergius, ſoli propemodum ſuo Monaſterio intentus fuit, eosque duntaxat Welfos refert, qui de eodem bene meriti fuerunt. Liceat igitur mihi concludere cum laudato Eruditiſſimo Viro, de Welficis Rhenaugiæ Fundatoribus ita ſentiente: „Certiores probationes, atque allatæ ſunt, hic exigere non licet, quin „curatiores in tanta caligine nec Quercetanus, ſcrupuloſiſſimus ſane, ſi ſuper„eſſet, exigeret" (f). Quod enim Welfi ſint Fundatores noſtri, videtur, a Viris Eruditiſſimis immenſo labore diſcuſſum, ac certo & evidenter demonſtratum. Quippe Nomen & Nobilitas, calamitas & proſperitas Fundatorum noſtrorum, nec non & locus, & ſitus, & tempus fundationis noſtræ Welfis apprime accommodatur; quicquid enim de Noſtris dicitur, de Welfis pariter prædicatur. Unum eſt, quod fortaſſis necdum ſatis dilucidatum dici poſſit; utrum nempe Welfus Magnus, an vero Pater ejus, aut quivis alius ex Welfis progenitus prima Monaſterii fundamina jecerit. Cum interim nulla nobis argumenta ſuppetant, quæ Eruditiſſimorum Virorum ſententiam infringant; illorum judicio libenter ſubſcribimus, mentem mutare parati, ſi ex monumentis authenticis veriora edocti fuerimus.

§. 6.
Genealogia Welfica expenditur.

Quæſtiones de genealogiis devitandas eſſe, haud ignoro, maximopere ſi illa tempora attingant, quæ a noſtra ætate remotiſſima ſunt, ut vix aliqua certitudo ſperari poſſe videatur. Nihilominus ut Fundatorum noſtrorum Proſapiam magis illuſtremus, & Reipublicæ litterariæ commodis etiam ex hac parte aliqualiter ſerviamus, Welforum originem & ſucceſſionem breviter perſtringemus, difficiliores Welficæ ſtirpis indagines aliis Viris nobis doctioribus lubentiſſime relinquentes.

Igitur Viri eruditi (g) qui de origine gentis Welficæ ſcripſerunt, eandem referunt ad quendam *Welſonem* ſeu *Aunulſum* Ducem Scyrorum, Herulorum, Rugo-

(e) Apud Basnag. T. III. pag. 580.
(f) Loco ſæpius citato.
(g) Leibnitius, Eckardus, Zurlaubius &c.

Rugorum, atque Turcilingorum, Filium Ducis *Ethiconis*, Fratremque *Odoacrii* Regis Italiæ. De quibus Conradus Abbas Urspergensis, & ex eo Prior Eberspergensis ita fantur (h). Generatio Welforum inclyta, & nobilissima, & Deo semper devota, Romanæque Ecclesiæ semper assistens. Welfones creduntur Viri inclyti fuisse de gentibus illis, quæ sub Valentiniano Imperatore de Scythia erumpentes, diversas Provincias occupaverunt, & dominatum obtinuerunt. Memorat deinde idem Author *Warinum*, & *Ruthardum*, quasi stipites ejusdem Domus in Alemannia; cui adstipulatur Goldastus his verbis (i): „videntur autem „Warinus & Ruthardus ejus stirpis fuisse, unde postea Welfi nati sunt." Verum enim vero testimonia Veterum mature ponderanti facile patebit, ambos hos Duces, etiamsi simul & semel fuerint Regii Missi, seu Nuntii aut Comites in Ducatu Alemanniæ, non tamen fuisse unius & ejusdem Familiæ ramos, quin immo nec unius propemodum Nationis Posteros. Warinus enim ex Francia orientali originem ducebat; solus Ruthardus natione Alemannus erat. Author vitæ sancti Pirminii apposite ad rem nostram dicit, *Warinum alta Francorum Nobilitate propagatum* (k). Is donavit S. Pirminio in finibus Episcopatuum Trevirensis & Metensis fundum quendam ad construendum Monasterium Hornbach. Ejus Pater vocabatur Wegenleuto, prout demonstravit Freherus in Originibus Palatinis (l); de quibus etiam videndus Eccardus in stemmate Guibelino. Altesatus Warinus, qui & Warinher, Wernher, Warmann, habebat Filium Isambertum nomine; de quo sic scribit Eccardus sangallensis Monachus (m): consecutus autem feram Isambertus *Filius Warini*, Persecutoris nostri Othmari, librata lancea inter armum & guttur ejus, cor penetravit, & Imperatori palpitantem consignavit. Ubi idem Scriptor addit, Isambertum in præmium hujus facti, quo Carolum M. a Tauro liberavit, Irmentrudem Sororem S. Hildegardis, Matris Ludovici Pii, Sponsam accepisse.

Cum igitur Warinus, utpote Francus, nullo modo Welfos sanguine attigerit; idcirco solus *Ruthardus* Alemannus Stipes Welforum statuendus venit: cujus propria loca Islingen & Andelfingen, ut supra ex Ratperto & Anonymo

 Wein-

(h) Loc. cit. apud Bezium. Ursperg. Edition. Augnst. 1515. parte postrema in Lothario, ubi Genealogiam Welficam prosequitur.

(i) T. I. Rer. Alem. pag. 105. Bucel. part. II. Histor. Agilol. pag. 361.

(k) Apud Mabill. in Act. SS. 3. Novemb. c. 15.

(l) Pag. 48. & seq.

(m) Apud Bucel. loc. cit. pag. 366.

Weingartensi vidimus, Welfi Jure hæreditario per lineam paternam sibi acquisito partiti sunt.

Utriusque Comitis seu Ducis, Ruthardi scilicet & Warini, atque adeo Welforum & Gibelingorum Prosapiam evidentius declarat Eccardus Iunior (n), qui de Conrado I. Rege aut Imperatore hæc habet. „Rex vero Castellum illud „odiosum (Botmann) S. Othmaro causa mali tanti tradidit diruendum, omni„que anno ille, dum vixit, censum capitis sui in cera ad sepulchrum ejus, ut „Filius Carnificum illorum, pro reatu in eum quasi proprio misit. Quod & Ru„dolphus postea Wolfhardi (seu Welfi) Comitis Pater, cum ejusdem quidem „Prosapiæ fuerit, in censu calybum de metallo faucium juliarum fecit." En utriusque Persecutoris S. Othmari Posteros! Conradum quidem Imperatorem, utpote Francum genere (o), ex Warino; Wolfhardum vero, seu Welfum (ex Weingartensibus Welfis hujus nominis tertium) ejusque Patrem Rudolphum, sancti Conradi Fratrem, ex Ruthardo progenitos. Sane ejusdem Prosapiæ non erant Conradus Cæsar, atque Wolfhardus Comes; cum igitur ille sese fateatur Warini Franci Nepotem, necesse est, hunc fuisse ex Ruthardi Alemanni Nepotibus progenitum, quorum Proavi Sanctum Othmarum fuerant persecuti. Belle de utroque stemmate scripsit Otto Frisingensis (p): Duæ in Romano Orbe apud Galliæ Germaniæque fines famosæ Familiæ hactenus fuere, una Henricorum de Guibelinga, alia Guelforum de Altorfio, altera Imperatores, altera magnos Duces producere solita.

Ex dictis liquet, *Ruthardum* fuisse Welforum nostrorum Stipitem ac Protoparentem. Certe is genuit *Welfum Primum seu Magnum*, qui anno 778. sub nomine *Wolfhardi* testamento Fulradi subscripsit, eodemque anno Monasterium Rhenaugiense fundavit. Occurrit idem in charta quadam data anno 805. sub nomine *Wolwini* Comitis Brisgoviæ, quem Herrgottus (q) Rhenaugiæ Fundatorem (utique Primum) censet, ac prædicto anno Comitatum Brisgoviæ administrasse putat. Nomina quippe Ducis ac Comitis illa ætate promiscue sumebantur; quamvis prior Titulus potius ad bellicas, posterior vero magis ad civiles functiones & expeditiones sit referendus. De Welfone Primo sequentia leguntur

(n) Apud Goldast. T. I. pag. 18.
(o) Chron. Welf. Herman. ad annum 911. Eckard Franc. orient. T. II. pag. 718.
(p) Apud Urstis. L. II. de gestis Friderici I. c. 2.
(q) Geneal. Dipl. T. II. Part. I. pag. 17.

tur in historia Welsica (r). „Guelfo genuit Filium Ethikonem nomine, Filiam „Judith, quam Judith Ludewicus Imperator cognomento Pius, Karoli M. Fi„lius, defuncta Uxore sua Irosiligardh (Irmengarda) duxit Uxorem, quae ge„nuit Karolum Calvum." De aliis Welfi Primi Filiis altum quidem silentium est apud Anonymum Weingartensem; ex coaevis tamen Authoribus (s) certo constat Judithae Fratres germanos fuisse *Conradum* & *Rudolphum*, qui Sororis aulam secuti, in Galliis potissimum inclaruerunt, sortem & fata Sororis suae participantes. Rudolphus Comes Palatinus, Conradus vero Comes antissiodorensis extitit; hic genuit tres Filios, scilicet *Hugonem*, *Welsum* & *Conradum Juniorem*. Hugo & Welfus ob diversa Monasteria, quae jure commendatario, ut vocant, possidebant, sub nomine Abbatum in historia noti sunt; Conradus vero Junior erat Comes transjuranae Burgundiae; hic genuit Rudolphum I. Burgundionum Regem secundae stirpis, quae in Rudolpho III., quem ignavum vocant, tandem desiit, Burgundia ad Imperium sub Conrado II. devoluta. Uxor Conradi Senioris, & Mater Junioris fuit Adelaidis, Filia Hugonis Comitis Alsatiae ex Progenitoribus Domus Austriacae, teste illustrissimo Zurlaubio (t). Haec ipsa secundo Matrimonio juncta fuit Roberto Fortis dicto, ex quo genuit Robertum Franciae Regem, Avum Hugonis Capeti. Ex *Carolo Calvo Juditha* Filio prodiit *Ludovicus Balbus*, Galliae seu Franciae occidentalis Rex; in cujus Filiis hic Ramus penitus exaruit.

Secundus Rhenaugiae Fundator fuit *Ethico*, qui, ut ait Anonymus Weingartensis, *Juditha Frater Patri defuncto pius haeres successit*; nimirum adeptus paternam haereditatem caepta Monasterii nostri fundamina pio favore & industria ulterius promovit. Vetustissimum Augiae Manuscriptum textum citatum dubiis characteribus exaravit, videturque legendum esse loco *pius*, *prius* haeres successit, prout Bucelinus ex suo Manuscripto expressit (u); ut sensus sit: Ethiconem Patri defuncto prius successisse, quam Juditha Imperatori desponderetur. Hujus Ethiconis memoria in publicis chartis rara est; eo quod suis rebus intentus, Aulae ministeria detrectaverit, ingensque persecutio contra ipsum, Fratresque suos in Imperio excitata, omnem sibi animum ad publica negotia ademerit.

Prae-

(r) Apud Basnag. T. III. ad calcem.

(s) Theganus, & Nithardus Edit. Schilteri. Item Annales Bertiniani.

(t) In Tabulis Genealogicis Augustarum Gentium Austriacae & Lotharingicae. Paris 1779. in octav. Gallice cum probationibus. pag. 61.

(u) Loc. cit. pag. 369.

Prædictæ persecutioni Monasterium quoque nostrum succubuit; cadente enim Fundatore ipsam pariter Fundationem cadere necesse fuit. Ab hujus persecutionis tempore Sedes Welforum mutata, & a Rhenaugia in Sueviam citeriorem translata fuisse, videtur; nam Ethico Rhenaugiam ab hostibus vastatam procul dubio reliquit: licet ejus Filius, Monasterium restauraturus, pristinam Sedem repetierit. Certe habitatio Welforum Altorfii ad vineas ultra Ethiconem nostrum extendi non potest, cum antiquioris habitationis nullum omnino vestigium apud Scriptores occurrat. Ipsum Weingartense Chronicon (x). *Primum Fundatorem Altorfensis Cœnobii* constituit Henricum Patrem S. Conradi; & ad Ottonis III. regimen scribit: *sub hoc tempore Ravenspurg construitur.* Cæterum hunc ipsum Ethiconem, qui tempore Ludovici Pii vixerat, Analista Saxonicus *Egregiæ Libertatis Principem* appellat, *qui nunquam alicui, nec ipsi Imperatori pro aliquo beneficio se subdiderit dominio* (y).

Post *Ethiconem*, quem cum Ladislao Suntheimio Eckardus *Seniorem* (z) vocat, ingentem patitur hiatum Genealogia Welfica tum in Historia universali, tum in Chronico Weingartensi. Confunditur enim noster Ethico cum altero Ethicone Juniore, nostri Ethiconis Nepote, quem ipsum Weingartense Chronicon primum ponit post tempora Caroli Crassi, & Ludovici Junioris, Filii Arnulfi Imperatoris. Quapropter in Codice Augiæ Manuscripto, ubi de utroque Ethicone, quasi de uno agitur, manu perantiqua, haud tamen indocta, sequentia ad marginem notantur: *ille Ethico vixit tempore Karoli Crassi post Juniora tempora.* Igitur utrique Ethiconi necessario interponendus est alius Welfo intermedius, videlicet Senioris Filius, & Junioris Pater. Ecquis autem ille erit, nisi *Wolfenus Noster*, seu *Welfo* Fundator aut Restaurator Rhenaugiæ *Tertius*, in chartis non solum domesticis, sed etiam extraneis celebratissimus? qui hoc ipso tempore intermedio vixit, qui quoque in Diplomatibus, tempore intermedio datis, *Vir Nobilis, Vir Illustris, Vassus Regius, Fidelis, Loci Dominus &c.* compellatur. Hunc sane Viri Eruditi felicius adoptarunt (a), quam alii nostrarum rerum ignari, qui ad explendam Genealogiæ lacunam Henricos aut Rudolphos gratis ingeminarunt (b). Certe si rationes a nobis adductæ pro Welfica Fundatorum nostro-

(x) Loc. cit. apud Basnag.
(y) Apud Eckardum in Corp. Hist. medii Ævi T. II. pag. 659.
(z) Inter Scriptores Brunswicenses, T. I. Leibnitius pag. 801.
(a) Eckard, Schneidius, Zurlauben.
(b) Aventinus, Latius de Gent. Migrat. pag. 363.

noſtrorum origine quidpiam probant, eæ *Wolfenum Ethiconis Senioris* Filium fuiſſe, indubitanter demonſtrant; aut enim noſtra Monumenta ſunt penitus rejicienda, aut noſter *Wolfenus* eſt neceſſario *Ethiconis Senioris* Filius. Etenim ab anno 778. usque ad annum 852. tres habuimus Fundatores, ſibi invicem per intervalla ſuccedentes, videlicet Filium, Patrem, & Avum. Filius erat *Wolfenus*, ſic ipſemet in chartis teſtatur; Pater erat *Ethico Senior:* Avus denique erat *Welfus Primus* ſeu *Magnus.*

Jam *Wolfenus* noſter alterum genuit *Ethiconem*, ſcilicet *Juniorem;* qui ſub Carolo Craſſo floruit, & Fundator Monaſterii Ambirgenſis extitit. De hoc Ethicone accipienda ſunt, quæ Anonymus Weingartenſis narrat; quod nempe Filio ſuo Henrico, Ludovici, Filii Arnolfi, aulam ſecuto, valde indignatus fuerit, prætexens, per hanc ſubjectionem Libertatem atque adeo Nobilitatem ſuam nimium quantum decurtatam iri; cognominis ſibi Avi faſtum æmulatus. Unde aſſumptis duodecim Miniſterialibus infra Montana ad villam, Ambirgo dictam, ſeceſſit, ibidemque collectis Monachis, Cellas conſtruere cæpit. Hæc Anonymus; & hæc ipſa, quæ narrat, videntur cauſa præcipua, cur hac in parte hallucinatus ſit, dum utrumque Ethiconem confudit. Quippe noſtrarum rerum ignarus, de Wolfeno intermedio nihil ſcivit; hinc deficientibus ſibi monumentis, per ſequelam quaſi neceſſariam in errorem delapſus fuit. Nam utriusque Ethiconis erant ſimilia Natalia, ſimilia Nomina, ſimilia Facta, ſimilis Ambitio, ſimilis Locorum Mutatio, ſeu priſtinæ Sedis Translatio, non quidem in eundem locum in individuo, attamen in locum diverſum a priore habitaculo. Quid ergo mirum, quod Vir Clariſſimus, & in Genealogia Welfica cæteroquin verſatiſſimus, in re tam abſtruſa & implicata humanum quid paſſus fuerit. Cæterum Ambergoviæ adſitum eſt oppidum Ettal, ſeu Ettonis vallis inter editiſſimos Bavariæ montes, qua Tiroli jungitur; ubi duo Torrentes magno aquarum ſtrepitu in Ambronis Fluenta præcipitantur. Circumjacent Monaſteria *Füeſſen, Raitenbuch* & *Steingaden*, a Welforum Poſteris fundata. Refert Annaliſta Saxonicus (c); quod Henricus Niger, Dux Bavariæ, anno 1121. in eodem loco, Ettal dicto, Eccleſiam ſuper oſſa Majorum ſuorum ædificarit. Hac tandem vetuſtate collapſa, Ludovicus IV. Imperator Bavarus eodem in loco inſigne Ordinis noſtri Monaſterium anno 1330. fundavit, aut certe reſtauravit.

Ut

(c) Loc. cit. pag. 661.

Ut autem ad *Wolfenum* noftrum revertamur, eidem præter *Ethiconem* Filium, *Dietbergam* quoque Filiam adfcribunt monumenta noftra; quæ an eadem fit cum Augufta Conjuge Ludovici II. Imperatoris, Filii Lotharii, nolim quidem ex tripode decernere: quamvis hanc ipfam Auguftam Conjugem Welficæ ftirpis furculum fuiffe, Viri Eruditi contendant; quicquid contradicat Heumannus (d). Illud certius videtur ex chartis, quas fuis annis referemus, nempe præter jam adductos Liberos, infuper *Wolfeni* Filios fuiffe *Boffonem* & *Ruadpertum*, cui plures Filii ex chronico Manufcripto Einfidlenfi attribuuntur. Memorantur quoque in chartis noftris duo Comites *Adalbertus* & *Gozbertus*, tanquam Cognati, & Confobrini noftri *Wolfeni*.

Ethiconi Juniori unicus quidem Filius affignatur ab Anonymo Weingartenfi *Henricus* fcilicet *cum aureo curru*, fic dictus ob factum five verum five fictum; quod nimirum fraude joculari, adhibito aureo curru, a Germaniæ Rege Ludovico Tertio (Arnolfi Filio, qui in Chronico Welfico cum Henrico conjungitur) ampliffima Latifundia nactus fuerit. Eundem tamen *Ethiconem* plures genuiffe Filios, exinde credibile redditur; quod plures aliæ Principes Familiæ ad Gentem Welficam origines fuas referant; quas inter *Zollerana*, Sereniffimorum ac Potentiffimorum *Boruffiæ* Regum Mater fœcundiffima, præcipuum locum tenet.

Henricus transtulit Monachos Ambergenfes in Altenmünfter, ubi Sanctus Alto corporaliter requiefcit; ibidemque Abbatiam fatis divitem ac religiofam perfecit: prout Anonymus narrare pergit; qui infuper addit: quod idem Henricus poftea in Altorfenfi villa Abbatiam cum Sanctimonialibus in loco, ubi nunc Parochialis Ecclefia eft, conftruxerit. Tandem vero Welfici Henrici progeniem his verbis profequitur: *Idem Heinricus* Uxorem duxit de Hochinwarte in Bavaria, Beatam nomine, ex qua tres Filios genuit: Sanctum *Counradum* Conftantienfem Epifcopum, *Ethichonem* (quem tamen in vita Sancti Conradi *Welfum* vocat) & *Rudolfum*. Ex quibus Sanctus *Conradus*, non tam Epifcopali follicitudine, quam Welficæ Familiæ neceffitudine permotus, *Rhenaugienfe Monafterium*, ab Hungaris vaftatum, reftaurandum & adminiftrandum in fe fufcepit; donec tandem illud ipfum, ruinæ fubtractum, proprio Abbate ex gremio electo, priftinæ libertati reftituerit. Quod vero deinceps in noftris chartis rara admodum Welforum mentio occurrat, mirum non eft; cum Sedem priftinam penitus mutaverint; nam Wolfeno Monachum induto, & in Abbatem noftrum electo, tota Rhenaugia unacum terris adjacentibus Monafterio noftro jure perpetuo adfcripta fuit.

Rudol-

(d) De Re. diplom. Imperatri. pag. 44.

Rudolphus Henrici Filius accepit Uxorem de Oeningen, Itam nomine; cujus Pater fuit Cuno, Nobilissimus Comes, Mater vero fuit Richilt, Filia Ottonis Magni. Altefatus Cuno est is ipsus, qui Collegium Canonicorum Regularium Oeningæ fundavit, confirmatione ab Ottone Magno obtenta. De Rudolpho autem Anonymus sequentia habet. „Rudolfus præfatus ex sua Ita duos „Filios *Heinricum* & *Guelfonem*, & Filiam *Richardam* nomine progenuit. Hein„ricus Juvenis interiit: Guelfo autem Monachos ex Altenmünster Altorfium „transtulit, & Sanctimoniales illuc ponendo permutavit. Hic genuit Filiam „*Chunizam*, & Filium sui nominis *Guelfum* Ducem Carinthiorum, qui, exusto „priori, Monasterium in honore Sancti Martini fundavit, nomen Winigartin „(Weingarten) imponens, in quod de Villa translatis Monachis, Ecclesiam prio„rem Parochialem esse constituit. Hic denique Gwelf sub juvenili ætate in „Castro Botamo moriturus, Cænobium Altorfense hæredem instituit: at Mater „ejus, sciens se hæredem habere ex Filia, missis in Italiam Legatis, donatio„nem interdixit." Hucusque Anonymus. Cæterum in Chronico Welfico Ottoni Tertio Imperatori adjungitur præter morem *Noggerus* quidam Abbas his verbis: *Otto Filius ejus* (Ottonis II.) *annis XVIII.* regnavit (e). *Nogger Abbas claruit.*" Quæ ultima verba procul dubio nostrum *Nockerum* Rhenaugiensem denotant; qui ab Ottone III. insigne Diploma obtinuit: qua autem ratione Welficam Gentem attigerit, nos prorsus latet; id unum scimus, quod Monasterio a Welfis fundato laudabilissime præfuerit. Occurrit quoque in nostris Annalibus ad annum 1098. quidam *Welfo* seu *Wolfenus* Abbas Rhenaugiensis; de quo tamen præter nomen vix aliquid superest, & forte ad alium Welficæ Familiæ ramum referri debet.

Hic exspirat *Prima Welforum Progenies Mascula* in Alemannia. Unde *Secundam* hujus Gentis *Lineam* constituit *Azo* hujus Nominis *Secundus*, & ipse pariter Welfus, ex Adalberto Ruthardi Fratre progenitus; qui utramque Welforum stirpem Alemannicam scilicet & Italicam propagavit per duas Uxores *Chunizam* & *Gassendam*, quas successive duxit. Prior Conjux *Chuniza* seu Chunegunda erat Welfi Ultimi Soror; ex qua Azo genuit Welfum IV., „totius terræ „nostræ, inquit Weingartensis, futurum Hæredem & Dominum, qui primus ex „Nostris Ducatum Bawariorum adeptus est." Duos habuit Filios, *Welfum V.*, Bavariæ Ducem; cujus Uxor intacta Mathildis Comitissa, ex devotione in Romanam

(e) Apud Basnag. T. III. pag. 597.

manam Ecclesiam notissima est: & *Henricum Magnum*, Saxoniæ simul ac Bavariæ Ducem; cujus Filii sunt *Welfus VI.* Dux Bavariæ, ac Pater *Welfi VII:* & *Henricus Superbus* Dux Saxoniæ; qui genuit *Henricum*, *Leonem* dictum, Saxoniæ Electorem. Hic ex felicissimo thoro tres Filios suscepit, videlicet *Ottonem IV.* Imperatorem (qui Rhenaugiæ nostræ insigne Diploma cum raro Sigillo Majestatico impertitus est) *Henricum* Electorem Palatinum, & *Wilhelmum;* cujus Filius *Otto* anno 1235. creatus est Dux Brunswicensis ac Luneburgensis, & hac ratione evasit stipes faustissimus Serenissimorum Electorum Regumque, qui hodie Hannoveræ & Magnæ Britanniæ imperant.

Ex *Gassenda*, Roberti Guiscardi Apuliæ Ducis Filia, secunda Uxore sua Altesatus *Azo* propagavit stirpem Welsorum Italicam, cujus Posteri, Duces Ferrariæ & Mutinæ, e Serenissima Domo Estensi ad nostra usque tempora superfuerunt, & jamjam felicissimo Conjugio ad Augustissimam Domum Austriacam transierunt.

Hæc est Genealogiæ Welficæ pars præcipua, quam nobis potissimum conservavit Anonymus Weingartensis. Cæterum, ut eruditissimus Senckenbergius optime notavit, multi Rami Welficæ Familiæ ex defectu Scriptorum incogniti manserunt, quorum obscura duntaxat vestigia supersunt. Potuit etiam ipse Welfus Primus, Ruthardi Filius, plures habuisse Fratres, ex quibus diversæ Familiæ, seu potius diversi Rami ejusdem Familiæ oriri potuerunt. Certe nemo negaverit, Primam stirpem Comitum de Kiburg ad Welsos esse referendam, cujus tamen nexum nemo facile enodaverit.

Dissertationi huic præliminari coronidem imponimus cum Epitaphio Fundatorum nostrorum, quod Reverendissimus & Amplissimus DD. Abbas Januarius anno 1770. renovari curavit, & quidem jure merito, cum primum Epitaphium, a Reverendissimo Geroldo II. de Zurlauben fieri curatum, in chronotaxi menda quædam contineret, quæ Reverendissimus Calmet frustra corrigere conatus est (f). Cæterum Monumentum ipsum vetustissimum est, ac perpetuo in Ecclesia Rhenaugiensi conservatum. Constat Sarcophago Lapideo, undique clauso; quod olim in medio veteris Ecclesiæ positum, alio lapide nonnihil a terra elevato tegebatur, cujus inscriptio simpliciter Sepulchrum Fundatorum designabat. Ex quo tamen liquido apparet, non unum duntaxat Fundatorem, sed plures ibidem fuisse reconditos. Hinc probabiliter præter Wolfenum Restauratorem,

(f) Iter Helvet. pag. 119.

rem, ac poftea Abbatem, etiam Welfus Primus illius Avus, & fortaffis Dietberga Wolfeni Filia, pariter Necrologio noftro adfcripta, Rhenaugiæ requiefcunt. Altefatum Monumentum crate lignea ab incedentium pedibus defendebatur, & quibusdam diebus per annum, ad hoc fpecialiter deputatis, honoris gratia tapete, umbella, luminibusque ornabatur. Hodiedum idem ipfum Monumentum extra chorum in navi Ecclefiæ ad Aram Sanctæ Crucis parieti imminet, præfertque fequentem Infcriptionem.

Piis Manibus
Welforum Alemanniæ Ducum,
Monafterii Rhenaugienfis Conditorum.
Wolfehardo Avo,
Ludovici Pii Imperatoris Socero,
Fundatori Primo ad Annum DCCLXXVIII.
Ethiconi Patri,
Egregiæ Libertatis Principi,
Fundatori Secundo ad Annum DCCCXX.
Wolfeno Filio,
Viro Nobili & Inluftri,
Ludovici Germanici Vaffo,
Reftauratori ad Annum DCCCLII.
Ac demum Abbati Venerabili
Ad Annum usque DCCCLXXVIII.
(Quorum Cineres,
In Veteri Olim Ecclefia Cum Honore Servatos,
Sub Hunc Lapidem Anno MDCCX. Condiderat
Rm̃us Abbas Geroldus II. de Zurlauben.)
Ifthoc Æternæ Gratitudinis Monumentum
Poftliminio reftituit
Rm̃us Perillris & Amplm̃us D. D.
Januarius Hujus Monafterii Abbas
Anno MDCCLXX.

§. 7.

Brevis Reflexio in secundam Dissertationem.

Ex argumentis probabilibus, in secunda Dissertatione allatis, elucere videtur veritas historica de primo ac Primævo Fundatore nostro. Etenim ex dictis patet, quod Welfi sint Fundatores nostri; vidimus namque Fundatores Rhenaugienses cum Welfis convenire in Nomine §. 2, in Dignitate §. 3, in Situ & Loco tum Habitationis, tum Amplissimorum Prædiorum, & Latifundiorum §. 4, in ætate quoque, seu in tempore Fundationis, nec non in fortuna utrisque communi tum prospera tum adversa §. 5. Vidimus insuper in Paragrapho sexto ingentem hiatum inter Ethiconem *Seniorem* & *Juniorem* ab anno circiter 836. usque ad tempora Caroli Crassi & Ludovici Junioris; cui errori Nemo sane Virorum Eruditorum hucusque obviare potuit, donec tandem Chartæ Rhenaugienses in lucem publicam prodierint. Adhæc constat ex Authographis, quod Wolfenus Noster (Tertius Fundator seu Restaurator) tempore intermedio non tantum vixerit, sed jamjam ab anno 837. usque ad annum 878, quo mortem oppetiit, sui juris fuerit, & de Bonis suis propria authoritate dispofuerit. Nam ab anno 837. donationes Bonorum, commutationes Prædiorum, dotationes Monasteriorum, Cambia & Concambia fecit, & variis Diplomatibus Regiis subscripsit.

His omnibus præsuppositis, certum est ex domestica nostra *Charta II.* de anno 852. in Diplomate Ludovici Germanici (g) quod Altesatus *Wolfenus* sit *Nepos Primi Fundatoris nostri;* dicitur enim in hoc Diplomate: Cœnobium ab ipso Wolfeno, & ab ejus Patre & Avo constructum. Certum quoque est ex hac ipsa *Charta II.* (h), quod Privilegia & Latifundia nostra *a Patre & Avo Ludovici Germanici* jamjam fuerint confirmata. Ex quo indubitanter sequitur, quod, sicut *Wolfenus* est Filius *Secundi*, & Nepos *Primi Fundatoris*, sic pariter *Ludovicus Germanicus* sit Filius *Secundi*, & Nepos *Primi Confirmatoris* nostræ Fundationis. Jam ad rem. Wolfenus noster certo vixit sub Ludovico Germanico, Ethico Senior aut nunquam fuit, aut certo vixit sub Ludovico Pio, Welfus Magnus certo vixit

(g) *Quemdam nobilem Virum de Alemannia Nomine Wolvene, cujus Avus, & Pater, nec non ipse quoddam Cœnobium Rinauua nuncupatum in Alemannia construxerant.*

(h) *Quæcunque autem potens vel impotens persona hoc statutum bonæ memoriæ Caroli Avi Nostri, ac piæ recordationis Hludowici Patris nostri una cum nostra confirmatione aliqua temeritate transgredi, & infringere præsumpserit &c.*

vixit sub Carolo Magno; ergo ex his necessario inferri videtur, quod Wolfeni Avus fuerit Welfus Magnus: tum quia Welfus Magnus sub Carolo Magno vixit; tum quia inter Wolfenum Restauratorem & Primum Fundatorem duæ solummodo Generationes intercesserunt, videlicet Pater & Avus; tum denique quia inter Wolfenum nostrum, & Welfum Magnum non datur terminus intermedius, nisi Ethico Senior, Welfi Filius, Wolfeni Pater. Nec potest dici, quod Ethico Senior sit una eademque Persona cum Wolfeno nostro; sunt enim revera duo Welfi ab invicem distincti: eo quod Ethico Ministeria Regum exhorruerit (i), noster autem Wolfenus eadem Ministeria sæpius obierit.

Circa annum Fundationis Majores nostri pariter ex antiquissima traditione unanimiter semper consenserunt; quod prima Monasterii fundamina anno septingentesimo septuagesimo octavo fuerint jacta: huic traditioni per integrum Millenarium propagatæ nemo unus unquam contradixit. Sed ex hac ipsa unanimi & antiquissima traditione oritur gravissimum dubium, quod Viris Eruditissimis, & optime sentientibus tam de nostra Fundatione, quam de nostris Fundatoribus, suspectum reddit nostrum Fundatorem Primarium ac Primævum scilicet *Welfum Magnum*, propter Juditham ipsius Filiam, Ludovici Pii Conjugem secundam. Hæc enim primum anno 819. Ludovico Pio desponsata fuit; si ergo *Welfus Magnus* jamjam anno 778. subsidiarios Milites contra rebelles Saxones ad Carolum M. adduxit; si pariter hoc eodem anno prima Monasterii nostri Fundamina jecit: certe qua Monasterii Fundator sui juris fuit, & qua Copiarum Præfectus vigesimum saltem ætatis suæ annum attigit; ex quo sequitur, quod jamjam quadragenario major fuerit, cum Juditham genuit: hæc enim vix annum ætatis vigesimum excesserit, cum Ludovico Pio nupsit. Ex hac chronotaxi gravis quidem difficultas, nulla tamen impossibilitas oritur. Etenim *Welfus Magnus* ubique Vir Bellicosus, ac Fortissimus Heros deprædicatur; unde Nomen *Magni* accepit: ergo sine dubio maximis animi dotibus, & corporis viribus emicuit; ut jamjam anno ætatis vigesimo, aut saltem vigesimo quarto subsidiarias copias in aciem educere, & anno ætatis quadragesimo secundo, aut quarto, aut etiam octavo, adhuc Filiam omnibus numeris absolutam procreare potuerit. Neque mirum hoc, aut novum cuiquam videbitur; cum etiam nostra ætate sæpissime contingat, ut Quadragenarii aut Quinquagenarii Liberos generent. Deinde Ludovicus Pius Vir erat 43. annorum, dum secundas nuptias cum Juditha celebravit; igitur

(i) Analista Saxon. apud Eckardum Corp. Hist. med. Ævi. T. II. pag. 659.

igitur non eſt credibile, quod Quadragenarius tenellam Puellam, pubertatis annos paulo ante ingreſſam, matrimonio ſibi copulaverit: ſatius videtur ac probabilius; quod Cæſar Auguſtiſſimus, illo tempore tam bello quam pace clariſſimus, maturiorem Virginem (viginti circiter annorum) & Regni & vitæ Sociam ſibi delegerit. En! annorum computum cum noſtro *Fundatore Primævo* facile comparandum. Conjecturas, quas in hac chronotaxi proferimus, ex principiis aut certis aut ſaltem probabiliſſimis, ſupra allegatis, deducimus; nec noſtro ingenio fidimus, ſed Viros Eruditiſſimos ac perſpicaciſſimos, in præcedentibus paragraphis citatos, ſequimur, ex quorum principiis noſtra ratiocinia componimus. Tandem pro coronide hujus Diſſertationis declaranda veniunt verba Thegani Authoris coævi; qui Welſum Primum, Judithæ Imperatricis Patrem, *Bojum*, & *Bojoariæ Ducem* appellare videtur: ut proinde Rhenaugienſe Monaſterium, in Alemannia poſitum, fundare vix potuerit, eo minus, quod Wolfenus, Primi Fundatoris Nepos, *Vir Nobilis in Alemannia* nominetur. Verum rem maturius ponderanti facile patebit, quod verba Thegani noſtræ opinioni nihil derogent. Nam primo Welfus a Thegano non vocatur *Bojoariæ Dux*, ſed ſolummodo *de Nobiliſſima ſtirpe Bavarorum progenitus* (k); quod nos lubentiſſime concedimus. Secundo: eſto, quod a Thegano *Bojoariæ Dux* vocetur; hoc ipſum tamen non obſtat, quin etiam Poſſeſſiones ſuas in remotiores Alemanniæ partes extendere potuerit, ut proinde omni jure *Vir Nobilis in Alemannia* dici meruerit. Deinde non Noſter Fundator Primus, ſed Ejus Nepos Fundator Tertius *Vir Nobilis in Alemannia* vocatur, qui eodem jure *Vir Nobilis in Italia* dici potuiſſet, quia in Pagis Veronenſi & Tortonenſi (tunc temporis ad Bojoariam ſpectantibus) (l) ampliſſimas Poſſeſſiones habebat, quarum notabili parte Monaſterium noſtrum dotabat (m). Quid enim obſtaret, ſi Bavarus ſimul, & Alemannus, & Italus diceretur, prout E. G. Auguſtiſſimus Cæſar Comes Tirolis, Archidux Auſtriæ, Rex Hungariæ & Bohemiæ &c. dicitur. Certe Anonymus Weingartenſis ſummo ſtudio Welforum Proſapiam indagavit; & quamvis improbo labore de eorum Progenie nil certi explorare potuerit, id ſaltem ſeſe comperiſſe fatetur, quod veteres Welfi *habitaverint ad Ripam Rheni in Confinio Germaniæ & Galliæ* a Valentiniano III. tunc exacti, ut conſonat Glacius auctor

(k) In vita Ludovici Pii. N. 26. in Caniſii lect. antiq. edit Basnagii Tom. III.

(l) Schœpflin. T. I. Hiſtor. Zaring. Bad. pag. 45.

(m) Charta X. de anno 858. In Italia in Pago Veronenſe & Tortonenſe.

auctor coævus. Cui adstipulatur eo vetustior Otto Frisingensis, dum ait: *Welfos consedisse apud Galliæ Germaniæque Fines* (n). Et Hermannus contractus, Author gravissimus, Welfos *Suevigenas* appellare sæpius non dubitavit (o). Sequuntur alii Scriptores, ut Conradus Urspergensis & Prior Eberspergensis, qui *Welfos per diversas Provincias dominatum obtinuisse*, narrant (p). Vetustissimus quoque Author vitæ S. Altonis Patrem Wolfhardi, Fundatorem Monasterii Altmünster in Bavaria, Alemannum dixit: *Potens quidam in Alemannia* (q), iisdem propemodum usus verbis, quibus Fundatores nostri exprimuntur. Adhæc Astronomus & Anonymus Poeta in vita Caroli M. non Bojoarios sed Alemannos anno 778. Carolo suppetias contra rebelles Saxones tulisse, testantur (r), quorum Ducem fuisse Welfum I. (utique Alemannum) ex subscriptione Testamenti, a Fulrado Abbate eodem anno facti apud Heristallum, Viri Eruditi deducunt. Insuper *Ruthardum & Warinum totius Alemanniæ Rectores fuisse*, ex Wallafrido nemo nescit (s); ex alterutro autem, & quidem nominatim ex Ruthardo, Welfos prodiisse, supra ex Eccardo juniore vidimus, dum Rudolphum & Wolfhardum Comites Altorfenses ex Persecutoribus S. Othmari natos fuisse, testabatur (t).

Nostram sententiam maxime corroborant facta & gesta S. Conradi Constantiensis Episcopi, qui sæculo X. Monasterium nostrum ex Progenitorum suorum hæreditate fundatum, sed per Hungarorum invasionem pene destructum, restaurare cæpit; factus proinde noster Abbas piissimus, & Restaurator integerrimus. Hic optimus Princeps nulla quidem Bona nobis tribuit, sed jam habita ab interitu vindicavit; ideoque Monasterium unacum Episcopatu (cui plurima Bona donaverat) in utraque substantia pluribus annis sapientissime rexit. Post mortem sancti Episcopi maxima dissidia exorta sunt inter Cameram Episcopalem & Monasterium Rhenaugiense propter nostra Bona temporalia, cum Bonis Episcopalibus ex diutina administratione permixta. Etenim plura hæreditaria Welforum Bona S. Conradus Episcopatui donaverat; cum vero etiam nostræ Fundationis Bona

(n) De gestis Friderici I. Lib. II. c. 2. apud Urstis.
(o) In Chronico ad annum 1025. & 1045.
(p) Apud Pezium.
(q) Apud Boland. T. II. Februar. pag. 306. N. 6.
(r) Apud Reuber. pag. 22. & Bœcler. pag. 18.
(s) Apud Goldast. pag. 178.
(t) Ibidem pag. 18.

Bona fuerint *Hæreditaria Welforum Bona*, a S. Conrado piiſſime adminiſtrata: Hinc Camera Epiſcopalis notabilem noſtræ primævæ Fundationis partem ſibi arrogabat, prætexens, eſſe Hæreditaria Welforum Bona, & conſequenter (prout ipſi perperam inferebant) Epiſcopatui adſcribenda. Ex quo neceſſario inferri videtur, quod noſtri Fundatores fuerint Progenitores S. Conradi, & conſequenter iidem Welfi, ex quibus Altorfenſes deſcendebant; quia nos in primæva noſtra Fundatione ex eadem hæreditate participavimus, ex qua S. Conradus poſtmodum ſua Bona paterna hauſit. Et utique S. Conradus, illorum temporum ſuppar, melius noverit, quænam ſint hæreditaria Welforum Bona, quam nos, qui millenis annis ab illo tempore diſtamus.

Nec illud prætermittendum eſt, quod Henricus Welficus Dux non ſolum Bavariæ ſed etiam Saxoniæ Monaſterium Itingenſe in Turgovia, paucis horis a Rhenaugia diſſitum, *In hæreditate ſua & Parentum ſuorum* fundaverit, prout ipſemet teſtatur in Diplomate Aſte in Italia dato de Anno 1155. (u). Cui Monaſterio Henrici Frater Welfus Bavariæ Dux, ac Mathildis Comitiſſæ Maritus, Locum *Islingen* adjecit, ac jure perpetuo incorporavit anno 1160. (x). Jam ergo certum eſt, quod *Islingen Turgovienſe* ad hæreditatem Welforum pertinuerit, cui proxime adjacet *Ardelfingen*, a Fundatoribus noſtris nobis donatum, quod etiamnum hodie annuos cenſus Monaſterio noſtro perſolvit. Ex quibus ſic argumentor: potuit Henricus Bavariæ & Saxoniæ Dux in terris Rhenaugiæ vicinis Monaſterium fundare, eique Bona Hæreditaria, ibidem jacentia, attribuere circa medium ſæculi duodecimi, quando Welforum potentia in noſtris Partibus multum erat imminuta; cur non æque potuerit fundare Monaſterium Rhenaugienſe Welfus primus, ſecundus, & tertius ſæculo octavo & nono, quo tempore Welfi (quamvis de Nobiliſſima ſtirpe Bavarorum progeniti) præpotentes erant in Italia, Rhætia, Burgundia, Alemannia, & præcipue ad Ripam Rheni, in Confinio veteris Galliæ & Germaniæ, in cujus meditullio, & in proximis Welforum Poſſeſſionibus, ſita erat noſtra Rhenaugia.

Hactenus diſputata Doctiſſimorum Virorum calculis ſuffulti digeſſimus; quodſi tamen aliis Eruditis iſta non probentur, oſtendant nobis in tanta Antiquitatis caligine meliora, noſque haud gravate ſequaces habebunt.

ANNA-

(u) Apud Herrgott Geneal. Diplom. T. II. hoc anno Num. 232.

(x) Charta a Welfo data eſt eodem anno 1160. ex Archivio Itingenſi inter Monumenta noſtra.

ANNALES
MONASTERII RHENAUGIENSIS
AB ANNO CHRISTI 778. USQUE AD ANNUM 1778.

SÆCULUM PRIMUM.
WOLFHARDUS,
FUNDATOR PRIMUS.

Annus a Virginis partu feptingentefimus feptuagefimus octavus volvebatur, cum *Wolfehardus* feu *Welfus Magnus*, Vir Nobilis & Illuftris, Monafterium Rhenaugienfe in Alemannia, *in Pago Turgowe* (a) *ob Laudes Divinas, & Regulares Difciplinas* (b) *in Honore Sanctæ Mariæ Virginis conftruere cœpit.* Carolus M. Francorum Rex eodem anno bello Hifpanico occupatus, cum comperiffet, Saxones, usque ad Rhenum progreffos, ferro & igni omnia depopulari (c), orientales Francos, & Alemannos contra eos mifit. Alemannorum auxilia ferentium Dux erat *Nofter Wolfhardus*, qui hac eadem occafione Teftamento Fulradi Abbatis Sancti Dionyfii prope Parifios Heriftalli ad Mofellam præfente Rege fubfcripfit (d); atque more patrio fundati a fe Monafterii confirmationem a Carolo

(a) Pagus Turgowe, feu vetus Turgovia erat olim ampliffima; quippe tefte Julio Cæfare Lib. I. de Bell. Gall. Edit. Haurifii T. III. pag. 393. extendebat fefe a Rheno & Lacu Podamico usque ad tres reliquos Pagos Vindoniffenfem, Aventicum & Rauracenfem. Etiam tempore Caroli M. a Rheno usque ad Montem S. Gotthardi protendebatur, prout conftat ex Chartis primis apud Herrgottum Geneal. Diplom. T. II. Hodiernus Comitatus Turgovienfis eft veteris Turgowe pars valde modica, circa fæculum undecimum in Comitatum Frauenfeldenfem coarctata, feu potius Comitibus de Frauenfeld adfcripta. Unde etiam circa hoc ipfum tempus Cœnobium Rhenaugienfe (ceu Liberum & Imperiale Monafterium) a Comitatu Turgovienfi fuit feparatum.

(b) Charta II. & X. Cujus Avus & Pater. Schœpflin. Alfat. Diplom. Part. I. pag. 85.

(c) Aftronomus apud Reub. pag. 22. Albert. Stad. a. 778. & Poëta Coævus apud Bœcler. pag. 9. Tunc orientales Francos, nec non Alemannos, obvia ferre jubet ftatim Saxonibus arma. Annal. Franc. Editionis Basnagii T. II. Part. II. pag. 53.

(d) Apud Mabill. Act. SS. O. S. Bened. T. III. P. II. pag. 341 &c. Eckardus Orig. Guelf. T. I. Probat. L. II. pag. 225-227. & Franc. Orient. T. I. pag. 653. & 561.

rolo Rege impetravit; nisi id biennio posterius contigisse, credamus; cum Rex Italiam petiturus, Constantiam venit, ubi varia privilegia Monasteriis contulisse, fertur (e). Perierunt ex injuria temporum priora Regum Diplomata, primam & secundam Fundationem nostram confirmantia, quae tamen revera extitisse, ex Diplomate Ludovici Germanici (f) certo constat, ubi statuitur: *quaecunque autem potens, vel impotens persona hoc statutum bonae memoriae Caroli Avi Nostri, ac piae recordationis Hludewici Patris nostri una cum nostra confirmatione transgredi praesumpserit &c.*

Deficientibus igitur primaevae Fundationis tabulis, malumus nomina primorum Abbatum, siqui fuerint, omittere, quam dubia Lectori obtrudere. Latent pariter Fundi & Praedia in prima Fundatione Monasterio nostro collata; ex sequentibus tamen Chartis (g) constat, Dynastiam *Lauffen* jam tunc temporis Rhenaugiae traditam fuisse cum adjacentibus vicis *Langwisen, Flurlingen, Mörlingen*, & *Tachsen;* quibus adduntur *Gehinhoven*, & *Holzheim*, nomina jam pridem obsoleta, sed fortassis vicos proximos *Uwisen* & *Feürthalen* designantia. Porro *Lauffen* est arx maximis Rheni Cataractis (de quibus supra pag. 1. Dissert. 1. in Hist. Rhenaug.) imminens; quarum prima mentio in nostris monumentis occurrit. Unde jure merito viri Eruditi mirantur, quod de tanto Naturae miraculo veteres Scriptores taceant.

Praeter dictam Dynastiam alios quoque Fundos per primam Fundationem Rhenaugiae adscriptos fuisse, ex Chartis posterioribus compertum est, scilicet in Pago Cleggoviae (h) *Lottstetten* & *Balm;* in Turgovia (i) *Basentingen;* in Alpegovia (k) *Tezelen* & *Bürglen. Lottstetten* postea a Cunone Nobilissimo Comite de Oeningen Collegio Canonicorum Regularium (l) ibidem fundato traditum fuit. Altefatus Cuno erat Gener Othonis Magni, & habebat ex Conjuge sua Richlinc (m) Filiam Itam nomine, quam Rudolphus, S. Conradi Frater Germanus, ex Posteris Nostri Wolfhardi Uxorem duxit.

Hisce

(e) Mabill. Anal. Bened. T. II. ad an. 780. N. 5. item Bucelin. chron. Constant. eodem anno.
(f) Charta II. item Hottinger. Histor. Ecclesiast. Helvet. T. I. ad an. 778.
(g) Charta X. XIV. & XX.
(h) Charta XII. & XX.
(i) Charta III.
(k) Charta I. & XLV.
(l) Ex ejusdem Collegii Diplomate.
(m) Anonymus Weingartensis de Guelphis, Msc. Augiae Divitis; & Edit. Canisii pag. 182. habet Richluit.

Hisce temporibus Alwicus, qui & Alcuinus & Albinus, apud Regem Carolum, teste Hermanno contracto (n) vita & doctrina claruerat; cujus Liber precatorius, quem Carolo M. composuerat, & qui jussu Caroli Calvi litteris aureis descriptus fuerat, Rhenaugiam devenit sæculo XVI; & eodem sæculo a Theobaldo Abbate nostro dono datus est Wilhelmo Serenissimo Bavariæ Duci, atque Typis Ingolstadiensibus in lucem editus (o). Prostant & in nostro Musæo plurimi alii Codices Manuscripti, a sæculo octavo usque ad nostra tempora, quorum mentionem hoc loco studiose prætermittimus; eo quod specialis catalogus desuper in lucem proditurus sit.

Anno octingentesimo in die Natalis Domini (p) Carolus Romæ, a Leone III. Corona imposita, Primus Regum Francorum Cæsar Augustus & Imperator, Romanis festive acclamantibus, appellatus est. Eodem anno Nortmanni pyraticam exercere, atque alienas terras hostiliter invadere cœperunt (q); exinde Hyberniam per annos triginta indignissimis depopulationibus devastarunt.

Anno quinto Caroli Imperatoris *Wolwinus* Comes, quem Herrgottus (r) Fundatorem Rhenaugiæ, atque adeo eundem cum *Welfone* seu *Wolfhardo* ominatur, adscriptus reperitur Chartæ, qua Monasterio S. Galli quidam Fundi in Pago Brisgowe in Marcis Sedilon & Antparinga (Selden & Ampringen) donantur (s). Anno sequente, facta Regnorum divisione a Carolo Patre inter Filios suos, Ludovico obtigit Aquitania, Italia Pipino cum parte Alemanniæ, Pagisque *Burgowe* & *Hegowe*, Carolo Germania cum Pago *Cleggowe*, adeo equidem, ut locus *Ege*, adhucdum hodie sic vocatus, qua linea recta ad majores Rheni Cataractas itur, tam Pipini quam Caroli regna divideret (t).

Anno octingentesimo duodecimo classis Danorum, Hyberniam invadens, a Scotis (u) devicta est. Ubi notandum, quod Dani & omnes reliqui, qui trans Daniam sunt, Populi Nortmanni vocentur (x).

(n) Ex Msc. coævo Augiæ Divitis, & Editione Canisii.
(o) Mabill. Anal. Bened. T. III. pag. 34.
(p) Ex Msc. Augiæ Divitis ad annum 801; nam Hermannus annum inchoat a die Natalis Domini.
(q) Eginhardus apud Baronium, Pagium & Camdenum pag. 685.
(r) Genealog. Diplom. T. II. Part. I. pag. 17.
(s) Schœpflin. Hist. Zär. Bad. T. I. pag. 426.
(t) Eckard Franc. Orient. T. II. pag. 44.
(u) Hermannus & Regino eodem anno.
(x) Albert. Stadens. ad annum 810.

Anno ſequente Ludovicus, cum jam tres Filios Lotharium, Pipinum, & Ludovicum ex Irmengarde ſuſcepiſſet (y), conſors Imperii declaratur. Mors vero Caroli Magni anno 814. quinto Kalendas Februarii Aquisgrani ſubſecuta Ludovicum Pium (z) ſolum regnare fecit; qui poſt triennium Lotharium Primogenitum ſuum Imperii conſortem, Ludovicum vero natu Minimum Bavariæ Regem conſtituit.

Interim Ludovicus Pius, Irmengarde Conjuge ſua demortua ad ſecunda vota transiit, atque Juditham Welfi Ducis, ſeu noſtri Wolfhardi Filiam matrimonio ſibi copulavit anno 819. Noſter tamen Wolfhardus aut jam fuit hoc tempore mortuus, aut ſaltem nuptiis Filiæ diu ſupervivere non potuit; eo quod Helwich, ſeu Hegilwigis illius Uxor, Soror Egberti Ducis (a) ex nobiliſſimo genere ſaxonico, anno 825. Abbatiſſa fuiſſe dicatur Monaſterii Calenſis, hodie Chelles prope Pariſios. Eam vulgati indices ſucceſſorem conſtituunt Giſilæ Sororis Caroli Magni, quæ obiit anno decimo ſupra octingenteſimum. Verum Mabillonius, qui Helwigem venerabilem vocat, mavult initia ejus regiminis differre ad ſupra dictum annum quintum & vigeſimum, eamque perveniſſe probat usque ad annum octingenteſimum trigeſimum tertium, quo Ludovico Pio, Imperatori ac Genero ſuo, author fuit, ut elevari ac transferri curaret corpus Beatæ Bathildis, quondam Reginæ, ac ejus Cœnobii Sanctimonialis (b).

Igitur annus, quo obiit Wolfhardus Monaſterii noſtri Fundator Primus, manet incertus, ſed non æque dies, quam Eckardus (c) aſſignat decimam tertiam Novembris ex Necrologio Sangallenſi, in quo ſequentia habentur: *V. Idus Novemb. obitus Welfhardi Ducis.* In altero codice Sangallenſi, qui dicitur Liber Vitæ, ſeu conſcriptorum Fratrum ac Benefactorum, nomen ejusdem Wolfhardi manu pariter ſæculi noni inſcriptum legi, prout etiam nomen Judithæ Filiæ cum tota ſtirpe Regia (d) in eodem Libro & eodem tempore adnotatum comparet. Legitur in dicto Necrologio S. Gallenſi alius *Wolfehardus* ad diem 7. Aprilis, qui rectius

(y) Hermannus in Chron.
(z) Idem loco cit.
(a) Theganus N. 26. Eckard Franc. Orient. T. II. pag. 154.
(b) Annal. Bened. T. II. pag. 391. 541. 555.
(c) Comment. de Rebus Franc. Orient. & Epiſc. Wircebnrg. pag. 922.
(d) Mſc. Archivii S. Galli, cujus fragmenta Goldaſtus inter Rer. Aleman. Script. T. II. pag. 140. Wolvinus & Wolfhart habetur adſcriptus in eodem libro Fratrum conſcriptorum pag. 2. columna 4.

ctius noster Fundator esse videtur. Cæterum an Wolfhardus Rhenaugiæ in antiquissimo Fundatorum nostrorum Monimento sepultus sit, certo asserere non audeo; verisimile tamen ex alibi dictis redditur, quod Wolfhardus idem cum Wolfeno Nepote ac Restauratore Sepulchrum in Monasterio a se fundato consecutus sit.

ETHICO SENIOR,

FUNDATOR SECUNDUS.

Wolfhardus præter Juditham tres reliquit Filios (e) Ethiconem Seniorem, Conradum & Rudolphum; quorum duo posteriores Sororem suam ad Aulam Regiam secuti, magnos quidem honores adepti, haud minores tamen Aulæ ac fortunæ vicissitudines experti sunt. Ex Conrado prodiere Hugo, & Welfo Abbas Centulensis, seu S. Requerii, nec non Conradus Junior, Pater Rudolphi Primi Burgundiæ Regis.

Ethico Senior, Primogenitus Wolfhardi Filius, avitas Possessiones regendas suscepit unacum Monasterio Rhenaugiensi; cujus pariter Fundator & Constructor in Diplomatibus (f) deprædicatur. Is, arctissima affinitate per Sororem suam cum Ludovico Pio contracta, consuetam privilegiorum confirmationem in favorem Monasterii nostri ab eodem Imperatore impetravit (g); utut alioquin servitia regia aspernari videretur. Nam, teste Annalista Saxonico, noster Ethico erat egregiæ libertatis Princeps, qui nunquam alicui, nec ipsi Imperatori pro aliquo beneficio se subdidit dominio (h).

Anno octingentesimo vigesimo tertio genuit Juditha Filium *Carolum*, postea Imperatorem *Calvum* dictum, Patrem Ludovici Balbi Regis Franciæ occidentalis. Biennio insecuto Ludovicus Ludovici Pii Filius cum Hemma Conjuge sua Bojoariam adiit, licet jam pridem ejusdem Regni Rex designatus fuerit (i).

Interim Ludovicus Pius anno 829. Wormatiæ (k) Carolo Filio suo ex Juditha nato Alemanniam, Rhætiam, & partem aliquam Burgundiæ tradidit, Filiis

(e) Illustrissimus Mareschallus de Zurlauben in dissertatione diplom. de Reg. Burgund.

(f) Charta II. & X.

(g) Eadem Chart. II. vid. supra ad annum 780. *quæcunque autem potens vel impotens persona &c.*

(h) Apud Eckard. in Corp. histor. medii Ævi T. II. pag. 659.

(i) Ex Manuscriptis & Impressis apud Goldastum & Mabillonium in Act. SS. O. S. B. Part. I. pag. 377.

(k) Theganus N. 35.

Filiis suis ex primo toro Lothario scilicet, Ludovico, & Pipino indignantibus. Quapropter Lotharius Primogenitus (l) posteriorem isthanc Regnorum divisionem iniquam esse causatus. anno sequente copias in aciem eduxit, & Patrem ipsum ad Compendium armis aggressus est. Juditham Novercam suam velari, Fratres vero ejusdem Conradum & Rudolphum tonderi curavit, eosque Pipino servandos in Aquitaniam misit. Adnitente tamen Ludovico Bojoariæ Rege, Regina cum Fratribus Imperatori restituta fuit; quamvis hæc ipsa pax modico tempore duraverit. Nam Lotharius in pœnam perfidiæ omnibus Provinciis extra Italiam a Patre privatus, Ludovicum Germanum suum sub specie restaurandæ reformandæque Reipublicæ contra Patrem irritavit. Ludovicus igitur Filius anno 833. circa Festa Paschalia totam Alemanniam ac Franciam Orientalem cum ingenti exercitu peragravit, occupavitqne (unde præcipua Ludovici Germanici Epocha, quæ posthac in Chartis nostris occurret, ab hoc tempore desumenda est) tum junctis cum Fratribus suis copiis in Campo Magno (m) Argentinam inter & Basileam sito Patrem ad deditionem compulit, Regina Juditha, Noverca sua, ad partes Italiæ in Civitatem Bertonam, hodie Tortonam, ablegata. Eodem armorum impetu etiam Fratres Judithæ, quin immo omnes Gentis Welficæ Ditiones, Possessiones, & Fundationes sive sacræ sive profanæ oppressæ ac vastatæ sunt (n) tum in Italia per Lotharium, tum in Alemannia per Ludovicum; qui communi cladi etiam nostra Rhenaugia succubuit, prout idem ipsum posteria Diplomata (o) testantūr, in quibus dicitur, Parentibus Wolfeni inter sese litigantibu Locum (Rhenaugiam) penitus stirpatum fuisse. Ubi nomine Parentum tam Consanguinei, quam Affines merito intelligendi sunt. His turbis noster *Ethico* verisimilius immortuus fuit, quod ex alia Wolfeni Charta (p) haud obscure conjicitur, ubi ait, post discessum Antecessorum suorum fuisse Monasterium nostrum ab inimicis hominibus pene destructum. Si vero noster Ethico ruinæ Rhenaugiensi superstes extitit, certe sedem suam a nostra Rhenaugia in citeriorem Sueviam transtulisse, & publicis negotiis sese subduxisse, dicendus est.

Eodem

(l) Nithardus de Dissensionibus Filiorum Ludovici Pii. L. I.

(m) Theganus N. 42. Nithardus Lib. I. Edit. Bœcleri pag. 86. item Lib. IV.

(n) Mabill. Annal. ad annum 833. N. 9. Ratpertus apud Goldast. Rer. Alem. T. I. p. 6. Quare contigit, ut sicut Regna, ita & Monasteria diversis erroribus & laboribus quaterentur.

(o) Charta IX. (p) Charta X.

Eodem anno Lotharius inaudita audacia Compendii Patrem exauthoravit, eumque Monasterio perpetuo detinendum inclusit. Ast Ludovicus, alter Ludovici Pii Filius, barbarum Fratris animum detestatus, primum legationibus, deinde armis rem adeo præclare gessit, ut Pius Pater unacum Conjuge sua pristinæ dignitati restitueretur; qui, pace composita, Carolo natu minimo Aquitaniam assignavit, Ludovico vero totam Germaniam & Alemanniam tradidit; unde factum, ut eidem Ludovico nomen *Germanici* perpetuo adhæserit. Quamvis autem hac ratione pax publica & tranquillitas exoptata tum Regno tum Imperio redderetur, ipsique Welfi avitas Gentis suæ Possessiones, atque etiam ampliores divitias, procurante Juditha, reciperent; nostrum tamen Monasterium longiore temporis spatio indigebat, donec e ruina & clade funesta in lucem novam resurgeret.

WOLFENUS,

FUNDATOR TERTIUS seu RESTAURATOR MAGNIFICUS.

Wolfenus Vir Nobilis in Alemannia, in Chartis nostris celeberrimus, Filius (q) Ethiconis Senioris, Monasterium Rhenaugiense, a *suis* quidem *Antecessoribus* fundatum, sed *ab inimicis hominibus* vastatum, ab initio sui Regiminis, propriis negotiis & bellorum tumultibus præpeditus, restituere non potuit; paucis interim Monachis in eodem loco, non *penitus* sed *pene stirpato,* jugiter persistentibus. Cum igitur telam Restaurationis necdum texere valeamus, alia facta ad rem nostram plurimum conducentia ex Chartis & Monumentis publicis prosequamur.

Anno Imperatoris Ludovici Pii vigesimo quarto, & Regis Ludovici Germanici quinto, qui incidit cum anno Christi octingentesimo trigesimo septimo, in quadam Charta sangallensi (r) occurrit sub Geroldo Comite, & Berwico Abbate, quidam *Gozbertus* sancti Galli Monachus, & Sacrarius seu Sacrista, qui sub idem tempus (s) ad Bobiense Monasterium fuerat destinatus pro obtinendis Reliquiis S. Columbani, quarum aliquæ Particulæ nostro Wolfeno erant dono datæ (t). Hinc eodem anno Wolfenus noster „gratitudinis ergo ad Ecclesiam S. „Colum-

(q) Eckard Orig. Guelph. T. II. pag. 14.
(r) Ex Archiv. S. Galli.
(s) Ermenricus Monachus Augiæ Divitis ad Grimaldum Abbatem S. Galli.
(t) Muratorius Antiq. Ital. T. I. p. 275. Scheidius Orig. Guelph. T. II. p. 240. & 242.

„Columbani in Pago Turgowe, in loco, qui dicitur Wangas (Wangen) ubi S. Co-„lumbanus olim habitare voluerat, prope Marcha Retiæ, quosdam fundos do-„navit, cum aliis sitis in Marcha Tucunniæ (Tucken) quos a Rickero accepe-„rat"; quocum postea & alter Gozbertus Comes, Benefactor noster, commutationem quandam se fecisse (u) testatur. Chartæ prædictæ adscribuntur Filii *Wolfhardi* seu Wolfeni *Ruatpert* & *Bosso*.

Novis denuo turbis & armis hoc tempore vicinia nostra infestata fuit; cum Ludovicus Pius Regnum Orientalium Francorum Ludovico Germanico Filio suo aufferre molitus fuit (x): quod ille Pravorum invidia factum esse autumans (y) in Alemanniam irruit, & Welfos præprimis ac omnes Welficæ Familiæ addictos persecutus fuit. Hinc Berwico S. Galli Abbate, partibus adversis favente, deposito, Engelbertum substituit, hac tamen ratione, ut & ipse Engelbertus post triennium eandem Abbatiam Grimaldo Archicapellano cederet. Ast Imperator vim vi repulsurus, anno sequente 839. copias suas usque ad Lacum Brigantinum (z) movit, ubi tamen, Festo Paschatis celebrato, Filio reconciliatus est. Verum Ludovicus Filius, vix anno ab inita pace elapso, Francia Orientali sese privatum esse, dolens, conducto numeroso milite, per Alemmanniam, quasi debitum sibi regnum repetens, Francofurtum venit (a); cui Pater, relicta Aquitania, collectis copiis occurrit, sed morbo correptus, in quadam Rheni Insula prope Ingelheimium subsistere cogitur, ubi, Imperii corona Lothario designata, duodecimo Kalendas Julii mortem piissime oppetiit, postquam Ludovicum Filium in gratiam recepit. Post mortem Patris, cum Lotharius universalem Monarchiam ambiret, Ludovicus Germanicus, Fratris fastum non ferens, Adalbertum Comitem ex stirpe Welfica Lotharii Ducem apud Alpes Rhætias aggreditur, eumque acie vincit tertio Idus Maii anno 841. Tum Rheno trajecto, junctis cum Fratre Carolo copiis, ventum est septimo Kalendas Julii ad famosissimum prælium juxta Fontinatam Villam, in quo horribili strage ex utraque parte quam plurimi periere, Ludovicus tamen & Carolus castris potiti sunt, Lothario ad Aquense Palatium fugiente. Post cladem tam funestam concordia sæpius quidem sed frustra tentata fuit; donec tandem anno 843. Virduni divisio Regnorum Regios inter

(u) Charta XIV.

(x) Hermannus.

(y) Mabill. Annal. T. II. N. 1. & 14.

(z) Annales Francici Fuldens.

(a) Hermannus in Chron.

inter Fratres Sacramento firmaretur. In hac Regnorum divisione denuo Germania, Pannonia, Noricum, & Alemannia Ludovico obvenerunt (b); additæ sunt quoque nonnullæ Civitates cum adjacentibus Pagis trans Rhenum propter vini copiam, qua reliquæ Ludovici Provinciæ plerumque carebant. Eodem anno decimo tertio Kalendas Maii (c) Juditha Imperatrix, Fundatorum nostrorum Filia, Soror, & Amita obiit in Comitatu Caroli Filii, sepulta Turonis apud S. Martinum.

Pace Virdunensi optata tandem tranquillitas Alemanniæ reddita fuit; unde Monachis Rhenaugiensibus ex tot tantisque calamitatibus pedetentim eluctari, & non nihil liberius respirare licuit. Mox enim anno sequente occurrit in Chartis (d) nostris Benefactor *Rinloz* nomine, qui per Concambium Bona sua, quæ *Laucheringæ* Pagi Cleggoviensis possederat, Monasterio tradidit, hac tamen ratione, ut eidem ad dies vitæ alia Bona in *Tezilinheim* (Tezeln) Pagi Alpegoviensis a Monasterio redderentur. Charta desuper data est prima inter Chartas ex antedictis turbis residuas; quapropter *Rinloz* Primus inter Benefactores, quorum memoria superest, merito salutatur. Concambium istud fuit celebratum cum consensu Fratrum per concessionem *Gozberti* Comitis, qui an fuerit Missus Regius, an Comes Alpegoviæ, incertum est. Abbatem vero tunc temporis nullum Rhenaugiæ præfuisse, satis luculenter apparet, eo quod, si extitisset, procul dubio Chartæ adscriptus fuisset, prout in reliquis Chartis semper adscriptus reperitur. Comes vero Cleggoviæ notatur *Adilbertus*, & annus a dicta pace secundus Ludovici Regis, qui sæpius in nostra vicinia comparuit; & anno 846. juxta Lacum Brigantinum (e) secundo Nonas Aprilis Pascha celebravit.

Dum ergo tandem aliquando tempus restaurandæ Rhenaugiæ advenit, opportuna occasione Sydus faustissimum, ex Hybernia oriundum, faventibus Superis nobis illuxit; *Fintanus*, inquam, *Noster* hoc ipso tempore per varios casus, per tot tantaque rerum discrimina terra marique perpessa, ex Provincia Laginiæ, unde ortum trahebat, divino nutu Rhenaugiam pervenit, quem Wolfenus Restaurator noster ceu Virum a Deo missum, & restaurandæ Disciplinæ aptissimum suspexit, maximoque cum gaudio suscepit. Erat Fintanus circa initium sæculi noni in Hybernia nobilibus Parentibus natus; primam

(b) Regino, & Sigebertus Gemlacensis.
(c) Hermannus.
(d) Charta I. & apud Herrgott Geneal. Diplom. T. II. Charta 49. ad annum 844.
(e) Annal. Fuld.

mam juventutem in summa vitæ puritate transegerat; quanquam a barbaris Nortmannis (f) Hyberniam vastantibus plurima mala perpeti debuerat. Etenim Sororem suam Barbari in servitutem redegerant; hinc Pater de Virginitate non minus, quam de vita Filiæ sollicitus, Fintano imperat, ut captam persoluto lytro ab hostibus redimat. Intrepidus obedientiæ Filius, amore fraterno stimulatus, sine mora opus arduum aggreditur; ast dum Sororem furori barbaro subtrahere nititur, ipsusmet a perfidis Gentilibus impie capitur. Sic Agnus victima cadit, qui Agnum liberare satagit; divino tamen nutu factum est, ut Fintanus, qui Captivam redempturus advenerat, propriam libertatem protinus recuperaret. Illud magis mirandum erat, quod Fintanus alia occasione iisdem Nortmannis, Laginiam vastare pergentibus, aperto prodigio subtractus fuerit; nam Barbari domum ipsam, in qua Fintanus degebat, undequaque perquirebant, sed Superis ita volentibus tantopere cæcutiebant, ut ne videre quidem præsentem possent. Verumtamen Nortmannorum sævities futuræ calamitati solummodo præludebat; quippe majora pericula ab intestinis hybernorum Principum dissidiis imminebant. Alterutri dissidentium parti Pater Fintani auxilia ferebat; quapropter hostes furore perciti, noctu irrumpunt, domum incendunt, Patremque foras productum unacum altero Filio interimunt, Fintano denuo non sine prodigio per medios ignes & hostes feliciter elapso; qui tamen injuriarum oblitus, nullam vindictam spirabat, contentus, ut hostes pacta pecunia damnum illatum resarcirent. At illi tantæ virtuti nullam fidem tribuunt; hinc veriti, ne suppressus dolor recrudesceret, Fintanum, quem vi aperta superare nequeunt, fraude & dolo perdere statuunt. Igitur amicitiam simulant, & proditum in convivio, studiose ad hoc instructo, Nortmannis tradunt; qui captum alter alteri quaterna vice vendunt, donec quartus, qui Fintanum emerat, Barbarus, in patriam proxime reversurus, eundem trans mare secum abduceret. In itinere maritimo navale prælium exoriebatur, in quo Fintanus, utut vinculis constrictus, Herum periclitantem, quantum potuit, adjuvit. Quo facto mitius haberi cœpit, & cum ad Orcades Insulas devenissent, etiam sibi a vinculis soluto navi exscendere, & terram lustrare licuit. Hæc licentia Fintano libertatem attulit; haud procul enim a littore speluncam, maris undis perviam, con-

(f) Jam supra notatum est, quod Dani, & reliqui Populi, trans Daniam positi, Nortmanni vocentur. Cæterum vita S. Fintani, ab Authore coævo, scilicet consodali scripta, adhuc extat in nostro Musæo. Et quia hoc ipsum Manuscriptum cum Notis publicæ luci redditur, ideo hoc loco præstantiora solummodo facta annotamus.

conspexit, ubi sese abdidit, & tamdiu delituit, donec hostes, cæptum iter persequentes, Insulam reliquerint. Tum demum ex antro prorepit, & pavido gressu totam Insulam lustrat; sed eandem hinc freto, illinc Oceano undique circumdatam esse, conspicit. Interim Delphini, aliaque Monstra marina in undis ludunt, & suo lusu Fintani mentem mirifice oblectant. Unde & ipse animosior factus, adveniente interno lumine, Magnalia Dei cernens, vota (g) nuncupat, & sese, divina confisus gratia, spumantibus maris fluctibus intrepide committit. *Mira dicturus sum* (h), verba sunt Synchroni, *ita continuo divina pietas vestes ejus rigidas fecit, ut his sustentatus, mergi nequiverit, & quasi ipsarum natatione, ut sibi videbatur, per tumidos fluctus illæsus veheretur ad terras.* Terra hæc, ad quam Fintanus advectus est, alia esse haud potuit a Scotia, utpote quæ proxime Insulis Orcadibus adjacet; ibi post biduum dira inedia transactum devenit ad Episcopum, qui quondam in Hybernia litteralibus disciplinis imbutus fuerat. Hic adventantem humanissime suscepit, & summa benevolentia integro biennio liberalissime sustentavit. Insignia isthæc admirandæ charitatis obsequia Fintani animum haud quaquam demulcebant, ut votorum suorum immemor stabilem inibi sedem figeret; quin potius adscitis sibi sociis, itineri sese accingebat, & cum Episcopali licentia atque Benedictione, peregrinis assueta, Galliarum partes, ac S. Martini Sedem Turonos adibat. Postmodum Franciam, Alemanniam, Longobardiamque peragrans, proprio pedum labore (i) Romam pervenit. Inde reversus, superatis Rhætiæ Alpibus, ad Monasterium Fabariense divertit. Placuerat Locus, vitæ solitariæ, & divinis contemplationibus aptissimus, adeo equidem, ut jamjam secum deliberaret, an non hic loci stabilem sedem figeret. Re Deo per preces & lacrymas proposita, divinitus edoctus est, non Fabariam, sed eum Locum sibi destinatum esse, ubi fluvius (nempe Rhenus haud procul Fabaria distans) per varios anfractus, & reflexos aquarum decursus plures Insulas efficeret.

Digressus igitur Fabaria, per Rheni tractum Evangelium Christi in Sueviæ Helvetiæque confinibus zelosissime prædicabat (k); ut adeoque rem christianam

 in

(g) S. Fintanus votum emisit nunquam redeundi in Patriam, salutandi Limina Apostolorum, & perpetuo peregrinum esse super terram.

(h) Ex Msc. citat.

(i) Sunt verba Synchroni ex Msc. citat.

(k) Gregor. Mangold Chron. Constant Msc. pag. 25.

in hiſce partibus haud modice promoveret. Hos inter apoſtolicos labores anno 847. forte fortuna, ut videbatur, ad Wolfenum, *Nobilem Virum in Alemannia* (l) pervenit, quocum quatuor annis vixit, & ſeſe omni virtutum genere inſignem probavit. Arctiſſima ſimul ac ſanctiſſima amicitia Wolfenum inter & Fintanum vigebat; ideoque meditanti Wolfeno reſtaurationem Monaſterii, a Majoribus ſuis conditi, Fintanus ſtimulos addidit; Wolfenus e contra Fintano, ut ibidem Monachum indueret, author fuit. Huic conſilio Fintanus eo promptius paruit, quod Rhenaugiam eundem eſſe Locum, in Rhætiæ Montibus ſibi cœlitus deſignatum, clariſſime perſpexerit. Itaque anno octingenteſimo & quinquageſimo primo Fintanus Monaſticum Inſtitutum Rhenaugiæ amplexus eſt, atque a prima die in omni virtutum genere tantopere profecit, ut ſuo inſigni exemplo *Monaſticæ perfectionis Normam Præſentibus initiaret & Futuris.* (m)

Diximus ſuperius, aliquos quamvis pauciſſimos Monachos ruinæ Monaſterii ſuperfuiſſe; undenam autem Wolfenus Reſtaurator reliquos inſtaurandæ diſciplinæ aptiſſimos Viros ſumpſerit, an Novitios Chriſti Milites recenter e ſæculo conduxerit, an veteranos Monachos ex aliis Monaſteriis poſtulaverit, prorſus incertum eſt, nec ullum veſtigium deſuper in noſtris Monumentis apparet. Quodſi fortaſſis veteranos Monachos conduxit, eosdem haud dubie ex S. Galli Monaſterio, ſibi aliunde notiſſimo, & illo jam tempore florentiſſimo, ſumpſit. Etenim Wolfeno noſtro cum Sangallenſibus ſpecialis neceſſitudo interceſſit, adeo equidem, ut inter eorum Benefactores computetur. Sic anno 849. eidem S. Gallo (n) Bona quædam in Centipratis (Kempraten prope Raperswilam) dono dedit. Anno 850. præſentiam ſuam ſub Comitis titulo accommodavit Grimaldo Abbati S. Galli (o) commutationem quandam facienti in Pago Argungowe, ubi olim prima ac primaria Welforum Sedes erat. Anno 851. idem Wolfenus unacum Patruele ſuo Conrado Duce Burgundiæ in S. Gallo (p) præſens fuit emancipatio-

(l) Mſc. citat. Item Charta II. de anno 852.

(m) Ex Officio Eccleſiaſt. Mſc. Sæc. XI.

(n) Apud Goldaſt. Aleman. Antiq. T. II. P. I. pag. 42. 43. ubi Littera Dominicalis exigit annum 846. ſed annus Regis 24tus ab adita Bojoaria deſignat annum 849.

(o) Ibidem pag. 32. Pagus ab Argen dictus, ubi Liubinacha, Liebenau, inter Tetnang & Argen.

(p) Ibidem T. III. pag. 54. ubi mendoſe *Honoratus* loco *Wolfratus* Comes ſcribitur; nam Germanis tunc temporis nulla erant latina nomina. Alii ob Litteram Dominicalem reponunt Chartam ad annum 847.

cipationi cujusdam Clerici. Et demum eodem anno astitit cuidam Precariæ (q) in Cozzesvowo (Gossau) unacum prædicto Abbate Grimaldo, Hartmuoto Decano, Welficæ Gentis surculo (r) & Adalhelmo Comite Turgoviæ, in Chartis Wolfeni (s) mox referendis notissimo.

GOZBERTUS I.

ABBAS I.

Sancto Fintano, ut supra vidimus, jamjam Monachum induto, & heroico exemplo, ac sanctissima vivendi ratione omnes, quotquot erant, Fratres ad monasticam perfectionem exstimulante, Wolfenus Restaurator de Abbate eligendo serio cogitans, unanimi Fratrum consensu *Gozbertum* Abbatem designavit. Quisnam iste Gozbertus fuerit, divinari haud facile poterit. Aut enim ex gremio Fratrum fuit electus; aut fuit Comes Gozbertus, in nostris Chartis notissimus; aut denique fuit Monachus Sacrista Sangallensis (a Portario ejusdem nominis Monasterii Monacho distinguendus) Wolfeno nostro jam pridem familiaris, cum anno 837. ad Monasterium Bobiense ablegatus esset; quo in itinere Lario Lacu mersus (t) non sine manifesto prodigio e naufragio evasit, teste Ermenrico Augiensi Monacho in epistola ad Grimaldum S. Galli Abbatem, in qua Gozbertum maximopere dilaudat. Inter alia subdit: *rogatus sum a quibusdam Fratribus, & præcipue a devotissimo GOZBERTO, ne dicas calvo, sed pilis Cephali auretenus nudo, omni tamen sancta benevolentia pleno, felicissimi Abbatis Gozberti Nepote &c.* Noster Gozbertus in Sangallensi Catalogo Confœderatorum inter Abbates Rhenaugienses non reperitur, quod fortassis argumento esse poterit, Gozbertum e S. Gallo postulatum esse; unde hoc ipso a Sangallensibus inter suos, non autem inter Rhenaugienses computatus sit: quamvis pariter eodem jure dici possit; quod Sangallenses dignitatem Abbatialem in suo Gozberto commemorare non neglexissent, si quando eadem, utut in alieno Monasterio, viguisset.

Anno 852. habitum est Moguntiæ a Rhabano Archiepiscopo & Ludovico Germanico Concilium Nationale (u) & generalis Conventus totius Germaniæ. Ad

(q) Herrgott Geneal. Diplom. T. II. Charta 59.

(r) Eccard. Junior de casibus S. Galli cap. 2. eum vocat Rudolphi Regis Burgundiæ Cognatum.

(s) Charta II. X. XXXIII.

(t) Brulisover Chron. S. Gall. T. II. Lib. III. cap. 19. Mabill. Analect. pag. 420.

(u) Hermannus & Annal. Fuld.

Ad hanc Synodum profectus est Wolfenus, partim ut cum Rege, Welfis inimico, expiaretur, partim ut confirmationem Liberæ Electionis, aliaque privilegia Monasterio proficua impetraret. Rei successus optatis respondit; nam interventu Rhabani Moguntini, & Salomonis Episcopi Constantiensis, nec non Folcuini Abbatis Augiensis Rex, Wolfeno reconciliatus, cum consensu Procerum Diploma Regium dedit (quod inter Diplomata Ludovici Germanici primum est) (x) quo confirmantur *Præcepta* & Privilegia Imperatorum *Caroli Avi*, & *Ludovici Patris*, jam olim Rhenaugiæ concessa, eligendi nempe libere Abbatem, & Advocatum Monasterii &c. Hoc Diploma inter Concilia Germaniæ, sed cum plurimis mendis & magna lacuna, editum est; quia Tertii Concilii Moguntini Acta hoc nostro Diplomate propemodum absolvuntur (y). Narratur sane in Autographo, qualiter Monasterium *Rhenaugia* ab *Avo & Patre Wolfeni Nobilis Viri* in Alemannia constructum, ac post vastationem ab ipso restauratum sit, ubi nuper quidam Monachus *Gozbertus* ab eodem Wolfeno atque a Fratribus Abbas electus fuerit; quem proinde Rex confirmat, potestate tributa foris & intus regendi Monasterium; quo decedente, alius ex Fratribus, ibidem degentibus, per ipsorum Electionem substituatur. Præterea, cum *Advocati* potestate sæpius *abutantur in tantum, ut qui deberent esse modesti Defensores, impudenter effecti sint Raptores, & injuriosi Exactores*, statuit Rex, *ut nemo sibi hanc potestatem præsumat vendicare, vel quasi hæreditariam, aut aliquo jure debitam invadere, nisi quem Abbatis Electio, & Monachorum consulta approbatio, velint admittere.* Advocatus vero electus non alium sibi substituat. *Idem Advocatus nullum jus habeat placitandi, vel aliquam Judiciariam potestatem exercendi, nisi forte ab Abbate vocatus advenerit, & tunc voluntati, sive petitioni ipsius satisfaciat; Banno Regali eidem* (Advocato) *contradito.* Ex quibus aperte constat, Monasterium Rhenaugiense a primæva fundatione sua præter Possessiones atque Proventus, amplissimam quoque ac sibi propriam habuisse jurisdictionem, per *Bannum* (z) *Regale* exercendam.

Cum igitur Wolfenus Privilegia Monasterii Diplomate Regio roborasset, eadem quoque Papali Authoritate muniturus, Romam petiit, & hac ipsa occasione Ditio-

---

(x) Charta II.

(y) Concil. German. Edit. Harzhemii T. II. pag. 165. Emendatius edidit Senckenberg. Rer. Suevic. Vegelin. T. II. Differt. 11. Langius T. I. pag. 332.

(z) Du Cange pag. 550. Haltaus in Glossario germanico verbo Königs Bann.

Ditiones ſuas Italicas luſtravit. Interea Gozbertus Abbas, & alius ejusdem nominis Gozbertus Comes, (procul dubio Advocatus, a Wolfeno interim ſubſtitutus) concambium fecerunt anno 853. die 4. Maii inter Monaſterium (a) & Presbyterum Thietonem circa quosdam agros in Baſendingen Pagi Turgovienſis, cui præerat Adilbertus Comes, ultor necis S. Meginradi, primi Incolæ & Authoris Eremi Deiparæ Virginis in Helvetia (b). Eodem anno Ludovicus Rex (c) nobile Cœnobium Virginum ad honorem SS. Martyrum Felicis & Regulæ Turegi fundavit, cui Filiam ſuam Hildegardem Abbatiſſam, ac poſtmodum ejus Sororem Bertham præfecit. Prædicta Hildegardis S. Meginradum in ſua Eremo quoad victum, aliaque neceſſaria ſedulo adjuvit (d).

Dum hæc foris aguntur, etiam domi noſtræ S. *Fintanus* (e) Monaſticæ Diſciplinæ Reſtaurator zeloſiſſimus, Fratres ad quotidiana virtutum incrementa ſuo trahebat exemplo, in regularibus obſervantiis non modo exactiſſimus; ſed plura inſuper, quam Regula præcipit, aggredi auſus. Etenim cum adhuc inter Fratres vitam communem viveret, jamjam occulte lectiſterniis lapides ſupponebat (f), ut ſtrati duritie membra domaret; tum modiciſſime quieſcens, donec reliqui Fratres obdormiſſent, mox iterum ſeſe lecto proripiens, *canonicas vigiliarum horas præveniebat* (g), *& quod reliquum noctis erat, in Dei laude conſummabat.* Præterea parſimoniæ atque obedientiæ ſingulari ſtudio deditus erat; hinc non ſolum omnes Superiorum ſuorum nutus ſimpliciſſime obſervabat, ſed etiam *cum licentia Abbatis* (h) Gozberti (i) *primo editæ Profeſſionis anno quartam partem panis ſibi deputati: in altero dimidiam: in tertio tertiam, relicta ſibi tantum quarta*

(a) Charta IV. & Herrgott Geneal. Dipl. Chart. LIII.
(b) Hartmannus in ejus vita.
(c) Mabill. Annal. T. II. ann. 853. N. 67. Hotting. Hiſt. Eccl. T. I. eodem anno. Herrgottus Diploma exhibet T. II. P. I. Langius Hiſt. Eccl. Helvet. T. I. pag. 332.
(d) Hermann. Annal. Herem.
(e) Charta Epiſcopalis pro Exhumatione 1446.
(f) Ex vita Mſc.
(g) Ex officio Eccl.
(h) Ex vita.
(i) Sub Gozberto vixiſſe S. Fintanum tenet Mabill. Act. SS. ſæc. IV. & Annal. Lib. 26. pag. 351. Steiner vero Edit. primæ pag. 253. dicit, S. Fint. ſub Wolfeno vixiſſe; uterque bene. Quippe ſub Gozberto Abb. prima Monaſtices fundamina jecit; ſub Wolfeno autem Abbate conſummavit.

quarta parte, libens pauperibus erogabat; in jejunio assiduus; & usque ad miraculum sanctæ esuriei deditus. Ideo tamen a tentationibus haudquaquam liber fuit; sed eas fortiter sprevit, & viriliter dimicando, feliciter superavit. In Festo S. Patritii, singularis Hyberniæ Patroni, maxima, eaque insolita fame premebatur; ast famelicus in preces & lacrymas subito effusus *(quas sæpe sæpius incomparabiliter fundere solebat)* voce cœlesti tantopere recreatus est, ut deinceps vitium gulæ minime sentiret, & novas quotidie victorias de hoste antiquo reportaret: queis ille irritatus, cum Fintanum nec vi, nec fraude evincere posset, metu saltem terrere conatus est; hinc speciem immanissimi gigantis induit, & noctu torvis oculis, ore aperto, lingua emissa, manibus expansis orantem invasit: sed signo crucis edito, ut fumus evanuit; Fintanus vero *coram Altari in modum crucis stans, matutinalia officia intrepidus exspectavit.*

Tentationibus devictis Fintanus eximia beneficia, & singulares favores a Deo obtinuit; ad quos Wolfenus ex Italia redux occasionem præbuit. Is, ubi Romæ Rhenaugiense Monasterium, pro more illius ævi (k) S. Petro, extunc in specialem, post Deiparam, Patronum electo, obtulisset, ejusque Successori Leoni IV. commendasset, plurimas Sanctorum Exuvias exornandi atque muniendi Monasterii gratia impetravit (l); quas inter præ cæteris eminebant Reliquiæ S. Blasii Episcopi & Martyris Sebasteni (m): & hinc Wolfenus prævie mandaverat, ut Fratres S. Reliquias adventantes summo cum honore solemniter exciperent. Parabantur omnia tantæ Festivitati necessaria; Fintanus autem more solito preces inter & lacrymas in Basilica nostra pernoctabat; cum ecce! subito *corporalibus oculis* viderit columbam niveo candore fulgentem super Altare, quo postridie S. Blasii Reliquiæ erant collocandæ, consedisse, sensimque ab altari in Cryptam volasse. Crastina ergo illucente S. Reliquiæ eidem Altari sunt impositæ, ac debito cultu exhibito in præfatam Cryptam deportatæ; Sacellum nempe erat subterraneum in ipsa Basilica sacris ejusmodi usibus destinatum.

Ab illo tempore Fintanus maximam devotionem simul ac fiduciam erga S. Blasium concepit, eumque eximio cultu veneratus est. Nil autem magis sibi cordi

(k) Mabill. Annal. ad annum 851. &c.

(l) Charta X. Reliquias Sanctorum ibi recondens.

(m) Vita S. Fintani sic habet: S. Blasii Reliquiæ huc ad Rhenaugiam de Roma venerunt, priori anno, quo erat claustrum ingressurus, id est, in Cellulam separatam, Basilicæ tamen adhærentem, sese perpetuo reclusurus.

cordi erat, quam ut per intercessionem S. Blasii peccatorum suorum veniam a Deo efflagitaret.

Cum igitur saepissime integras noctes ante Aram, S. Reliquiis dicatam, idem ipsum ingeminans, uberrimas lacrymas funderet, tandem aliquando inter nocturna silentia insonuit optata vox caelitus delapsa: *Sedes tua in Caelo jam dimissis peccatis parata est.* Qua voce audita, suavissimis deliciis immersus, omnem creaturam secum in Dei laudem excitavit.

Hic idem annus ultimus fuit Leoni IV. Pontifici Maximo, cujus obitus contigit die 17. Julii, quo ejus festum celebratur; statimque die 21. ejusdem mensis ei suffectus est Benedictus III. (n) Obiit pariter Lotharius Imperator, postquam Brumiae Monachum induisset; cui in Imperio & Regno Italiae ejus filius Ludovicus II. successit.

Rhenaugiae monasticam vitam amplexus est *Meginhart* Presbyter & Benefactor eximius (o); qui *pro aeterna retributione animae suae*, Parentum, Fratris, ac Sororum suarum tradidit Curtem in *Mettingen* Pagi Alpegoviensis, cum terris, aedificiis, campis, sylvis, aquis, mancipiis &c., regnante Ludovico Rege, anno primo Benedicti Papae Tertii. In hac Charta, & quidem prima vice occurrit S. Petrus, Deiparae Virgini additus Monasterii Patronus, postquam nempe ejus tutelae Rhenaugia a Wolfeno tradita fuit. Curtis porro illa in Mettingen saeculo 14to cum Praefectura in feudum data est (p) Nobilibus de Münchingen. Gozbertus Abbas deinceps in nostris Monumentis haud amplius comparet, hoc anno probabiliter mortuus; cui per liberam Electionem Antwarthus, ex gremio Fratrum assumptus, successit.

ANTWARTHUS,

ABBAS II.

Antwarthum inter Gozbertum & Wolvenum Abbates nostros collocandum esse, constat ex catalogo Fratrum Conscriptorum Monasterii S. Galli, ubi medius inter memoratos conspicitur; tam etiam ex ordine instrumentorum in Chartulario

(n) Hermannus. Regino Abbas Brumiae in Msc. Einsidlensi saec. X.

(o) Charta IV.

(p) Ex Lib. coaevo Feudorum in pergameno.

tulario antiquissimo repositorum, ubi ejus nomen occurrit in Charta VII. data mense Septembri, in qua legitur: *Monasterium Rinaugia, ubi Abba Antwarth præesse videtur;* quam insequitur mox alia Charta data mense Junio anni 857. Præfuit ergo Antwarthus Abbas jam anno 856. cujus regimen licet modico temporis spacio circumscriptum, magnis tamen factis memorandum redditur.

Imprimis occurrit Rhenaugiæ facta traditio *Cellæ Albæ*, illius nempe Monasterii, quod postea sub nomine S. Blasii toti christiano orbi inter prima sydera inclaruit. „Hanc Vir nobilis Sigemar, in pago Alpegoviæ sitam, tradidit Rhe-„naugiæ, pro semetipso & filio suo Liuthero, ad stabiliendum inibi servitium S. „Mariæ, sub confirmatione Regia, annuente Domino Wolveno ejusdem loci „hæreditario Tutore“ (q), prout notitia publica istius traditionis sonat; quæ proinde post annum 855. contigit, quo Wolvenus ex itinere Romano Rhenaugiam reversus est. At confirmatio Regia subsecuta est anno 858. per Diploma Ludovici Germanici, in quo inter alia exprimitur *Cella in Alpegowe, quæ dicitur Alba*, ut servato Chartarum ordine hæc traditio commode referri possit ad annum 856. licet publica ejus rei notitia primum anno 858 post confirmationem Ludovici Regis, cujus mentionem facit, litteris mandata fuerit, utpote sub Nicolao Papa, qui die 24. Aprilis ejusdem anni, atque adeo duodecim diebus post datum Diplomatis electus fuit (r).

Fertur, locum Cellæ Albæ ad rivum Albam in sylva Nigra seu Martiana jam pridem a quibusdam piis Eremitis, quos *Fratres ad Albam* dixerint, habitatum fuisse; quibus ad vitam Monasticam aspirantibus *vir Nobilis Sigemar* procul dubio fundos addidit, cellamque construxit, quam adeo ut rem sibi *propriam* (s) Monasterio Rhenaugiæ tradidit, singulari devotione erga Beatissimam Virginem ductus, cujus cultum promovere ac stabilire hac sua donatione intendebat. Neque insolitum erat, cellas novas Monasteriis unire, ut Monasticus ordo in illas induceretur, atque etiam temporalis fundatio eo conservaretur securius; in quas ad minimum sex Monachi exponendi erant, qui divinis officiis ex

(q) Charta V.

(r) Chartæ interdum diu post traditiones scriptæ fuerunt. Chronicon Gottwic. Part. I. p. 186. P. P. S. Mauri in opere Diplomatico T. I. pag. 60. & T. VII. §. 234. Charta sequens Wolveni. Contractus Gozberti II. &c.

(s) Charta VI. *Cella alba, quæ nunc dicitur S. Blasii, videlicet propria fuit cujusdam viri nobilis Sigimar.*

ex præscripto Regulæ vacarent (t). Unde Sigemar fama restauratæ disciplinæ motus, præpotenti ac zelosissimo Wolveno Cellam hanc suam commendare non dubitavit, qui in Alemanniam reversus *Tutelam hæreditariam* Rhenaugiæ denuo in se susceperat. Fortasse etiam cognatione attingebat Sigemarum Virum Nobilem, conjectura ex oppido *Sigmaringen* desumpta (u), cujus Dynastæ *Hohenzollerani* hodiedum a viris eruditis (x) ad Guelficam gentem referuntur. Habebat filium Sigemar *Liutherem* nomine Rhenaugiæ Monachum (y), cujus intuitu, nec non & pro *semetipso* eam donationem fecit; nam filium in pio instituto mox sequutus, & ipse Monasticen, teste catalogo S. Gallensi, Rhenaugiæ, quin & in *Cella Alba*, professus est; unam enim Congregationem utrumque Monasterium tunc constituebat.. Sæpe dicta traditio duplici Manuscripto sæculi XI. continetur, in quo & *Liuther* Monachus dicitur, & locus *Cellæ Albæ* disertius explicatur, dum additur, *quæ nunc dicitur S. Blasii.*

Erat hoc anno S. *Fintanus* nondum reclusus, ac proinde potuit, sicut Rhenaugiæ, ita & in *Cella Alba*, *Monasticæ perfectionis normam præsentibus initiare & futuris*, prout in officio Ecclesiastico sæculi XI. de eo cernitur; quamvis Viri alii pro curando tali negotio non deessent. Vergente nihilominus ad finem mense Augusto *Fintanus* præsentis anni 856. transacto inter Fratres solido quinquennio, cum majori perfectionis amore succensus in arctissimo loco recludi cuperet, instantissimis precibus Domini voluntatem (z) scire laboravit; unde hujuscemini voce desuper delapsa in proposito fuit confirmatus: *Licet tibi a Deo post alios remeare.* Ubi cum inaudita corpus abstinentia perdomare cœpisset, primis suæ reclusionis diebus vehementius gulæ vitio fuit tentatus, ut usque ad lectionem Evangelii a cibo abstinere non posse sibi videretur. Verum implorato suffragio S. Aidani Episcopi (a), cujus festivitas die 31. Augusti celebrabatur, voce cœlesti denuo confortatus fuit. Sed enim tantis virtutum progressibus invidus Dæmon scrupulum ex opposito Fintani animo ingessit, quod totum ferme victum pro sustentatione Monachorum deputatum pauperibus erogaret: quam tentatio-

 nem

(t) D'Acherus præfat. ad Sæc. V. Bened. §. 4. n. 53. Concil. Aquisgran. a. 817. Du Cang.
(u) Goldast. Rer. Aleman. T. I. §. 131.
(x) Reinerius Reineccii Dissertatione speciali.
(y) Liber coevus Fratrum Conscriptorum S. Galli.
(z) In vita coeva. De voce cœlesti lingua hibernica videatur Schilteri Glossar. T. III. pag. 724.
(a) Quem obiisse refert Hermannus a. 651.

nem per interventum ſancti Columbæ Hienſis Abbatis & Hyberniæ Apoſtoli feliciter ſuperavit (b). Deſcribit vero auctor vitæ, tunc præſens, locum, in quo *Fintanus* incluſus erat, quem ſæpius *arctiſſimum*, & ſemel *pœnalem* vocat, ſitumque fuiſſe ad ſeptentrionalem partem Baſilicæ S. Mariæ Genitricis Dei & Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aſſerit. Ex eo patebat feneſtra ad Eccleſiam, ut officium & Evangelium audire poſſet; nam Baſilica in medio Inſulæ æquali diſtantia ab utroque latere Rheni ſita tunc erat. Ipſe vero *Fintanus* a primo ſuæ recluſionis anno has ſibi leges impoſuit, ut deinceps a pane, foco, lecto & a balneo prorſus abſtineret, atque cilicio perpetuo uteretur; denique jejuniis, vigiliis, orationibusque indeſinenter inſiſteret. Quæ quidem leges multo duriores erant illis, quas Grimlacius circa idem tempus Recluſis præſcripſit (c), deſumptas ut plurimum ex Regula S. Benedicti; ubi præprimis cavet, ne Recluſi permittantur hoc genus auſteritatis ſubire, niſi in ipſis Cœnobiorum Congregationibus, & cum conſenſu tam Epiſcopi, quam Abbatis, omniumque Fratrum.

Eodem anno, quo S. Fintanus recludi voluit, nobilis benefactor *Landfrid* (qui forte idem eſt cum eo, quem Wolvenus Comitis titulo præditum in teſtem vocavit) (d) pro amore patriæ cœleſtis, quidquid in pago Alpegowe in villa *Alaffin* hodie Alpſen, conquiſivit, obtulit Monaſterio, quod vocatur Rhenaugia, & eſt conſtructum in honore S. Mariæ, & B. Petri, ubi Abba *Antwarth* præeſſe videtur. Actum in *Niuchilhun* (Neükirch oppidum Cleggoviæ) menſe Septembri, regnante Ludovico Rege (e), in cujus ſequenti Diplomate hæc donatio confirmatur, ac proinde anno 856. eam contigiſſe, neceſſe eſt. Is annus aſſignatur nuptiis *Thietbergæ* ſeu *Teutbergæ* filiæ Boſonis Comitis (f) cum Lothario Rege Lotharingiæ filio Lotharii Imperatoris, cujus cauſa poſtmodum turbæ plures enatæ. Fratrem habebat *Hucbertum*, ſeu Hugobaldum, qui Abbas S. Mauritii Monaſterium illud Agaunenſe peſſumdedit, in prælio anno 864. interfectus a Conrado Juniore Duce Rhætiæ, Patre Rudolphi I. Regis Burgundiæ. In quodam Calendario noſtro manuſcripto ad diem octavam Maii adſcribitur *Thiedperba* filia Reſtauratoris noſtri

(b) Idem ad a. 565. & 596. Vita ab Adamnanno ſcripta Sæc. VIII. habetur in Bibliotheca Schaffhuſiana.
(c) Holſtein in Codice Regularum T. I. Reg. Grimlaci cap. 15.
(d) Charta IX.
(e) Charta VII.
(f) Mabill. Annal. T. III. pag. 111.

ſtri Wolveni, quæ potius ex Boſſore filio nata fuit (g). Poſt cædem fratris Thietberga ad Carolum Calvum, matre Guelphica natum, fugit, a quo Abbatiam Aveniacenſem obtinuit.

Anno ſequenti 857. altera donatio in pago Alpegovenſi facta eſt a Presbytero *Suab*, qui cum Monachus effici cuperet, donavit ad Monaſterium, quod dicitur Renaugia, omnes acquiſitiones ſuas in vico & in termino ad *Waldhillun* (Waldkirch) tam terris, quam ædificiis &c. (h) Actum apud *Touingen*, (hodie Thiengen oppidum) X. Kal. Julii. quæ pariter donatio confirmata fuit ſequenti anno menſe Aprili.

Inter hæc Wolvenus Rhenaugiæ Reſtaurator, ſtabilitati operis ſui, quod adeo proficiebat, toto animo intentus, ne forte miſerandam viciſſitudinem, quam nuper expertum fuerat, in poſterum ſubire cogeretur, ſtatuit Monaſterium Regi Ludovico tradere, atque ipſius protectioni penitus committere. Quapropter Inſtrumentum publicum novæ Fundationis deſcriptum anno 857. circa Calendas Octobris in Synodo Moguntina Regi obtulit, qui Rabano mortuo Carolum in Archiepiſcopatu ſuſfecerat. Erat is Pipini quondam Regis Acquitaniæ filius, ſed a Carolo Calvo perſecutionem paſſus confugit ad Ludovicum (i).

Narrat Rex ipſe hoc factum in Diplomate his verbis: *Veniens Wolvenus in procerum noſtrorum præſentiam detulit obtutibus noſtris quoddam ſcriptum.* In hoc ſcripto proponit Wolvenus Regi, qualiter Monaſterium, quod dicitur *Rhenaugia*, ab Avo & Patre ipſius fundatum, ſed intervenientibus armorum motibus pene vaſtatum, ab ipſo denique reſtauratum fuerit, ſub invocatione S. Mariæ ſemper Virginis, & S. Petri Principis Apoſtolorum, cæterorumque Sanctorum, quorum nempe Reliquias nuper Roma Rhenaugiam detulerat; & eum quidem in finem, ut Regis & Succeſſorum ſuorum, ipſius quoque Wolveni & Parentum ejus memoria in orationibus Monachorum ibidem conſiſtentium aſſidue frequentetur (k). Quapropter tradidit ipſum locum, cum omnibus in pago Turgovienſi ad ipſum pertinentibus, in jus & dominationem, atque mundeburdium Domini ac glorioſiſſimi

(g) Diar. Mſc. P. Romani a Lauffen pag. 29.

(h) Charta VIII. quam exhibet Herrgott Geneal. Diplom. Charta 65. Thiengen modo ſedes Regiminis Schwarzenbergici in Cleggovia.

(i) Annales Fuldenſes.

(k) Charta IX. ſeu Teſtamentum Wolveni.

ſiſſimi Regis Ludovici, ſub reſervatione tamen, ut quamdiu Wolvenus vixerit, ipſas res ſub poteſtate ſua habeat, àddictis in fine pœnis contra eos, qui immunitatem *Sancti Loci*, ut vocat, infringere aliquando auſi fuerint.

Ratum quidem Ludovicus hoc Inſtrumentum Wolveni tunc habuit: at hic majora animo volvens, parvo temporis ſpacio interpoſito iterum aulam Regis adiit, vehementer inſtans, ut hæc ejus Fundatio Monaſterii tum a Proceribus Regni ſubſcriberetur, tum ab ipſo Rege per ſpeciale Diploma confirmaretur. Impetravit utrumque: illud quidem *Ulmæ* hoc vero *Francofurti;* ita enim pergit Rex in ſecundo iſto Diplomate: *Ut autem id actum habuit, iterum veniens in præſentiam noſtram ad noſtram curtem Ulmam, prædictum Monaſterium cum omnibus rebus iterum in Mundeburdum noſtrum tradidit.* Anno igitur 858. die 22da Januarii ſæpe dicta Wolveni Charta ſeu, ut vocabant, Teſtamentum, ab ipſo coram Rege manu poteſtativa ſignatum Ulmæ ſeptem Comitum ſubſcriptione roboratum fuit, quorum iſta ſunt nomina, in Chartis noſtris ſæpius occurrentia, nempe *Gozperti Comitis*, *Adilberti*, *Adilhelmi*, *alterius Adilberti*, *Luitonis*, *Adelonis & Landfridi.* Actum Ulma Palatio Regio, die Saturni, undecimo Kalendas Februarii (l).

Perfecto hoc negotio Rex Ludovicus Wolveno in mandatis dedit, ut Francofurti compareret, ubi Paſcha celebraturus erat, nec ſolum Diploma confirmatorium conceſſurus, ſed etiam Wolvenum Abbatem Rhenaugiæ creaturus, qui interea Monaſticum inſtitutum amplexus fuerat. Neque deſunt exempla, tum in noſtris tum in aliorum Chartis, quibus conſtat, Fundatores & Benefactores, licet Monachos effectos, nihilominus rerum ſuarum ſibi diſpoſitionem reſervaſſe (m). Cæterum cum de Antwartho Abbate nulla deinceps in Chartis noſtris occurrat mentio, dubium non eſt, eum aut morte naturali, aut ſpontanea ceſſione Abbatiam reliquiſſe Wolveno Reſtauratori ac Fundatori tertio.

WOL-

(l) Annales Francorum Fuldenſes hoc tempore Ulmæ & Francofurti fuiſſe teſtantur Ludovicum Regem.

(m) Mabill. de Re Diplom. lib. I. cap. 2. n. 10. Teſtem adducens Fulradum Abbatem S. Dionyſii. Item lib. VI. pag. 495.

WOLVENUS,

ABBAS III. RHENAUGIÆ ET CELLÆ ALBÆ.

Quemadmodum Wolvenus Regi Ludovico Monasterium a se restauratum cum omnibus attinentiis in mundeburdum, & specialem protectionem tradidit, ita vicissim Rex per Diploma die 12. Aprilis anno 858. Francofurti subscriptum, illud Wolveno regendum concessit; quem in ipso Diplomatis ingressu *Virum venerabilem* (n) nominat, titulo viris in eminenti Ecclesiastica dignitate constitutis dari solito; quo proinde conditionem statumque Monasticum Wolveni satis expressit; licet ibidem etiam *Fidelem Vassum suum* vocet, quasi in Familiam Regiam adscitum (o). Decernit itaque Rex *Ludovicus,* ut Wolvenus Monasterium, cujus nomen *Rinoagia*, cunctis diebus vitæ suæ ad Dei servitium peragendum teneat; post cujus ex hac luce discessum, liceat Monachis alium inter se Abbatem eligere. Ipse vero Abbas Wolvenus cum Successoribus nullum servitium potestati Regiæ persolvere cogatur, exceptis assiduis orationibus, unoque caballo cum scuto & lancea in singulos annos in donum Regi præstando.

Præterea eodem Diplomate Ludovicus totam Wolveni fundationem complexus, enumeratis singulis locis fines territoriales definivit, adeoque dominium, plenamque jurisdictionem (p) designavit, tribuit, confirmavitque. Terminos hos Rhenus, qui fluxu suo hoc loco angulum format, versus septentrionem & occidentem complectitur; plagam meridionalem constringit Taurus fluvius, qui infra Rhenaugiam ad vicum Ellicken se Rheno infundit; denique orientem versus, inclusis villis Stamheim & Nusbaumen, protenditur districtus ferme usque ad vicum Pfin, quem a finibus Romanorum Rhætiam olim terminantibus dictum perhibent (q). Loca porro in illo districtu sita vocantur sequentia: Imprimis Rhenaugia, deinde Martellen, Ellicken, Holtzheim, Wilgisbuch, Rudelfingen, Trüllicken, Bencken, Trutticken, Schlatt, Stamheim, Nusbaumen, & Mörlen. Plures hac tempestate his finibus vici clauduntur, qui tunc aut nondum exstabant, aut procul dubio cum his tradidi intelliguntur.

Hæc

(n) Charta X.
(o) Videatur du Cange.
(p) Besoldus verbo Bezirchbrief.
(q) Ægidius Tschudius in Gallia comata.

Hæc Wolveni Dynastia partem quandam pagi Turgoviensis in Alemannia constituebat, qui tunc latissime patens, etiam Zurigoviam, pluresque Comitatus, ut Kiburgensem, Doggenburgicum, Marcham Rapperswilanam, aliosque complectebatur (r). Adjecit præterea quosdam fundos proprios, nempe quatuor supra centum *Mansos* seu Prædia, quæ singulis colonis committebantur, ac insuper trecenta *Mancipia*, quorum nomina in speciali Charta expresserat. Neque deerant Wolveno in aliis quoque Pagis ampla Latifundia, quæ interim sibi reservavit. Tradidit tamen, quæ hæreditario jure ad ipsum spectabant in Italiæ pagis *Tartonensi & Veronensi*, quorsum possessiones Guelficæ se extendebant. Loca quatuor in illis Regionibus singillatim exprimuntur in Chartis (s), nempe in pago Veronensi *Villa Nova* & *Roca Rubessa*, in Tartonensi vero oppidum *Gavi*, & *Corregio*. His locis a Wolveno fundatis eodem Diplomate alia a Benefactoribus Rhenaugiæ donata dissertis verbis a Ludovico Rege confirmata sunt: nimirum in Alpigowe Cella, quæ dicitur Alba, Alpsen, & Waldkircha.

Addit demum Rex amplissimas clausulas omnium jurium, ad prædicta loca spectantium; suscipit Monasterium denuo in specialem protectionem, confertque immunitatem ab omnibus oneribus, quorum tria singulariter enumerat, ut nempe liberum sit ab omnibus *Mansionibus* (t), ne ullus Successorum suorum, vel alia potestas divertendi, aut milites hospitandi habeat facultatem. Deinde ne Abbas teneatur *in itinere proficiscere*, id est Regem, ejusque aulam, aut castra comitari, quod ingenti plerumque sumptu fieri consueverat. Postremo ne ulli liceat *servos Monasterii constringere*, quo privilegium de non avocando ad alienum forum satis declaratur (u). Sed liceat, inquit Rex, Fratribus ipsius Monasterii sub nostra defensione, & immunitatis tuitione pacifice in futuro residere, & Dei servitium perficere, atque pro Nobis & Conjuge *Hemma*, Prolequé nostra *Ludovico*, *Carolomanno*, *& Carolo*, nec non *Hildegarde & Berta*, seu totius Regni a Deo nobis collati divinam Misericordiam attentius exorare. Datum est hoc Diploma Regis subscriptione sigilloque firmatum Francofurti Palatio Regio secundo idus Aprilis, anno 26. Regni Ludovici in orientali Francia, indictione VI. proinde anno 858. æra ducta ab anno 833. quo Franciam occupavit. Eodem in loco, quarto die post nostrum, datum est Diploma cum simili subscriptione Mona-

(r) Videatur Charta I. apud Herrgott, & sequentes.
(s) In Chartulario, & Diplomate Henrici III.
(t) Mabill. de Re Diplom. l. II. c. 3. n. 3.
(u) Ibidem l. V. pag. 404. ubi simile affert.

Monasterio Turicensi Sanctorum Felicis & Regulæ, ubi filia Regis Abbatissa Hildegardis erat (x).

Suscepit igitur regimen Abbatiale *Wolvenus* Restaurator, ad omnem pietatem jam dudum exemplo S. Fintani eruditus; atque Monasterium non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus mirifice auxit. Sub ejus regimine vixerunt successive Rhenaugiæ quadraginta circiter Monachi; tot enim ac plures exhibentur in libro Fratrum conscriptorum Monasterii S. Galli, qui a tempore restaurationis usque ad annum 885. professi fuerant, quorum medietatem credibile est ab ipso Wolveno in Monasterium susceptam fuisse, nosque suo loco referemus, hic eos duntaxat subjicientes, qui ante aditam a Wolveno Abbatiæ curam videntur professi fuisse, ac plerique ante annum 885. obierant. Sunt autem sequentes:

RUMOLF Presbyter.
LOBEGIS Presb.
ODALHART Presb.
RICHBRECHT Presb.
WAGO Monachus.
HERIMAR Presb.
FINDAN Mon.
ENGILGART Presb.
EMICHO Presb.
SUAB Presb.
LUITO Subdiac.
MEGINHART Presb.
FINDICAN Subdiac.
WEIFHERE Presb.
HILTINE Presb.
TUNHAN Mon.
SIGIMAR Mon.
THINGOLT Mon.
ADALHART Presb.
PERACHKER Presb.
THIOTINE Presb.
LIUTERI Mon.

(x) Mabill. Annal. hoc anno. Scheuchzer in specimine Diplom. Turic. edito 1730.

Sex priores, qui ante S. Fintanum scribuntur, ex antiquis ante Restaurationem residui erant, qui cum reliquis, usque ad quatuor postremos, annum 885tum non attigerunt. His vero accessere juniores alii, ad prædictum annum enumerandi. Constat porro ex isto Catalogo plerosque fuisse Presbyteros, quorum quatuordecim illa nota afficiuntur; sed & reliqui omnes litterati erant, utpote Choro & divinis officiis mancipati; nam de Laicis, ut vocamus, conversis, post duo primum sæcula in nostris monumentis occurrit mentio. Erant plerique nobiles aut ingenui, cum plebei raro litteris imbuerentur (y), neque ad Monasterium nostrum usque ad initium superioris sæculi passim admissi fuerint. Cæterum ex his ipsis Monachis quidam simul fuerunt Monasterii Benefactores, ut Thiotin anno 853. Meginhart anno 855. Sigimar anno 856. Suab anno 857. quos suis locis recensuimus.

Anno 860. Hyems erat nimis sæva & prolixa, terræque frugibus noxia (z); unde imminente anno 861. fames validissima exorta est. Præbuit ea calamitas *S. Fintano* nostro occasionem exercendi suam in pauperes charitatem; nam deputatam sibi annonam distribuisse non contentus, ea etiam, quæ a piis hominibus submittebantur, in eum usum adhibebat, Deo servi sui liberalitatem miraculis comprobante. Accidit inter alia, ut die prima Februarii in festo S. Brigitæ Virginis in Hybernia anno 520. defunctæ, pauperum turma duplicato numero accurreret. Vir vero Beatus in adventu eorum Deo gratias agens, particulas, quas ad numerum prius comeantium parare jussit, universæ multitudini distribui fecit, in Dei largitate confisus, qui quinque panes inter quinque millia virorum multiplicavit. Sed licet numerus geminaretur egenorum, & nihil de carnibus vel ab illo vel a quoquam adderetur, unicuique tamen sua particula de eadem caruncula inveniebatur. Id vero miraculum sæpius ab eo patratum fuisse sequentibus celebratur in antiquissimo officio Ecclesiastico: „Inter alia virtutum „exercitia tam singularis exequutor Eleemosinarum exsistebat, ut interdum ex„emplo Divini operis maximæ multitudini pauperum idonee satisfaceret ex pau„cis cibariis.“ Adeo inclaruit miris ejusmodi factis Fintanus, ut in vetustissimis Martyrologiis non nostris tantum, sed locis etiam a Monasterio remotissimis ad diem 15tum Novembris hoc elogio proclamaretur: *In Episcopatu Constantiensi Monasterio Rinaugiensi sancti Fintani Confessoris, qui multum contulit egenis.*

(y) Valian. apud Goldast. T. III. pag. 3.
(z) Hermannus & Hepidannus in Chron. hoc anno.

nis (a). Cæterum a carnium esu Fratres nostri ex præscripto Regulæ S. Benedicti, exceptis infirmis, omnes abstinebant. Sanctus vero Fintanus etiam ex speciali regula solitariorum (b) imo proprio ardore erga abstinentiæ virtutem impulsus, a primo anno suæ reclusionis non tantum carnibus sed etiam pane sibi interdixerit, solis oleribus contentus. Caro igitur illa aut solis pauperibus destinata, aut a piis sæcularibus in eum finem submissa fuit; pro quibus Fratres nostri in antiquissima Lyturgia specialem commemorationem his verbis faciebant: *quorum eleemosinas erogandas suscepimus* (c).

Hac virtutum ac miraculorum fama excitati piissimi conjuges *Nanger* & *Adelnui* anno sequenti 862. tradiderunt ad *Monasterium Wolveni*, quod jam passim a Restauratore & Abbate sic nuncupabatur, in pago Alpigovensi magnum sylvarum alteriusque terræ tractum, cum certis agris in duabus marcis, quæ ambæ ab alpibus *Alpsa seu Alapsin* vocabantur (d), ubi Monasterium jam alia Latifundia ex dono Landfridi possidebat. Facta est ista donatio non solum intuitu cultus Beatissimæ Virginis Mariæ, sed etiam *aliorum innumerabilium ibidem requiescentium*. Tantam sane vim sacrarum Reliquiarum Wolvenus Rhenaugiæ intulit, ut in multis hujus ævi Chartis mentio fiat *quamplurimorum Sanctorum*, Locusque ipse merito *Sanctus* diceretur. Non enim Roma duntaxat Wolvenus, S. Blasii, S. Hypoliti (e) aliorumque exuvias attulerat, sed etiam aliunde conquirere, more sibi jam ab anno 837. assueto, satagebat. Inter quas procul dubio erat pars magna Capitis S. Mauritii Thebeæ Legionis Ducis, quæ ad hunc usque diem in veneratione est. Id probant antiquissima nostra Calendaria & Manuscripta, ex quibus constat, hujus Sancti festum eximio præ reliquis cultu, cum speciali Missa ac Præfatione celebratum, eique sacellum dedicatum fuisse (f). Cæterum non moramur hujus sacræ Legionis hostes, quibus si comperta essent veterum monumenta, & Romanorum inscriptiones (g), non auderent utique, universo orbi ad nauseam usque absurdis argumentis insultare.

Nn 3 Circa

(a) Solerius in Auctario ad Martyrologium Usuardi.
(b) Regula Grimlaci cap. 43. apud Holstein. T. I. pag. 327.
(c) Lyturgia Alemannica edita a Principe Martino Gerbert.
(d) Duplex hujus nominis vicus superest.
(e) Msc. 43. (f) Msc. 30. & 75.
(g) Gallia Christiana T. XII. dissertatione præliminari ad historiam Monasterii Agaunensis a pag. 763. ubi confutantur Hottinger & Füeslin. Item eruditissimum opus posthumum Domini Rivat de Legione Thebea.

Circa annum 866. cum jam dudum *S. Fintanus* reclusus fuisset, facta est translatio Reliquiarum *S. Blasii in Cellam Albam* (h). Exornandus nempe erat & iste locus sacris Lypsanis, quapropter, retento cranio S. Blasii, decrevit Wolvenus, ut brachium illius in vicinum saltum seu nigram silvam, atque adeo in Cellam ibi constructam transferretur. *Saltum* enim *Schwarzwald* fuisse dictum constat ex monumentis hoc ipso tempore datis (i). Cum vero necessaria tam pio operi pararentur, ingens desiderium incessit S. Fintanum, cupiebatque, ut ipsius Martyris reliquias propriis efferre humeris mereretur, per cujus interventum tot supernis fuerat gratiis cumulatus. Verum obstabat votum, quo se obstrinxerat, ex arctissimo loco nunquam se exiturum. Ut igitur Dominus desiderium pauperis adimpleret, ac famuli devotissimi vota rata esse concederet, eadem nocte visus est sibi pontem Rheni fluminis, per quem de ipso Monasterio exitur, cum copiosa multitudine transiisse, *Columbam* quoque, sub cujus specie jam olim adventum suum Roma prævenerat, humeris suis insedisse, & eam se, ut cupiebat, deportasse, inde eandem columbam alios petere, iterumque sibi advolare. Mos inde invaluit, S. Fintanum cum columba humeris insidente in picturis & statuis exhibendi. Utrum vero per hanc visionem adimpletum & extinctum fuerit Sancti desiderium? an ejus vota adeo fuerint exaudita, ut reipsa clausuram egredi, atque in Cellam Sylvæ nigræ sacra ossa deportare sibi licuerit? Hagiographus non satis exprimit; non vacat tamen exemplis, Reclusos ob similes causas dispensative etiam ad longius tempus & iter cellis fuisse egressos. Cæterum in *Cella Alba* cum cultu *S. Blasii* ordo Monasticus ingensque Religio propagata est, ut non solum eidem nomen S. Blasii postea adhæserit, sed etiam Benedictini nominis incrementum mirifice effloruerit.

Anno 869. Ludovicus Rex Germaniæ, Ratisbonæ ægrotans, thesauros suos Ecclesiis, pauperibusque dispensari jussit (k); in cujus aula Wolvenus noster tunc præsens erat. Sequenti vero anno de infirmitate sua convalescens mense Februario in Purificatione S. Mariæ ad *Franconofurt* Villam Regni sui pervenit (l). Ibi Diploma tertium Rhenaugiæ Ludovicus dedit, quo inter Fundatores jure meruit recenseri. Hoc enim Diplomate non solum ab aliis donata con-

(h) Boland. die 3. Febr. T. III. pag. 333. f.
(i) An. 860. 870. Apud Goldast. T. II. pag. 30. Charta 17. Item vita S. Fint.
(k) Hermannus in Chron. ad hunc annum.
(l) Annales Francorum Fuldenses.

confirmavit, fed etiam *de fua proprietate*, ut inquit, Cleggoviæ Comitatum Monafterio contulit, expreffis quatuordecim villis, quarum amplitudo quatuor horas in longitudine a *Suabova* usque ad *Laucheringam*, in latitudine vero tres a *Raffa* ad *Sibelingam* complectitur, & antiquitus Comitatum Cleggoviæ conftituiffe fertur (m). Adjacebat ifta regio percommode Rhenaugiæ, ut, quæ ex altera Rheni parte magnum terræ tractum per Wolveni donationem poffidebat, in media fluminis infula confiftens, non minori poffeffionum fpacio ex altera parte gauderet. Fecit id Rex ob fuæ mercedis augmentum, & pro remedio animæ avi fui Karoli, Genitoris Ludovici, Hemmæ Conjugis atque Prolium fuarum. Loca vero his nominibus exprimuntur: *Gachtelinga*, *Sibelinga*, *Hovifiat*, *Hideftat*, *Altunburg*, *Balba*, *Suabova*, *Raffa*, *Wolvenesriuti*, *Willehinga*, *Hafelacha*, *Arzinga*, *Wizwila*, & *Loucheringa*. Inter hæc loca nunc alii vici interjacent, verum ficuti quidam ex nominatis hactenus perierunt, fic alii poftea fucceffive enati funt. Addidit Ludovicus Regia utens poteftate Ecclefias, ædificia, filvas, molendina, mancipia, & alia ampliffima jura, quæ per Advocatos, ut primum, deinde per Officiales & Feudatarios adminiftrata fuerunt.

Cleggovia olim pagus, nunc Sueviæ Landgraviatus, inter Alpegoviam & Hegoviam ad Rheuum in finibus Helvetiorum fitus, incolas *Latobricos* habuiffe fertur, qui cum Tulingis & Rauracenfibus ab Helvetiis in focietatem adfciti, & in Galliam irrumpentes, anno feptimo fupra quinquagefimum ante Chriftum natum a Julio Cæfare profligati fuerunt (n). Variam deinceps cum Marcomannis, Suevis & Germanis fortunam fubiit Cleggovia; demum a Clodoveo Magno expirante Sæculo V. unacum Alemannis bello fubacta, fub Francorum Regibus & Imperatoribus inter propria eorum alodia cenfebatur; occurritque Cleggovia in teftamento Caroli M., quo eam anno 806. filio Carolo, usque ad locum *Enge* verfus Rhenum, ubi ab Hegovia diftinguitur tributa eft (o). Ejus Nepos Ludovicus Cleggoviam unacum reliqua Alemannia & orientali Francia ab anno 833. fub fua habebat poteftate, regebatque per Comites, quorum unus *Adilbertus* in prima noftra Charta ad annum 844. nominatur. Subinde, prout alia alodia, in Beneficium dabat ad dies vitæ Nobili cuipiam aut bene merito viro (p); qualis erat *Odileoz*, quem inter primos Cleggoviæ Dynaftas numerare fas eft. Hoc

(m) D. Koller in Defcriptione Cleggoviæ Mfc.
(n) Cæfar de Bello Gall. l. I. c. V. edit. Haurif. T. III. p. 392.
(o) Jo. Georg. Eckardt Franc. orient. T. II. pag. 42. & 45.
(p) Charta apud Herrgott 114. & noftra 12.

Hoc vero Monasticen in Monasterio Rhenaugiensi professo, quæcunque a Rege in beneficium adeptus fuerat, *ad proprietatem* Regis, ut ipse in Diplomate exprimit, rediere. Non diu tamen illa retinuit Rex, sed prout retulimus, Monasterio Rhenaugiensi in perpetuum tradidit possidenda.

Neque Regis munificentia his coarctari se passa est, quin & de Regalibus suis juribus *Rhenum* ipsum a Majoribus Cataractis usque ad influentiam Tauri, duarum ferme horarum fluxu, *cum jure piscandi*, Monasterio tradidit, ne scilicet pisces Monachis vice carnium deessent. Superior pars fluminis usque ad vicum Suabova supra Monasterium ad oram silvæ cognominis positum, quoad tempus piscationis divisa tunc erat, inferior vero sine exceptione cessit Monasterio, manetque ad hanc usque diem, ubi omnimoda jurisdictio exercebatur. Demum eodem Diplomate confirmavit Rex liberum jus post mortem Wolveni, alium Abbatem *secundum Regulam S. Benedicti* eligendi. Quibus verbis satis indicatur, cuinam Instituto Monasterium nostrum ab ovo fuerit addictum. Unde in quodam Manuscripto Psalterio hac ætate exarato distribuuntur *Cantica Ambrosiana secundum ordinationem S. Benedicti*; cujus sanctissimi Patris nomen vetustissima Lyturgia (q) inter alia Sanctorum nomina in Canone Missæ continet, ejusque festum duplex tam mense Martio, quam Julio præscribitur; nec desunt antiquissima S. Regulæ apographa. Sed revertamur ad Ludovici Diploma, cujus duplicatum exemplar, ut in gravioribus solebat (r), expediri curavit, utrumque sub eleganti Regis sigillo & subscriptione datum anno 37mo Regni ab orientali Francia, indictione tertia, quæ ad amussim conveniunt Anno Christi 870. XIII. Kal. Aprilis, profesto nimirum S. Benedicti, quo Regem Francoforti ob negotia adhuc detentum fuisse ex Fuldensium Annalibus Francicis liquet. Wolvenum vero Abbatem nostrum tunc Regi præsentem fuisse docet Charta in cubiculo Regis data Chircheimii eodem anno II. Nonas Aprilis, ac proinde haud diu post datum superius Diploma. (s)

Anno 871. contigit Translatio Reliquiarum insignium *S. Januarii* Martyris & Episcopi Beneventani non solum in Augiam sed etiam in Rhenaugiam nostram (t). Certe ab illa ætate Rhenaugienses nostri non minus quam Augienses festum

(q) Edita a Principe Gerberto.

(r) Mabill. de Re Dipl. lib. I. cap. 7. n. 5. Chronicon Gottwicense pag. 77.

(s) Apud Goldast. Rer. Aleman. T. II. p. 30. Charta 17. Sub Karolo principe Brisgoviam gubernante.

(t) Boland. Septem. T. VII. pag. 789.

festum hujus sancti Patroni solemniori ritu, & quidem die 19. Octobris (licet alias ejus festum incidat uno mense prius) celebrarunt, ut constat ex antiquissimis Codicibus nostris (u), in quorum uno exhibetur Hymnus proprius ejusdem Sancti; in alterius vero Calendario ad prædictam diem ista leguntur: *Passio SS. Januarii &c. Augia & Renaugia.* In alio denique exhibetur Translationis historia.

Eodem Anno S. *Fintanus* cum ætate majorem virtutis profectum faciens, duplicavit rigorem vitæ, & licet viribus deficiens, ab oleribus quoque, imo *ab omnibus, quæ mandi possunt*, se Domino confortante, abstinuit, extra pisciculos, & hos paucissimos, quos quidem Regula Solitariis indulget. His irritatus orcus totam Dœmonum aciem contra *Fintanum* produxit, quorum tantam multitudinem aliquando conspexit, ut terram simul & arbores, quos Rhenus hinc inde cingit, implere viderentur; cumque diu horrisonas darent voces, sancti Viri precibus disparuerunt, & ulterius illi nusquam comparuerunt.

Circa idem tempus *Adilbertus Comes* ex bonis Monasterii in Italia centum libris emit *Chodrum*, locum in pago *Tortonensi*, quem *Corregio* a posteris dictum credimus, haud procul ab oppido *Novi* situm. Unde Wolvenus Abbas occasionem nactus est, novam donationem Monasterio faciendi, ut loco illius multo plura loca stabilia nancisceretur. Acceptis nempe illis centum libris, in usus sibi bene visos impendendis, Monasterio diversa latifundia in tribus pagis vicinis tribuit, quæ pretium illud procul dubio excedebant (x). Dedit imprimis in pago *Cleggowe*, in villa, quæ vocatur *Altunburch*, quinque *Huobas*, & quidquid ad illas pertinet, quarum unaquæque jus possidebat decem porcos saginandos immittendi in silvas *Loftettenses*, ad *Wolveni* proprietatem pertinentes, quando ibi glandes inveniri possent. Equidem perstitere quinque illa Prædia in eodem loco, ad nostram usque ætatem distincta. Porci autem frequenter alebantur in Monasteriis, prout de Cassinensi quoque constat, ubi Carolomannus quondam Rex, Frater Caroli Magni, ejusmodi animalia pascebat. Erat enim licitum, quibusdam diebus lardo uti Monachis, carne servis aut pauperibus erogata. Deinde in pago Alpegovensi hac occasione Wolvenus tradidit in villa *Wizzin* (Wizen) rem Ecclesiasticam, & omnia ad eam pertinentia: Item quidquid habuit

(u) Msc. 75. 81. 111. &c.
(x) Charta apud Herrgott Num. 72.

buit in *Pallinholtz* (Pahnholtz) ſita haud procul Waldkirchio: & in *Mettingen*, ubi curtis jam olim Monaſterio donata fuit. Denique in Pago *Turgove* in villa *Nuzpoumin* (Nuſsbaumen) bona reſidua, cum terris, ædificiis, ſilvis &c. ſeu quidquid dici aut nominari poteſt. Ex quibus conſtat, *Wolvenum* jugiter dominium latifundiorum ſuorum ſibi reſervaſſe, prout in pleriſque Chartis *Dominus* locorum compellatur, licet ejus liberalitas erga Monaſterium, cui *Abbas Gregi Dei præerat*, fuerit ferme inexhauſta. Data eſt hæc Charta anno Regni Ludovici a pace Virdunenſi XXVIII. proinde anno Chriſti 871.

Inter hæc ſollicitus *Wolvenus*, ut fundatio Monaſterii cum præclara dote, poſt ſuam ac Ludovici Regis mortem, inconcuſſa ac ſalva maneret, *Carolum* Regis filium tunc Briſgoviæ Præfectum (y), ſupplex interpellavit, ut Monaſterium cum omnibus bonis in ſpeciale jus & dominationem ſeu tutelam ſuſcipere dignaretur. Fecit id Princeps, ut teſtatur in Charta a ſe data in *Aſchinza* (Eſchenz) in qua *Wolvenum* Virum Illuſtrem, titulo, qui ſupremis duntaxat in Regno optimatibus tam Eccleſiaſticis quam Sæcularibus dabatur (z), & *Fidelem Abbatem* nominat. Ambo igitur anno 872. concambium magni momenti celebrarunt de rebus Monaſterii cum Gozberto Comite. Hic enim tradidit Monaſterio imprimis *Decimationis integritatem* in villa *Arzingen*, incluſa illa quoque parte, quæ alias ad Epiſcopum Conſtantienſem pertinebat, quo quarta Decimarum illo ævo jam aſſueta haud obſcure deſignatur, præſente ac conſentiente *Salomone* Epiſcopo, cui Gozbertus in vicem illius partis prædia quædam particularia ceſſerat. Tradidit quoque Comes hæreditatem ſuam in *Trasmundingin* (Traſedingen) & *Rechbergin* (Rechberg) quam a *Rickero*, ex aliis monumentis noto, quondam acquiſierat: Inſuper & illam partem, quam in *Suabowa* habuit: nec non & omnem Decimationem in *Ildeſtettin & Hoveſtettin*: denique & Huobas quasdam, quas in *Balba* tenebat, cum omnibus terris, ædificiis, & quidquid dici aut nominari poteſt. Econtra accepit *Gozbertus a Carolo & Wolveno* ex poſſeſſionibus Monaſterii, quidquid in *Laufarro* (Lauffen) Marcho habuit, in Villalis *Langenwiſa*, *Flurlingin*, *Morinswilare*, & *Tachsheim*, certo argumento, ea antehac ad Monaſterium pertinuiſſe. Addita etiam fuere Gozberto illa, quæ Monaſterium poſſidebat in locis *Lozeſtettin & Roſſa*. Factus eſt ſolemnis iſte contractus præſentibus utriſque partibus, nec non *Salomone* Epiſcopo & *Adilberto* Caroli Miſſo, qui contra-

(y) Apud Goldaſt. Rer. Alem. T. II. Chart. XVII.
(z) Mabill. de Re Diplom. Lib. II. cap. 3.

contrahentes de ipsis rebus *reinvestivit*, unde nomen *investiturae* postea enatum. Licet porro hæc anno præsenti contigerint, Charta tamen desuper primum anno sequenti conscripta; nam & alia ejusdem Concambii confirmatio demum prodiit anno 878. prout infra recurret.

Missus ille Regius *Adilbertus* videtur is ipse fuisse, qui haud pridem ex Monasterii bonis Italiæ in pago Tortonensi nonnulla centum libris coemerat; fortasse & ipse Guelphicæ familiæ surculus. Is cum plura in eadem regione conquirere cuperet, iniit quandam cum Monasterio commutationem anno 873. (a) Recepit enim in dicto pago Tortonensi locum *Gaves* (hodie sub nomine *Gavi* notum) cujus loco tradidit totam hæreditatem suam in pago Alpigove, in villa nuncupata *Gurtwil* cum terris, ædificiis, mancipiis &c. Venit nihilominus inter Benefactores eximios referendus, cum Monasterio tradiderit non solum Gurtwilam, sed etiam Gaves non aliter receperit, quam ut diebus vitæ suæ eodem fruatur, post mortem vero suam ad antedictum Monasterium restitui voluit in perpetuum tenendum.

Anno 875. Ludovicus II. Imperator & Rex Italiæ, Nepos Ludovici nostri, ex fratre Lothario obiit, sepultus Mediolani in Basilica S. Ambrosii (b); cui in Imperio successit *Carolus Calvus* Rex Galliæ Judithæ Guelphicæ filius, *Wolveni* consobrinus. Quo anno *Winithere* salutifera compunctione pertractus, tradidit Rhenaugiæ, ubi *Wolfene Fundator loci illius Venerabilis Abba* præerat, quicquid habuit in pago Turgowe, in Comitatu *Adilberti* Comitis, circa villam *Pazmundingen* (Basendingen) non solum ad Rhenum usque, sed etiam ultra illum fluvium, excepto usu fructu, quamdiu in sæculo vixerit, unius Jurnalis, & Garandæ, cum Molendino, quod situm est ad orientalem partem torrentis, qui dicitur *Biberacha*, ubi adhuc hodie insigne Molendinum in Hegovia Rheno imminens visitur. Factus est deinde Winithere Rhenaugiæ Monachus, Catalogo S. Galli insertus, sed adjectis quibusdam conditionibus pro illorum temporum disciplina notatu dignis. Condixit se suaque bona Monasterio Rhenaugiæ sub pacto, ut duorum Fratrum annona, nec non indumenta, sicut duo Fratres singulis annis accipere solent, illi tribuantur, insuper & unius *Canonici* tertia annona, præter ejus indumenta addantur. Annona illa procul dubio ex Regula S. P. Benedicti consistebat in libra propensa panis, duobus pulmentariis, & quandoque tribus, unaque vini

 hemina,

(a) Charta apud Herrgott Num. 72.
(b) Hermannus in Chronico.

hemina, seu potius cerevisiæ, cum vinum adhuc rarius in nostris partibus cresceret, quæ supererant singulorum victui, procul dubio licebat pauperibus erogare; quem in finem tam copiosam annonam Winither sibi pepigisse videtur. Certe Sangallenses, quando S. Conrado Episcopo in Fraternitatis societatem assumpto anno 960. diurnam annonam promiserunt, id alium in finem factum vix existimo, quam ut pro ipso pauperibus erogaretur (c). Mentio *Canonici* in præsenti Charta demonstrat, præter Monachos alios quoque Presbyteros sæculares, quos tunc a sacris Canonibus, quibus adstricti erant, sic vocabant, fuisse alitos atque conductos, qui lege stabilitatis non tenebantur (d). Passim illo ævo ejusmodi Canonici occurrunt (e); qui etiam pro animarum cura ac distribuendis Sacramentis necessarii erant; idque fiebat in Ecclesia separata, nam in Basilicas Monachorum non licebat intrare fœminis. Verosimile est, jam tunc Ecclesiam SS. Felicis & Regulæ, in atrio Insulæ positam, illi usui fuisse destinatam; certe altera Ecclesia in oppido, utpote antiquissima exstabat. Confessiones saltem virorum a Monachis auditas fuisse, erui videtur ex Lyturgia sæpe dicta, quæ Monachorum usui aptata erat, ubi memoria occurrit *pro iis*, ut inquiunt, *qui nobis propria crimina confessi sunt*. Stipendia quoque pro Missis dari solita fuisse, ex eodem Codice certum est, contra ac nonnulli censuerunt (f); nam pagina 318. pro uno solido assignantur tres Missæ, pro libra duodecim cum totidem Psalteriis.

Anno 876. die 6. Februarii Hemma Regina (g) Ratisbonæ obiit & in Basilica S. Emmerani sepulta est. Eam plurium Monasteriorum Fundatricem ac Benefactricem fuisse constat. Ad quem annum referendæ sunt quædam donationes Monasterio nostro factæ. Imprimis *Engilhart*, cujus nomen inter Monachos nostros reperitur, tradidit Monasterio quidquid habuit in *Hierolteswilare* (Geroldsweiler in pago Zurigovienti ad Linnachum fluvium) ita duntaxat, ut, ipso Monasterium ingresso, Frater ejus Adiloz cum sua posteritate usumfructum habeat, & inde singulis annis Monasterio ad Natale Domini persolvat, & ad Villam, quæ vocatur *Schwarza*, deferat de vino situlas sex, & totidem Maltera de grano; quem censum, si per tres annos dare negligat, usumfructum amittat, & ad

(c) Apud Gold. Rer. Alem. T. II. p. 1.
(d) Mabill. Annal. ad an. 818.
(e) Goldast. cit. pag. 107.
(f) Mabill. præfat. in part. I. Sæc. III. **Bened. Anonymus Gallus reducit ad Sæc. XII.**
(g) Hermannus in Chronico.

ad Monaſterium redeat. En prima in Chartis noſtris mentio vini, & quidem in pago Zurigovienſi, in quo etiam Villa Schwarza ſita erat, poſtmodum Schwarzach nuncupata a præterfluente rivo, ubi nunc Monaſterium Virginum Paradyſus exſtat.

Altera donatio facta eſt a nobili Matrona *Thieterat*, quæ pro ſe & anima defuncti Mariti ſui *Domini Danchradi* tradidit, quidquid in pago Turgove in locis *Trullinhoven & Slat* habuit tam terris, ædificiis, mancipiis, ſilvis, vineis &c. ſub eo pacto, ut diebus vitæ ſuæ fruatur non ſolum iſtis, ſed etiam aliis, quæ in iisdem locis ad Monaſterium pertinebant; poſt ejus vero de hac luce diſceſſum ambæ res melioratæ ad Monaſterium redeant in perpetuum tenendæ. Ubi altera de *vineis* occurrit mentio in pago Turgovienſi, qui illa tempeſtate idem erat cum Zurigovienſi (h); hodie enim locus Trullicken continetur in Comitatu Kiburgenſi, & generoſum præ reliquis virum germinat.

Prædictus *Danchradus* tres habuerat fratres, Amilgerum, Othanherum, & Wichramum. *Amilger* a Danchrado & Othanhero prædium aliquod obtinuerat ſitum in eadem marcha Trullinhoven Monaſterio ſubjecta, ut diſſerte exprimitur. Hoc prædium Amilger obtulit Monaſterio, ita tamen, ut ejus uſumfructum poſſideret ejus frater *Wichramus* Monachus Rhenaugiæ, & poſtea Abbas, more ſcilicet illius ævi S. Regulæ non plane conformi. Poſt Wichrami obitum prædium illud tranſeat ad alium Amilgerum filium iſtius Benefactoris Amilgeri, ambo tamen gravantur onere, *ut Monachis in feſtivitate S. Benedicti dent prandium ſingulis annis*. Poſt mortem denique amborum redeat prædium ad Monaſterium & *ad Menſam Fratrum*. Feſtivitas porro S. Benedicti, cui prandium erat inſtruendum, celebrabatur tam in choro quam in foro die undecima Julii, cum in Martio ob quadrageſimam non liceret. Lyturgia ſæpe laudata utroque quidem die proclamandum in Calendario ſanctum Benedictum aſſignat: at feſtum ejus cum Miſſa propria primum præſcribit undecima Julii ſub nomine *Natalis*, non vero Commemorationis aut Translationis ſancti Benedicti. Data eſt hæc Charta in *Rhenaugienſi Inſula*, qualiter in vita S. Fintani ſæpe exprimitur.

Interim *Ludovicus Rex* fortis & Religioſus apud Franconofurt V. Kal. Septemb. vita deceſſit, & apud Lauersham Cœnobium ſepultus eſt, Regnumque ejus tres Filii Karolomannus Bajoariam, Ludovicus Germaniam, Karolus Alemanniam,

(h) Herrgott T. II. P. I. Charta 54. & 1. & 2. ubi in pago Durgaugienſi qui dicitur Zurichgovia. Chronicon. Gottwic. pag. 581. utrumque confundit, & usque ad Rhenaugiam extendit.

manniam, finguli cum adjacentibus provinciis accepere. His ex Hermanno Contracto defcriptis, addere libet fequens elogium ex Reginone (i) in grati animi fignificationem erga tantum Benefactorem. Fuit ifte Princeps Chriftianiffimus, fide Catholicus, non folum fæcularibus, verum etiam Ecclefiafticis difciplinis fufficienter inftructus; quæ Religionis funt, quæ pacis, quæ juftitiæ, ardentiffimus exequutor; ingenio calidiffimus, confilio providentiffimus, in dandis five fubtrahendis publicis dignitatibus difcretionis moderamine temperatus, in prælio victoriofiffimus, armorum quam conviviorum apparatus ftudiofior, cui maximæ opes erant inftrumenta bellica, plus diligens ferri rigorem, quam auri fulgorem; apud quem nemo inutilis valuit, in cujus oculis perraro utilis difplicuit, quem nemo muneribus corrumpere potuit, apud quem nullus per pecuniam Ecclefiafticam five mundanam dignitatem obtinuit, fed magis Ecclefiam probis moribus & fancta converfatione, mundana devoto fervitio, & fincera fidelitate. Habuit autem hic gloriofiffimus Rex, cujus memoria in Benedictione eft, Reginam nomine *Hemmam* fibi in Matrimonium junctam, quæ nobilis genere fuit, fed quod magis laudandum, nobilitate mentis multo præftantior, ex qua tres filios fufcepit excellentiffimæ indolis. Hactenus Regino. Albertus vero Stadenfis in Chronico ad hunc annum & alibi fæpe *Ludovicum* hunc noftrum *Imperatorem* nominat, quo titulo pofterioribus fæculis non raro occurrit; dignus fane præ reliquis Fratribus fuis, qui eam dignitatem fua virtute cohoneftaffet.

Reftat alia donatio eodem anno facta ab Othram, qui dedit Monafterio, quidquid habuit in pago Cleggowe in villis *Wizwila & Arzingen*, fub pacto tamen, ut fi reverfus fuerit ab itinere, quod bene longum erat, ac fortaffe in terram fanctam, redimere donata quatuor denariis poffet; fi reverfus non fuerit, poteftatem redimendi, majori tamen pretio, intra quatuor annos habeant Othardi fratris ipfius filii. Ejusmodi reluitionis pacta hoc ævo fæpius donationibus addebantur (k), raro tamen executioni mandata funt. Subfcribitur Chartæ *Uodalricus* Comes (l) qui circa idem tempus frequenter in monumentis recurrit. Ad annum 1023. alius Othram comparet eorundem locorum Dominus, cujus hic nofter Othram fortaffe proavus fuit.

Eodem

(i) Ex Codice Mfc. Einfidl. Sæc. X.

(k) Vadianus apud Goldaft. T. III.

(l) Apud Herrgott Charta 80.

Eodem anno, quo Ludovicus Rex pius obiit, *Wolo* cecidit (m). Erat autem Wolo Monachus S. Galli, eximii adolescens ingenii, quem Eckardus Junior (n) scriptor undecimi Sæculi *Comitis cujusdam filium* vocat: Eckardus vero minimus, qui Sæculo decimo tertio vixit (o), diserte nuncupat Beati Nolkeri ex sorore nepotem, & *Comitis de Kiburg filium.* Id procul dubio fecit more sui ævi, quando possessores illius arcis jam Comites ab illa dici volebant. Quod si ergo ex conditoribus ejus arcis procreatus fuit Wolo, certe ad Fundatores nostros erit referendus. Hoc ultro fatetur Goldastus (p). Neque erat ditissimus Senckenbergius dubitat, Wolonem, quem teutonice *Wolv* seu Welf existimat dictum (q), fuisse nepotem unius ex Fundatoribus Rhenaugiæ. Quin imo Clarissimus Joannes Georgius Eccard de Originibus Gentis Guelphicæ filium putat *Wolveni* Restauratoris nostri. Verum licet ætas non adversetur, aliæ tamen circumstantiæ Wolveni nostri historiæ Wolonis non conveniunt. Narratur siquidem, eundem Monachum indolis vagæ & inconstantis ab ipsius Parentibus, Monasterium S. Galli invisentibus, commonitum ad breve tempus resipuisse: at quadam die, dum campanile ascenderet, in Ecclesiam prolapsum ante altare sanctarum Virginum, quarum cultor & imitator erat, cervicem fregisse; post confessionem nihilominus communicatum in præsentia B. Notkeri avunculi sui expirasse, qui duplicatum Monachi pensum pro ejus anima in se susceperit, nec obscura æternæ salutis indicia obtinuerit. Non, inquam, quadrat hæc Parentum visitatio in *Wolvenum* nostrum, qui jam ab anno 858. Rhenaugiæ Abbas fuit. Si tamen *Wolo* filius Comitis de Kiburg, & Nepos unius ex Fundatoribus nostris fuit, procul dubio Ethico Senior avus ipsius erat, qui eum per Hartmannum Fratrem Wolveni procreavit. Wolonis frater forte Hucbaldus erat, qui ex alia Thietberga, filia Burchardi Nellenburgici, S. Udalricum Episcopum Augustanum genuisse fertur (r). In eam saltem cum Illustrissimo Senckenbergio sententiam eo, plures exstitisse Guelphici generis ramos adhuc incognitos. Certe monumenta non desunt quæ Wolveno nostro plures filios tribuant, item-

que

(m) Hepidannus in brevi Chron. S. Galli.

(n) Cap. 3. apud Goldast. pag. 26.

(o) Apud eundem pag. 242.

(p) Tom. I. pag. 254.

(q) Apud Wegelin Thesauri Suev. T. II. p. 136.

(r) Stumpfius in Chronico eorum nuptias ad annum 890. adscribit.

que cuidam ipsius fratri, ex quibus plures rami Welphici stemmatis exoriri poterant. (s)

Anno 877. *Karolus Calvus* Galliarum Rex & Imperator æstate Italiam ingressus, cum Karolomannum quoque fratris sui, nempe Ludovici Germanici filium, se invito, transcensis alpibus pugna secum congredi velle cognovisset, fugam more suo iniit, & inter fugiendum dysenteria correptus periit anno regni trigesimo septimo, scilicet a morte Patris Ludovici Pii, & in Burgundia Agauni sepultus est (t); post quem filius ejus *Ludovicus Balbus* Regnum Galliarum accepit.

Cæterum hic annus centesimus est, a prima Rhenaugiensis Monasterii fundatione, & vere Jubilæus, quo nempe apicem perfectionis attigisse videtur. Tanta siquidem rerum temporalium affluentia, tanta Virorum Illustrium copia, tanta denique Regularis vitæ observantia præstabat, ut illius ætas vere aurea dici mereatur. Protendebat plures in pagos ac regiones sua latifundia, Cellam Albam, quæ nunc dicitur S. Blasii, sibi habebat adjunctam; media suas inter possessiones, hinc Turgoviæ, illinc Cleggoviæ secura Rheno innatabat, ut vix aliud Monasterium a suis incunabulis tanta amplitudine videatur fundatum. Summorum Regum ac Principum gaudebat gratia; Comites ac Dynastæ certatim sua bona contribuebant; neque deerant inter hos, qui seipsos Deo ibi consecrarent. Abbas Illustrissimi generis potentia & authoritate vix ulli cedebat. Regularis disciplina, a primo Restaurationis fervore calescens, fulgebat præsertim in S. Fintani virtutibus, mirisque factis. Verbo! *Locus sanctus* erat, præstantissimorum Virorum, & sacrarum Reliquiarum copia celebratissimus; quæ quidem Rhenaugiæ felicitas per dimidium sequentis sæculi cursum inconcussa perseveravit, quousque tandem nova vastatione pene deleta, plurimum de pristina celsitudine amisit. Verum hujusmodi vicissitudines, Divina providentia sic disponente, singulis ferme sæculis experta fuit, adeo equidem, ut integro millenario gravissimis quidem calamitatibus pressa, nunquam tamen hactenus oppressa fuerit.

SÆCU-

(s) Fragmentum Chronici Einsidlensis Msc. hæc habet: Als das land vom herren Wolvene geerbt war, kam der selb und sine söhn mit einem sinem bruder, und sinen sönen in grossen Krieg &c.

(t) Ita Hermannus contractus in Chronico ad hunc annum; quamvis alii Carolum Calvum in alio quodam Monasterio Lugdunensis Diœcesis sepultum tradant, forte illuc Agauno translatus.

SÆCULUM MONASTERII RHENAUGIENSIS SECUNDUM.

Annus primus Sæculi ſecundi Rhenaugiæ noſtræ ſat memorabilis fuit. Imprimis præcipiente Rege *Carolo Craſſo*, anno Regni ejus ſecundo, *Wolvenus* Abbas cum conſenſu Fratrum, & *Luitonis* advocati, denuo confirmavit commutationem plurium bonorum cum *Gozberto* Comite olim factam, quam anno 871. retulimus.

Verum multo illuſtrior hic annus evaſit beatiſſimo tranſitu ſanctiſſimi Confratris noſtri *Fintani*, qui poſtquam viginti ſeptem annos in Monaſterio noſtro, & horum viginti duos, arctiſſimæ Cellæ incluſus, pro Dei amore tranſegiſſet, inaudita corporis auſteritate, virtutum ſplendore, cœleſtibus viſionibus ac miraculis clariſſimus, anno hujus Sæculi pariter & ætatis ſuæ ſeptuageſimo octavo, die decima quinta Novembris, ſedem in Cœlo, jam pridem ſibi promiſſam, occupavit (a). Mox miraculorum gloria, ut in vita, ita poſt obitum, quoque enituit, quæ teſte authore Synchrono, *in alio miraculorum volumine cum aliis ſanctiſſimi Viri virtutibus, prout multis veraciter teſtibus comprobata erant, fuere cum cautela enarrata* (b). Nec mirum proinde, ejus ſanctitatis famam mox longius propagatam, atque vix Sæculo interpoſito cultu publico fuiſſe affectum. Sepultus fuit in Monaſterii Baſilica S. Mariæ eo in loco, ubi nunc ejus Mauſolæum conſpicitur. Recluſorium vero ipſius, quod tunc extra Eccleſiam parieti adſtructum erat, illud occupabat ſpacium, ubi modo altare ejus honori conſecratum extat, Eccleſia nova verſus ſeptentrionem magis protenſa. Ejus effigiem exhibet codex pervetuſtus cum ſanctitatis inſigniis. Urceus vero ejus ligneus anno ſæculari 1578. a Theobaldo Abbate exornatus, inter ſacra cimelia aſſervatur, cui hi verſus immiſſi ſunt:

Scoti-

(a) Mabillon ubique veterem calculum ſecutus S. Fintanum medio Sæculo antiquiorem facit, Act. SS. Sæc. IV. Annal. lib. 26. a. 800. pag. 351. & lib. 30. pag. 512.

(b) Goldaſtus Rer. Alem. T. I. pag. 141. merito luget, hoc volumen periiſſe.

Scoticus in Cœlo claret Fintanus olympo,
cumque Deo vivit, nomen in orbe manet.
Sueverat ex amplo mera pauca capessere poclo,
quo minus a Christi tramite flectat iter.
Me, quia corrodit tandem invidiosa vetustas,
ære Theobaldus rupta recomposuit.

Fertur *Wolvenum* Abbatem & Restauratorem nostrum paulo post a S. Fintano ad meliorem pariter vitam advocatum fuisse, cujus obitus in antiquissimis Calendariis nostris unanimiter adscribitur ad diem 23^tiam^ Decembris. Certe ejus mentio, alias in Chartis tam frequens, posthac desideratur. Monumentum, ut par erat, nactus est in eadem Monasterii Basilica, cui tamen nomen *Fundatorum*, in numero plurali, adscriptum olim erat; fortasse quod quidam ex ejus Progenitoribus aut Liberis simul conditi ibi essent. Sarcophagum, quod ossa continet, lapideum est, sed angustius, quam ut pluribus condendis corporibus sufficere possit. In veteri Ecclesia Monumentum istud in media navi elevatum, & crate a proterentium pedibus munitum erat, quod tapetibus, umbella & luminibus subinde ornabatur, precibus vero ferme quotidianis a Fratrum Choro frequentabatur; ne scilicet ignorarent posteri, eos ex ipsis fundationum tabulis adstringi ad orandum *assidue* pro Fundatoribus. Laudes *Wolveni* hoc loco non prosequor, cum abunde ex enarratis elucescat ejus munificentia in Monasterium, in Deum religio, devotio erga Deiparam, pietas erga sacras Reliquias, prudentia & dexteritas in agendis, quibus Monasterium ab inimicis pene vastatum non restauravit solum, sed & ditavit, ampliavit, & ad summæ felicitatis culmen perduxit. Doctum lege divina monumenta testantur, & sacerdotio initiatum fuisse (c). Humilitate adeo profecit, ut cum in plerisque Chartis præclaris titulis, Illustris, Nobilis, Vassi Regii, Fidelis, Domini, Senioris, Restauratoris, Fundatoris, & Comitis affectus fuisset; ipse in Charta postrema, hoc ipso anno data, sese humilem duntaxat Abbatem nominaret: *Ego Wolvene humilis Abbas cum consensu Fratrum &c.* At in Calendariis antiquissimis honorificentissime inscribitur; unum enim habet: *Obiit Wolvene Dominus Constructor hujus loci.* Alterum vero: *Wolvene Renaugensis Monasterii Fundator.* Tertium denique: *Wolvenus Comes Restaurator hujus Monasterii Renaugie.*

WICH-

(c) Monumenta Msc. Einsidlensia.

WICHRAM,

ABBAS IV. RHENAUGIÆ ET CELLÆ ALBÆ.

Wichramum Wolveni Succeſſorem fuiſſe, ex Catalogo S. Galli, de quo mox plura, certo conſtat. Inſuper ex quadam Charta de anno 875. liquet, Wichramum fuiſſe Monachum Rhenaugienſem, Amilgeri Benefactoris fratrem, atque adeo ex gremio electum. Cæterum Regna his temporibus multis viciſſitudinibus ſubjecta erant; nam anno 880. mortuo Carolomanno Bojoariæ Rege, qui Regnum Italiæ ſubigere tentaverat, *Carolus* Alemanniæ noſtræ Rex Italiam petens, Romamque veniens, unacum Regina Richarda, Imperiali unctione a Joanne Papa coronatur ipſo feſto Natalis Domini (d), a quo ſequentem annum Hermannus Contractus auſpicatur. Fuit is *Guelphoni* centulæ Abbati emortualis, cujus Succeſſores fuere germani Fratres *Conradus* junior, & *Hugo* dictus Abbas, quorum ille eodem anno mortuus reliquit Viduam *Adelaidem*, Hugonis Comitis Alſatiæ, ex Progenitoribus Habſpurgicis, filiam, Matrem Rudolphi Burgundiæ Regis (e); ex cujus ſecundo matrimonio cum *Roberto*, Fortis dicto, prodiit Hugo Rex Galliæ.

At *Carolus*, defuncto etiam altero Fratre Ludovico, Regnum Germaniæ ſeu Franciæ orientalis adeptus anno 882. celebrato in Alemannia Natali Domini, ad S. Gallum divertit; ubi reſignante Hartmuto, ſupradictorum centulæ Abbatum cognato, ſubſtitutus Abbas per electionem Fratrum *Bernardus* fuit. Eo in loco Rhenaugia jacturam Reſtauratoris ſui Wolſeni experiri cogitur; cum enim is Monaſterium ſuum in jus proprium, & dominationem, poſt ſuum obitum habendam, *Carolo* tradidiſſet, hic Monaſterio ſancti Galli, cui addictiſſimus erat, donavit in pago Turgovienſi *Wolverſriuti* ſeu Wolfersreute, hodie Roſswiler & *Stainhem* ſeu Stamheim ampliſſimam villam (f), olim in fundatione Wolveni comprehenſam. Non enim alienum erat a Regibus illo ævo, etiam integra donare Monaſteria, prout ibidem Carolus S. Gallo ob vini & olei copiam tradidit *Maſſin* Lombardiæ Cœnobium, quod Ludwardus Epiſcopus Vercellenſis & Cancellarius in beneficium tenebat. Poſthæc *Carolus* ſummæ tandem poteſtatis culmen eſt aſſequutus, cum mortuis Carolomanno & Ludovico filiis nothis Ludovici

(d) Hermannus in Chronico ad annum 881.

(e) Mabill. in Annal. eodem anno. Schœpflinus Alſatiæ Illuſt. T. I. pag. 753. 778. & 781.

(f) Ratpert. apud Goldaſt Rer. Al. T. I. pag. 10. Lang. 337. Stumpf. l. V. cap. 5.

vici Balbi, qui jam anno 879. decesserat (g), ac postposito legitimo posthumo Carolo tunc quadrimo, ei Galliae Regnum fuit delatum. Unde non solum a corporis mole *Crassus* seu *Grossus*, sed etiam ab amplitudine Regni *Magnus* dicebatur, renovato Caroli Magni Imperio in Italiam, Galliam, & universam Germaniam. Elevatus nempe in altum fuerat, ut lapsu graviore rueret.

Anno 885. Indictione III. imperante Serenissimo Domno Karolo Imperatore Augusto, facta est conventio salubris inter Monasterium S. Galli, cui tunc venerabilis Abba *Bernardus* praeerat, & aliud Monasterium, quod *Rinowa* nominatur, ubi *Wichramnus* Abba praefuit ipso tempore: videlicet, ut quandocunque de uno istorum Monasterio ad aliud nomina defunctorum pervenerint Fratrum, plena Missarum & Vigiliarum, psalmorum & oblationum commemoratio peragatur, sicuti solent in utraque parte pro suo proprio agere Fratre. Ita sonat Instrumentum Fraternitatis, quae eodem anno, sed Indictione IV. scilicet a Kalendis Septembris inchoata, etiam facta est inter Sangallenses, & Marbacenses (h). Porro suffragia fieri consueta in sequentibus consistebant: ipso die, quo nuntiabatur defunctus, singuli Presbyteri tres Missas, caeteri Fratres Psalterium ac celebrationem Vigiliae decantabant, communisque oblatio ab omnibus fiebat; quibus verbis sacra Communio intelligi potest. Die septimo recitabantur triginta Psalmi, trigesimo autem Presbyteri omnes pro Defuncto unam Missam, & reliqui quinquaginta Psalmos implebant; denique annona, sicut uni e Fratribus datur, pro illo ex integro per singulos triginta dies pauperibus tribuebatur.

Caeterum inter triginta novem Monasteria, quae Sangallensibus foedere jungebantur, Rhenaugiense octavo loco numeratur: *Fratribus in Rinowa;* quorum nomina libro Fratrum conscriptorum inserta sunt pagina vigesima octava, cui sequens titulus inscriptus: *Nomina Fratrum de Monasterio Rinowa.* Exstat codex iste praeclarus in archivo Sangallensi, & citata pagina primo loco exhibet Abbatem nostrum *Wichramum* his verbis *Withram Abba*, qui scilicet societatem hanc cum Sangallensibus iniit. Huic subiiciuntur proxime ejus Antecessores *Wolvine Abba* & *Antwarth Abba.* Gozbertus vero primus omittitur; unde autumare licet, quod Sangallensis Monachus fuerit, qui proinde alterius Monasterii Fratribus, in societatem adlectis, misceri non debuerit. Tum eodem ordine, quo Abbates, adscribuntur illi Monachi, ex quibus eodem anno initi foederis

(g) Hermannus in Chron.

(h) Goldast. Rer. Alem. T. II. pag. 141. Mabill. Annal. T. III. pag. 251. n. 94.

deris Conventus Rhenaugiensis constabat; ac denique reliqui, qui sub dictis Abbatibus a tempore Restaurationis vixerunt, licet jam defuncti essent. Hos supra ad annum 858. posuimus; nunc par est, ut & illos subiiciamus, æquali ferme cum præcedentibus numero. Hi sunt itaque, qui fœdus sæpe dictum iniere:

ADOLHART Presbyter.
PERACHKER Presb.
THIOTINE Presb.
LIUTHERI Presb.
OTHART Monachus.
ISAMBRECHT Presb.
PALD Mon.
RICHKER Presb.
ADILLEOZ Diaconus.
HUMBRECHT Presb.
EGILGER Mon.
WOLFHART Presb.
EGILHART Diac.
ODALGER Presb.
CUNHERE Subdiaconus.
PERINGER Presb.
ADALUNG Diac.
LIUTPRECHT Subd.
WOLFRIDE Presb.
WALTHERE Subd.
OTHART Subd.
WOLFHART Subd.
OTINE Subd.
WINITHERI Cler.

Inter hos quidam in Chartis hujus ævi occurrunt, veluti *Adilleoz* vel Odileoz anno 870. Winitheri anno 875. *Egilhart* anno 876. *Richker* anno 878. denique anno 892. *Luitprecht*, cujus propria manu scriptum monumentum adest.

Anno 886. Carolus Imperator in Galliis minus prospere contra Nortmannos pugnavit. Sequenti vero 887. Richarda Imperatrix adulterii cum *Luitwardo* Vercellensi Episcopo, qui apud eam, & Imperatorem familiariter in palatio vi-

 gebat,

gebat, ab Imperatore & aliis incusata, Divino judicio ab omnium se virorum commixtione integram, & eatenus Virginem comprobavit; quamvis jam duodecim annis in conjugio Imperatoris apparuerit. Moxque ab eo separata in *Andelacensi* (Andlau) Coenobium Virginum a se constructum secessit, ibique sedula in Divino servitio Virgo Regina permansit. Dein Carolus Imperator graviter infirmatus, mente etiam, ut videbatur, minus valuit, omnesque Regni Principes averso jam ab eo animo, cum apud Franconofurt Conventum habuisset (Mense Novembri) unanimiter eum deseruere, & *Arnulfum* Fratris ejus Carolomanui Filium, non ex legitima Conjuge, sed tamen nobili natum, Carentani scilicet Ducem, super se Regem constituere. *Carolus* vero cum se a cunctis omnino ministris etiam & servis suis deseri, & a solo Luitperto Mogontiense Archiepiscopo adhuc vidisset sustentari, supplex jam Arnolfo munera misit, & pauca ab eo in Alemannia usque ad obitum suum prædia postulans impetravit.

Anno 888. Carolus Imperio jam privatus, Deo devote serviens in villa Alemanniæ *Nidinga* infirmatus, &, ut quidam perhibent, a suis strangulatus, Idus Januarii vita mortali decessit, & quibusdam videntibus cœlo aperto, & lumine super eum apparente, *Augiam* ductus, juxta altare S. Mariæ sepultus est (i). Tum multis Regulis emergentibns *Rudolphus Filius Conradi* in Burgundia, Odo filius Rodperti in Gallia Regium nomen invasere. E quibus Odo Arnulfum Regem, Franciam petentem humiliter adiens, & benigne susceptus, permisso ejus, invasum tenuit Regnum. Itidem *Rudolfus* Ratisbonam ad eum veniens, favore ejus, pervasam impetravit Burgundiam (k).

GOZBERTUS II.

ABBAS V. RHENAUGIÆ ET CELLÆ ALBÆ.

Anno 888. non amplius *Wihrahmum sed Gozbertum* præfuisse certum est ex Charta hoc ipso anno data; vocatur enim ibi *Monasterium Rinaugia, ubi modo Gozbertus præesse dinoscitur.* Comitem fuisse, certum est, &, ut videtur, *Cleggoviæ*, ubi frequentius judicia exercuit, & latifundia sua possedit. Occurrit jam pridem sub nomine *Comitis* in Concambio, quod annis 871. & 878. cum Carolo Crasso

(i) Regino in Codice Msc. Sæc. X. Einsidlensi habet *in Augea*, non vero in Meinaa, ut perperam notat Freherus ad Annales Fuldenses. Consonat Codex Murensis.

(k) Hermannus Contractus ad hunc annum.

Craffo & Wolveno Reftauratore celebraverat. Quin imo Abbatis titulum fimul ac Comitis poftea tenuiffe, apparet ex Charta anni 888. fuperius adducta, nec non ex duabus aliis anni 892. in quibus Monafterio præfuiffe dicitur, & in una quidem Comes nominatur, in altera autem fe ipfum Abbatem vocat: *Ubi ego Ipfe licet indignus Abba gregi Dei præeffe videor.* Habebat filium in Monafterio *Folkerum* nomine, cujus curam non folum, fed etiam totius Monafterii tam in fpiritualibus quam temporalibus in fe fufcepit, exemplo illius ævi non raro, prout de Wolveno noftro conftat. Legitur *Gozbertus* Legatus Imperatoris Caroli in Charta Abbatis Bernardi S. Galli, fcripta a Ratperto (l), in præfent a *Adalberti* Comitis anno 884. qui Confobrinus Gozberti in monumentis noftris vocatur, ac proinde Confanguineus Wolveni noftri fuit.

Dicto igitur anno 888. *Uodalgerus* unacum conjuge fua *Imma* tradidit Monafterio, quidquid habuit in pago Turgowe in Villa *Appillinhufin* (Apellhufen) & *Zezinwilare* (Ezweiler) cum domibus aliisque ædificiis neceffariis, pratis, pafcuis, filvis, cultis & incultis, quæfitis & inquirendis, usque ad Villam *Richelingam* (Reichlingen) refervato tamen fibi, & uxori fuæ ufufructu in bona quædam *Bafendingæ* ad Monafterium pertinentia, nec non in beneficium quoddam, quo hactenus *Egino in Slate* fruebatur; denique etiam jure viginti porcos tempore glandium in traditis filvis faginandi. Facta eft hæc donatio in Bafilica Rinaugienfi coram *Gozberto Comite*, qui ad initium Chartæ dicitur Monafterio præfuiffe anno 1. Arnulfi Regis, XV. Kal. Julii.

Anno tertio Regni fui idem Rex Conftantiam Augiamque orandi caufa adiit. Sequenti vero anno, cæfis Nortmannis, Natalem Domini Ulmæ celebravit. At trifti omine anno 892. Hungaris auxiliatoribus, qui nuper illas in partes de Aquilone advenerant, Morachenfem Zwendiboldi Ducis Regionem vaftavit. Quo anno V. Arnulfi Regis 9. Februarii *Gunthere* (Guther) tradidit Monafterio, quod dicitur *Rinowa*, ubi Gozbertus præerat, cafadam legitimam, cum pertinentibus ædificiis & pafcuis, fitam in *Mundichingen* (Wundenkingen) ad torrentem Wuttach; quæ villa in quadam Charta dicitur in pago Chlethgowenfi fita (m). Equidem in eodem pago præfens donatio facta fuit in *Villa Altunburch coram Gozberto Comite.* Unde Ægidius Tfchudius (n) hujus pagi caput hanc Villam Altunburch fuiffe fufpicatur, ubi exigua quædam veftigia manferunt antiquæ arcis,

(l) Apud Gold Rer Alem. T. II. p. 32. Chart. 24.
(m) Herrgott T. II. Part. I. Charta 114.
(n) Galliæ Comatæ, pag. 266.

arcis, jam pridem dirutæ. Alii Eruditi hinc nomen Comitum de Altenburg derivarunt. (o)

At Benefactores reliquos beneficientia sua facile superavit ipse *Gozbertus* amplissima donatione Monasterio facta eodem anno 892. die 18. Junii, *ubi*, ut loquitur in hac Charta, *Ego ipse*, *licet indignus Abba*, *gregi Dei praeesse videor*. Non enim solum reliquit illa, quæ olim per concambium Monasterio cesserat, nempe in pago Cleggoviæ in Villa *Arzingen* decimationis integritatem, cum parte a Salomone Episcopo Constantiensi aquisita, omnemque decimationem in *Jestetten & Hoffstetten*, cum reliquis ad eum pertinentibus in *Transmundingen*, *Rechberg*, *Suabova & Balba*; sed etiam cuncta restituit, quæ per dictum concambium obtinuerat, nimirum pagi Turgovensis Dynastiam *Lauffen*, *cum Fluerlingen & Morinswilare*, pacto tamen redemptionis reservato sibi, & *Consobrino suo Comiti Adilberto*, ad duos annos valituro. *Adilbertus iste junior* vocatur in quadam Charta de anno 894. (p) ad distinctionem senioris ejusdem nominis Comitis Turgoviæ, de quo actum est sæpe. Cessionem hanc scripsit manu sua *Luitpertus* Monachus Rhenaugiæ, cum nota Subdiaconi Catalogo Sangallensi insertus, qui procul dubio ex legum dispositione Monasterii Notarius seu Cancellarius constitutus erat. Verum *Gozbertus* his non contentus, pro remedio animæ suæ & Parentum suorum, nova donatione superaddidit, quidquid in pago Cleggoviæ in *Ouwa* (Eglisau q) habere visus est, cum terris, Basilicis, casadibus &c. Item quidquid in *Rinheim* habere visus est, cum rebus Ecclesiasticis, *vineis*, pomariis, pratis, molendinis &c. Ubi iterum occurrunt vineæ in proxima Valle *Küssenberger Thal* dicta, cui imminet antiquissima arx *Küssenberg*, sedes Comitum hujus nominis, qui, ut fertur, hunc *Gozbertum* inter progenitores suos numerabant. Postremo etiam in pago Hegowe adjecit, quidquid in Villa *Buoetingen* (Bietingen ad Danubium) habere visus est, cum Basilicis, vineis, silvis & molendinis. Cui postremæ donationi similiter pactum reluitionis pro se & filio suo *Folckere* appositum est, nequaquam tamen in opus redactum, cum plerasque illas possessiones adhuc Monasterium teneat. Hac tam liberali donatione Gozbertus se verum esse Patrem Rhenaugiæ demonstravit; nam qui Abbatias in beneficium tenebant, non solebant bonis Monasteriorum aliquid addere, sed potius detrahere.

Anno

(o) Rustenus Heer Anon. Mur. pag. 337.
(p) Herrgott ubi supra Charta 96.
(q) Tschudius Chron. Helv. T. I. pag. 151. Herrgott Prolegom. General. T. I. p. LIV. Gerbert Itin. Aleman. p. 4. Charta Wettingensis anno 1318.

Anno 895. Arnolfus Rex Italiam petit, & ſequenti 896. expugnata Roma, a Domino Papa honorifice ſuſceptus, Imperatorque coronatus eſt. Cujus Regni qua Regis, anno undecimo *Herluith* novus Benefactor pro remedio animæ ſuæ haud exiguam agri portionem in pagi Turgovenſis villa *Wiechſa* (Widen haud procul ab Andelfingen) Monaſterio Rhenaugienſi tradidit, ea tamen ratione, ut usque ad obitum ſuum poſſideat, ſub annuo cenſu unius *molabilis molaris*, poſt exitum vero ſuum nepos ejus *Waltrammus* ſingulis annis duos ejusmodi lapides præſtet, ac denique ad propriam Monaſterii poteſtatem redeat. Actum in loco, qui vocatur *Puſelingen* (Bieſingen), cui paulo inferius Schaffuſia accrevit, coram præſentia populi, & idoneis teſtibus.

Anno 899. *Arnolfus* Imperator Ratisbonæ, ubi frequentius manebat, ægrotans obiit, & in Baſilica S. Emerammi ſepultus eſt anno Regni XII. (r) pro quo filius ejus *Ludovicus puer anno* 900. *in Regnum conſtitutus eſt. Heinricus* filius Ethiconis junioris, Fundator Altorfenſis Cœnobii Uxorem duxit de Hohumwarte in Bavaria *Beatam* nomine, ex qua tres filios genuit, *S. Conradum* Conſtantienſem Epiſcopum, *Ethiconem & Rudolfum* (s).

Hungari anno 907. & tribus ſequentibus late vaſtant Bajoariam, Saxoniam & Thuringiam, Alemanniam & Franciam. Anno 911. Ludovicus Rex adoleſcens moritur XII. Kal. Februarii, poſt quem, deficiente noſtris in partibus Regio ſtemmate, illius ex ſorore Nepos *Conradus* filius Conradi ex Duce orientalis Franciæ Rex electus eſt (t).

RUPERTUS,

ABBAS VI. RHENAUGIÆ ET CELLÆ ALBÆ.

Poſt Gozbertum II. Rhenaugiæ præfuit *Rupertus*, qui anno 912. aſſiſtente *Hilderado* Advocato quoddam Concambium celebravit cum *Pabone*. Dedit enim hic Monaſterio quidquid habuit in pago Cleggowe in villa *Haſala* (Haslach) & accepit, quæ ad Monaſterium pertinebant *Oſtrolfingen* (Olterfingen) villa haud procul inde ſita, ac olim in donatione Ludovici Germanici comprehenſa. Cæterum

(r) Hermann. ad a. 900. Regino a. 899. III. Kal. Dec. obiiſſe tradit.
(s) Anonym. Weingart. in Hiſtoria & Chron. Welforum apud Caniſ. & Basnag.
(t) Continuator Reginonis Scriptor coevus. Mabill. Hartmann &c.

terium ea ipsa, quæ Pabo in Hasala tradidit, acceperat olim in beneficium a *Wolveno* Restauratore nostro, & *Seniore suo*, id est Domino ac Patrono. Unde Pabodem jam provectæ ætatis fuisse constat, cum istum contractum iniit, Wolveno jam ante triginta annos defuncto.

Idem *Rupertus* Abbas scripsit Codicem in Musæo nostro numero quinquagesimum primum, continentem diversorum SS. Patrum homilias, quibus ad finem nomen suum *Ruadperti* adscripsit, deprecans lectorem, ut pro ipso subjunctas oratiunculas recitare velit, quæ pro Abbatibus dici solebant. Sub quo & alius Monachus ac Presbyter *Hademarus* Codicem quatuor Evangeliorum scripsit, quibus ad marginem additur Concordia Evangelistarum. Ipsius Hademari effigies ad calcem conspicitur, casula ex humeris defluente, tonsura lata in summo vertice, capillis circum dependentibus; cui hi versus subjuncti sunt:

Hoc tibi dat munus Deus omnipotens Hademarus,
Cui peccatorum veniam concede suorum,
Nostri Plasmator, cœli terræque Creator.
Hoc lector posces, si propria crimina nosces.

Idem Hademarus alium scripsisse Codicem videtur, aut certe illius in munere Notarii antecessor Luitprechtus Subdiaconus & Monachus. Est Libellus mole quidem exiguus, sed Eruditorum opinione maxime æstimandus; nam continet *Formatas* seu formas & exempla diversarum Chartarum & epistolarum (u); inter quas plures sunt epistolæ *Thiatildis* Abbatissæ Montis Romarici ad *Juditham* Imperatricem, & ad Comitem Palatinum Conradum procul dubio ejus fratrem; cujus Abbatissæ nomen hactenus ignoratum fuit. Traditur quoque instructio: *qualiter debeat Epistola Formata fieri* ex præscripto Concilii Nicæni; cui subjungitur tabula litterarum græcarum numeralium cum explicatione latina. Adduntur duæ Epistolæ, quarum summam edidit Mabillonius (x), affirmans esse duas ultimas inter formulas alsaticas. Habentur denique & duæ aliæ ad summum Pontificem, quarum prior ad *Hadrianum II.* qui præfuit anno 867. *Martyrologium* nostrum antiquissimum hujus ævi edidit Solerius in præfatione ad Tomum VII. Junii, ejusque Bolandus jam meminerat in præfatione totius operis pag. 47. Taceo plures ejusdem ætatis Codices; omittendum tamen non est insigne

(u) D. Petrus de Chiniac in prospectu Capitularium Regum Franc. edito 1777. hujus Codicis meminit, quem editurus erat.

(x) Annalium Tom. III. pag. 213.

Insigne S. *Gregorii* Sacramentarium scriptum sub Ludovico Infante, Conradi prædecessore; Regula SS. P. N. Benedicti, Liber Evangeliorum musivo opere tectus, gemmisque ornatus &c.

Eodem anno 912. *Rudolphus Rex Burgundiæ obiit, & Rudolphus filius illius jura disposuit* (y). Conradus vero Germaniæ Rex Natale Domini Constantiæ celebrato, cum Salomone Episcopo (z) & Abbate S. Gallum adiit, ibique inter alia beneficia Monasterio illi collata circa *Steinhem* (Stammen) in Villa a Carolo Crasso olim S. Othmaro data, quidquid Regii fisci adhuc supererat, totum ad ejus aram tradidit; nam parentes ejus erant, qui eum vexaverant (a). Alemanniæ tunc jura dabant Nuntii Regii *Erchanger & Berchtoldus*, qui Castellum quoddam super Steinheim jam dudum construxerant, atque egerrime ferentes, illud potestati suæ subduci, restiterunt primo Salomoni possessionem adituro; deinde in itinere obvium pristinæ simultatis memores capiunt, & in arcem Diepoldisburgum Hegoviæ includunt; ubi nihilominus a *Bertha* Erchangeri Uxore benigne habitus, tertia post captivitatem die a Sigisfrido patrueli suo eripitur, captis ambobus fratribus Erchangero & Berchtoldo, nec non eorum ex sorore nepote Luitfrido. Re ad Cæsarem delata, quidquid deprecaretur Salomon, capite plectuntur, & Burchardus Suevicæ gentis nobilissimus Alemanniæ Dux constituitur. Rex vero Castellum illud odiosum (b) (Bodamum) S. Othmaro causa tanti mali tradidit diruendum, omnique anno Ille (Conradus) dum vixit, censum capitis sui in cera ad sepulchrum ejus, uti filius carnificum illorum, pro reatu quasi in eum proprio misit. Quod & *Rudolfus* postea *Wolfhardi* Comitis pater, cum ejusdem quidem prosapiæ fuerit, in censu calybum de metallo Faucium Juliarum fecit. Ejusdem prosapiæ ait Eccardus Junior, nempe Persequutorum S. Othmari, cum alias Conradum Regem genere Francum (c) Rudolfum vero Comitem Suevum fuisse constet. Conradus igitur *Warinum* (d) alta Francorum nobilitate prognatum, Rudolfus vero Germanus S. Conradi *Ruthardum* inter proavos numerabat, cujus filius ab Eccardo *Wolfhardus*, ab Anonymo autem Weingartensi perpetuo *Guelfus* nominatur.

 Eodem

(y) Hermannus in Chron.
(z) Hepidannus apud Goldast. hoc anno.
(a) Eccardus Junior ibidem pag. 17.
(b) Idem ibidem pag. 18.
(c) Regino in Msc. Einsidl. ad a. 906.
(d) Auctor vitæ S. Pirminii apud Mabill. Act. SS. Sæc. III. Part. II. pag. 145.

Eodem anno Hungari Bajoariam pervagati, in Alemanniam irrumpunt, captoque Udalrico Buchornii Comite, mirabiliter postea uxori restituto, Basileam urbem destruunt (e), & circa idem tempus Monasterium Disertinense vastant (f).

Anno sequenti 918. Burchardus Alemanniæ Dux cum aliis Imperii Principibus rebellat: sed quibusdam debellatis *Conradus* Rex restituta pace diem supremum obiit. Cujus hortatu *Henricus* dictus *Auceps* Saxoniæ Comes, *in Regnum eligitur*. At Rudolfus Rex Burgundiæ, audita Conradi morte, cum magnam partem modernæ Helvetiæ possideret, proximas Alemanniæ regiones, progenitorum suorum sedes, bello subjugare aggreditur, & Turego in ditionem accepto, castra prope Kiburgi arcem locat. Cui Burchardus Dux Alemanniæ apud *Winterturum* (g) obviam cum exercitu factus, pugna commissa, eum vicit, fugavitque. Tum agente Henrico Rege pax inter partes Wormatiæ stabilita, & Bertha Filia Burchardi Rudolfo Regi nuptui data fuit. His successibus elatior. Burchardus Monasteria vexare cœpit S. Gallum, Augiam, Rhenaugiam, Zurzachiam; donec Rudolfo Genero ad Imperium Italiæ vocato suppetias ferens, post biennium occubuit (h).

Inter hæc Hungari nullo resistente Alemanniam vastantes, ad Cœnobium S. Galli perveniunt. Engilbertus Abbas castello ad Sintriam fluvium constructo, thesaurum Ecclesiæ reposuerat, præter libros, quas Augiam commiserat, reliqua ab hostibus direpta; S. Wiborada Reclusa neci tradita; Basilica, sed in cassum, ignibus tentata. Tum subito tumultu facto iter versus Constantiam flectunt; nec tamen simul ibant, sed turmatim urbes villasque invaserant. Constantiæ, quæ foris muros, cremata, intus armis defensa. Augiam quoque, navibus subductis, armatis multis in circuitu *fulgidam*, hostes lævi transierunt (i), circa Rhenum omnia igne cedibusque pervadentes. Utramque ripam eos vastasse constat, nam & Leckingensem S. Crucis locum invasuri, ex utraque parte consederant. Erat ea tempestate in pago, quem *Fricowe* dicunt (k), *Hirminger* quidam

(e) Hermann. hoc anno.
(f) Hotting. Histor. Eccles.
(g) Hermannus.
(h) Eccard. Junior apud Goldast. pag. 29. Lang p. 475.
(i) Eccard. ubi supra.
(k) Hodie Frickthal, cujus præcipuus locus Frick.

quidam Vir non adeo præpotens, ſed manu & animo validus. Ipſe turmam illam, quæ cis Rhenum, a ſociis, qui ultra Rhenum erant, diſtinctam intempeſta nocte invaſerat, & pene omnes, præter qui Rhenum fuga transnataverant, aut occidit aut merſit, ſpectantibus internecionem ſociorum transfluminalibus hoſtibus. Tum navibus *Hungri de Schwarzwalde* multis paratis in Alſatiam ſuas legiones transponunt.

Ex hac Eccardi Junioris Monachi S. Galli narratione, quam verbotenus retulimus, ſequi videtur, non ſolum *Rhenaugiam, ſed & Cellam Albam* hoc turbine ſubverſam fuiſſe, quæ in *Schwarzwalde* ſita prædonum, Monaſteriis præcipue inhiantium, manus haud evaſit. Lethale ſilentium Monumentorum noſtrorum ad multos deinc annos continuatum, ſatis deplorat irreparabile damnum, tunc temporis Monaſterio noſtro illatum, meritoque lugendum, vix ſuperfuiſſe quemquam, qui poſteris adeo communem totius patriæ cladem ſcripto conſignaret (l). Multa ſunt loca, in Chartis præcedentibus expreſſa, quæ hac ruina aut penitus ſepulta, aut ex populoſis vicis in prædia ſolitaria redacta fuere. Sic Suabowa, Holzheim, Moriswilare vix ſui reliquere veſtigia, ſic Hoffſtetten & Haſsla ampliores quondam Villæ, jam prædia ſunt. Monachi noſtri cum Abbate Ruperto, ſi in manus Barbarorum inciderunt, certe ex more eorum truncati fuerunt (m); quosdam nihilominus evaſiſſe, non ſolum monumenta poſteriora probant, verum etiam res ipſæ majoris pretii, cladi ſubtractæ, teſtantur: tales erant ſacræ Reliquiæ SS. Blaſii, Mauritii, Januarii; inſuper Chartæ & Diplomata, cum Codicibus feliciter conſervata. Locis enim tutioribus non immorabantur Barbari, & illo tempore eorum metu Turegum, Conſtantia, Ulma, aliæque Villæ, circumductis muris, jam urbes evaſerant. Poſterioris ævi Scriptores *Augiam* quoque direptam volunt (n), tacente domeſtico Hermanno, & contradicente ſuppari Eckardo; unde *Rhenaugiam* ſupponere debuiſſent. Monaſterium *S. Trutperti*, Cellæ Albæ proximum huic vaſtationi ſuccubuit (o). Campidonum ter diſtinctis vicibus per Hungaros exuſtum eſt. Ingens deinde fames & hominum mortalitas ſubſequuta; unde exſtat in quodam Codice noſtro ſuppari tractatus de nomine *Hungarorum*, quod non a Mog & Mogog ut multi tunc volebant, ſed a

 fame,

(l) Wurſtiſius in Chron. Baſile. pag. 81.

(m) Chronographus Benedicto - Buranus in Chronico Meichelbeckii pag. 28.

(n) Hartmann & Hottinger ad a. 925.

(o) Bucelinus ad a. 928. Scriptor vitæ S. Trutperti ad calcem T. I. Geneal. Diplom. Herrgott.

fame, quæ *Hunger* a Teutonicis dicitur, derivari contenditur; licet melius ab *Hunnis* deducendum videatur. (p)

Anno ſequenti 926. pergunt hoſtes vaſtare Alſatiam, Franciam, atque Galliam. *Herimannus* Comes piiſſimus, occiſo in Italia Burchardo, Dux Alemanniæ conſtituitur. Monachi *Rhenaugienſes*, qui ruinæ ſupererant, in Monaſterio colliguntur, relita ac deſolata Cella Alba. Anno 933. Monaſterium *S. Trutperti* ab Hungaris vaſtatum per Majores Comitum de *Habſpurg* reſtauratur, & opibus ditatur (q). Hungari vero rurſus in Alemannia multas civitates igne & gladio conſumunt (r). Quos ſequenti anno Henricus Rex multa cede proſtravit. *Augiæ Alwicus* Abbas præficitur, quem tradunt ex Majoribus Comitum de Saltz, quibus nomen Alwici frequens fuit; quod tamen idem videtur fuiſſe cum nomine Albini aut Alcuini. *Eberhardus* Argentinenſis Præpoſitus, *primus* incola Cellæ Meginradi venit; conditor nempe & Abbas Monaſterii Einſidlenſis, licet eum in incolatu Eremi prævenerit *Benno*, ante & poſt ſuum Metis Epiſcopatum. (s)

S. CONRADUS,

EPISCOPUS CONSTANTIENSIS ADMINISTRATOR SEU ABBAS VII. RHENAUGIÆ ET CELLÆ ALBÆ.

Eodem anno 934. Notingo Epiſcopo defuncto, Conradus genere & vita prænobilis Præſul ordinatus, quadraginta & unum per annos illam nobiliter rexit Eccleſiam, ut ſcribit Hermannus Contractus (t). Electio facta fuit in præſentia S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani, ejusdem proſapiæ Guelphicæ per Comites de Kiburg & Dillingen. Cum porro *Conradus* pronepos eſſet Reſtauratoris noſtri Wolveni, haud gravate Monaſterii Rhenaugienſis ab Hungaris devaſtati curam in ſe ſuſcepit, atque tam in ſpiritualibus quam temporalibus toto fere ſui præſulatus tempore adminiſtravit, ſæpe præſentia ſua Rhenaugiam dignatus, atque inter Fratres, non minus ac in Monaſterio S. Galli, converſatus. (u)

Non

(p) Mabill. Tom. III. ad an. 962. pag. 558.
(q) Vita S. Trutperti apud Herrgott loco citato.
(r) Continuator Reginonis in Mſc. Einſidl.
(s) Idem Scriptor coëtaneus Bennonis facta deſcribit ad annos 925. & 927. cui conſonat Codex Mſc. Murenſis.
(t) In Chronico hoc anno.
(u) Eccardus Junior apud Goldaſtum. Tom. I. pag. 49.

Non multo post adeptum Episcopatum tempore, teste Anonymo Weingartensi (x), S. Conradus concambium cum fratre suo Rudolfo iniit, & huic quidem reliquit, quæ Altdorfio proxima erant, sibi vero eorum loco recepit, quæ inde remotiora, Monasterio autem Rhenaugiensi vicina fuerunt. „Sanctus igi-„tur Conradus, inquit, in Episcopatum promotus, patrimonium, quod a Patre „possederat Alidorf (y) Wolpeteswende (z) Berge, Fronhoven cum suis atti-„nentiis, & omnia ultra fluvium nostrum Scuzina sita, sicut ad nos hodie per-„tinent, Fratri suo Rudolfo per concambium donavit; & ipse ab eo remotiora „recepit, id est Ensilingen, Andilvingen (a) cum omnibus appenditiis suis, & „in Alsatia Colmir, & infra Retiam Curiensem Amidis (b), Flumines (c), Lu-„gentz (d), quæ omnia Ecclesie sue Constantiensi partim Fratribus Majoris Ec-„clesie ad meliorationem prebende, partim Fratribus illis, quos Canonice in „Ecclesia S. Mauritii ordinaverat, contradidit.

Itaque proximiora Weingartensibus loca, quæ S. Conradus Fratri suo Rudolfo cesserat, ad finem Sæculi XII. quo scripsit Anonymus, ad Weingartense Monasterium pertinebant; remota vero ad Rheni fines a Curiensi Retia usque in Alsatiam, in quorum finium medio sita est Andelfinga cum Islinga, haud ultra sesqui horæ spacium Rhenaugia distans, sanctus Episcopus ex hæreditate paterna quidem recepit, sed mox illa Constantiensibus Fratribus tradidit; unde ortæ postmodum lites inter Episcopatum & Rhenaugiam, ut tandem nihilominus Rhenaugia quædam jura *Andelfingæ* conservaret, *Islingen* vero ex concessione Welphorum Ducum, qui supremum jus adhuc tenebant, cessit Monasterio *Ittingensi*, quod haud procul inde in territorio Welphico anno 1155. construebatur, prout

(x) Sub initium Historiæ Guelphicæ.

(y) Manuscriptum Augustanum habet *Altdorf*, alii subintelligunt Aulendorf, quod tamen remotius distat.

(z) Locus juxta turrim conspicuam haud procul Ravenspurgo, quam vocant Hazen- seu Azen-Thurn, fortasse ab Azzone Welphico, aut ab Hattone Fundatore Ochsenhusii.

(a) Hodie Islingen, Andelfingen, quæ procul Altdorfio in vetere Turgovia prope Rhenaugiam, olim inter possessiones Welphorum numerabantur.

(b) Hodie Ams seu Ems, haud procul Hochen-Ems.

(c) Hodie Flums.

(d) Hodie Lognez. Quæ tria loca non ultra sed infra Curiam sita, jam spectant ad Monasterium Fabariense.

prout litteræ fundationis demonſtrant (e). Eſt quidem ad Ripam Danubii circa oppidum Mengæ aliud Andelfingen cum Langen-Enslingen: verum illud non convenit huic deſcriptioni Anonymi Weingartenſis, neque aliquam relationem cum Epiſcopatu Conſtantienſi vel Welphorum poſſeſſionibus habuit. Noſtrum porro Andelfingen, teſte Ratperto Sangallenſi (f) jam olim fuit a Sidonio Epiſcopo donatum Ruthardo in compenſationem navatæ contra S. Othmarum operæ: „quibus, inquit, ut ſolatio eſſet, beneficia promiſit, atque donavit, Warino „videlicet Vina & Turinga, Rutardo vero *Antolvinga* & Uzinhaha."

Dum aliquando S. Conradus unacum S. Udalrico Rhenaugiam inviſeret, & ad proximum Caſtrum *Lauffen* ſe conferret, contigit memorabile factum, quod Udalricus Epiſcopus Conſtantienſis ſequentibus deſcribit (g): In eo Caſtro dum ſimul commorantes die quadam Rheni maximum velut in abyſſum proruentis, indeque viſu horribili ebullientis mirarentur impetum, duas viderunt volucres circa rupes e medio fluminis prominentes, inceſſantique volatu gyrantes, quæ ingruente interdum volatus defectu aquarum voragine præcipitari incipiebant, rurſumque emergentes mirabile ſpectaculum intuentibus præbebant. Non diu re inſolita Sancti fruſtrantur, qui in avium ſpecie animas necdum ad plenum purgatas illo tormenti genere cruciari per ſpiritum docentur. Feſtinatur ergo ad celeberrima menſæ cæleſtis præſidia, & prior, ut hoſpes, accedere cogitur Senior Udalricus hoſtiam vitæ immolaturus; qua divinitus accepta, non niſi una comparet avicula. Altera quoque per Dominum Domus offertur ſalutis victima, & altera ſimili translationis modo liberatur anima." Hactenus Udalricus Epiſcopus in vita ſancti Conradi Romam transmiſſa. Cæterum Dominus illius Caſtri vocatur Conradus, procul dubio, quia Abbatis munere fungebatur Rhenaugiæ, ad quam Caſtrum illud ſpectabat.

Anno 936. Henricus tertius Rex Romanorum præmatura morte ætatis ſuæ anno 39. deceſſit; reliquit tamen hæredem Regni & virtutis ſuæ Ottonem filium, hujus nominis primum, & Magni cognomine poſtea celebrem, qui 38. annis Imperium ſtrenue tenuit (h). Sequenti anno denuo Hungari Bajoariam, orientalem

(e) Ex Archivo Sangallenſi & Ittingenſi. Unum Diploma habet Herrgott Geneal. Diplom. Tom. II. Num. 232.

(f) De Caſibus S. Galli Cap. 2. apud Goldaſt. Rer. Alem. Tom. I.

(g) In vita S. Conradi Calixto Papæ oblata pro illius anaſtaſi apud Manulium in Chronico Conſtant. editione Piſtorii pag. 640.

(h) Hermannus in Chronico cum ſequentibus.

talem Franciam, Alemanniam, Alſatiam & Burgundiam vaſtando percurrunt. Rudolfus Burgundiæ Rex defunctus Agauni apud S. Mauritium ſepultus eſt; in cujus locum ſucceſſit Filius ejus Conradus. Anno 939. Otto Rex rebelles armis domuit, interfectis eorum Ducibus Eberhardo & Giſalberto, caſtrumque Briſacha ad Rhenum expugnavit. Anno 941. S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus ex ruderibus vaſtati ab Hungaris Agauni Reliquias Thebeæ Legionis in Augiam ad Alwicum Abbatem detulit (i). Anno 945. *Regimbertus* (k) inter Rhenaugienſes Monachos Catalogo S. Galli cum nota *Presbyteri* hoc ævo inſertus, ad eremiticam vitam aſpirans, de licentia S. Conradi Epiſcopi & Adminiſtratoris noſtri, *primus* poſt diutinam deſolationem, ab Hungarorum vaſtatione cauſatam, relatis ad Cellam Albam Silvæ Nigræ S. Blaſii Reliquiis, *ibi habitare cæpit* (l), ac magnis virtutibus inclareſcere. In altera Turgoviæ Eremo, quam *Einſidlen* vernacula dicunt, ædificiis nondum perfectis (m) eodem anno *Thietlandus* ab Eberhardo in adjutorem adſciſcitur (n). Anno 948. Herimannus Dux Alemanniæ defunctus, & Luitpoldus gener ejus, filius Ottonis Regis, Dux pro eo a Patre conſtitutus eſt. Ipſo anno Capella in Cœnobio S. Meginradi cœlitus conſecrata eſt XVIII. Kal. Octob. (o) Anno 950. Otto Rex Italiam ſubigit, liberata Adelheide futura ipſius ſponſa, vidua Regis Italiæ Lotharii, & filia Rudolfi Regis Burgundiæ ex Welphorum proſapia. Circa idem tempus plures fama virtutum allecti, *Regimberto* ſocii adhæſerunt, quibus Vir ille *Beatus* ſubſidiis ex Rhenaugia adhibitis, *Cellam in ſilva Schwarzwald* reſtaurare, ſeu noviter conſtruere aggreſſus eſt (p), eamque *Deo & S. Blaſio*, ob ſacras Reliquias olim Rhenaugia illuc

(i) Mabill. in Annal. Bened. hoc anno.

(k) Manus recentior Regimberto addidit de *Seldenburen*, qui tamen Nobilis Benefactor, ſequenti primum Sæculo ad S. Blaſium venit. Baſilea ſacra pag. 133. perſonas & annos confundit.

(l) Sic habet Diploma authographum Ottonis II. de anno 983. *Regimbertus Heremita, qui primus ibi habitare cæpit.* Non utique poſt Sigemari donationem, ſed poſt Hungarorum vaſtationem.

(m) Hartmann. in Annal. Einſidl.

(n) In vulgatis Hermanni editionibus Thietlandus mendoſe vocatur Abbas primus.

(o) Ita legitur in Hermanni Contracti Codice ſubpari Augiæ Divitis.

(p) Ex citato Diplom. Ottonis II. a Beato Reginberto Hæremita Cellam in ſilva Schwarzwald noviter conſtructam Deo & S. Blaſio &c.

illuc relatas, *tradidit;* unde nomen *Cellæ Albæ* in aliud S. Blasii deinceps mutatum est (q).

. Anno 955. Hungari cum tantis, ut nunquam, copiis, percursa Bajoaria, Licum fluvium transeunt, Basilicam S. Afræ Augustæ incendunt, sanctum Episcopum *Udalricum* multa instantia Divinum implorantem auxilium, Augustæ cum suis obsessum armis circumstrepunt. Sed superveniente cum exercitu Ottone Rege Idus Augusti pugna valida nimis committitur; multum humani sanguinis funditur, cedes Hungarorum immensa sequitur, alveus fluminis fugientium & morientium cadaveribus oppletur, & paucissimis fuga elapsis, innumerabilis eorum exercitus ad internecionem deletur. Sequenti anno Luitolphus Alemanniæ Dux Ottonis filius Italiam subjugat, sed altero anno apud Plumbiam (alii Bobium) immaturo obitu vita decessit, & Burchardus Alemanniæ Ducatum accepit. Hoc tempore per industriam Ottonis Regis, meliorato Imperii & Ecclesiæ statu, multa Monasteria & Cœnobia ad laudem Dei & honorem Sanctorum aut restaurantur, aut ampliantur, aut ædificantur (r). Anno 961. idem Rex Otto Romam veniens a Joanne seu Octaviano Papa Imperiali unctione coronatur (s).

Inter hæc ob prosperos successus Fratrum *in Cella S. Blasii,* annuente S. Conrado Episcopo & Administratore, consilium agitari cœptum, separandi Cellam illam a Monasterio Rhenaugiæ, ut ex una communitate efficerentur duæ, singulisque distinctum caput præficeretur. Consensere haud gravate Fratres, quorum illi, qui Rhenaugiæ remanserant, privilegia sua (t), imo & partem bonorum, quæ in Alpegoviæ pago haud exiguo numero sita erant, sponte cesserunt, de quibus posthac in monumentis Rhenaugiensibus nulla amplius occurrit mentio. Itaque Fratres Cellæ S. Blasii ex privilegio a Rhenaugiensibus communicato proprium Superiorem *Beringerum seu Berngerum* virum eximium elegisse feruntur; utque rata tam ista electio, quam separatio Cœnobiorum, olim per confirmationem Regiam unitorum haberetur, *Reginbertus Vir sanctus palatium* Imperatoris tunc in Italia degentis adiit; *ubi missis etiam pro eo litteris, reditum ipsius operiri*

(q) Ex Msc. suppari: Cellam Albam, quæ nunc dicitur S. Blasii. Apud Schœpflin. Alsatiæ Diplomat. Part. I. pag. 88.

(r) Sigebert. Gemblac. in Chron. ad an. 960.

(s) Ex Hermanno Contracto Augiæ Divit.

(t) Privilegia S. Blasianis a Rhenaugiensibus communicata docet liber Constructionis S. Blasii Msc. pag. 8. aversa.

operiri jubetur (u). At negotio nondum perfecto, neque Diplomate ullo ab Ottone primo accepto, Dei servus obiit anno supra nongentesimum sexagesimo secundo.

Dum itaque *Berengerus* olim & ipse *Rhenaugiæ* Monachus (v), Cellam S. Blasii regendam suscepisset, S. *Conradus* Episcopus curam Rhenaugiæ, sibi quasi ex progenitoribus a fundatione debitam, ulterius retinuit; annoque sequenti 963. *cum consensu Monachorum* Rhenaugiensium donationem quandam recepit cujusdam prædii in Marcha *Trullinhova* pagi Turgoviensis factam a *Thuetone* ad mensam Fratrum ipsius Monasterii, sub conditione, ut benefactoris Nepos *Wipertus*, Monachus ejusdem Cœnobii, quamdiu vixerit, quidquid ad locum illum rite pertinebat, ad necessitatem suam redigere possit; sub onere tamen singulis annis ad mensam Monachorum tribuendi tres modios farinæ, sex situlas cerevisiæ, unam vini, & duos Frischingos; post mortem vero Wiperti præfata res ad ipsum Monasterium & ad mensam Fratrum redeat (w). Erat tunc præsens *S. Conradus* huic donationi, atque in eo tractatu præcipue solicitum se ostendit pro conventu & mensa Fratrum; nec tamen vel hanc donationem sine ipsorum consensu admittere voluit, propter conditiones insertas. Porro *Wipertus*, quem in Monasterium suscepit, tanti meriti vir fuit, ut post decennium S. Conrado in Abbatiali munere successerit. Cæterum ex hac Charta constat, Monachos nostros tunc cerevisia communiter, vino autem, quod rarius erat, parcius usos fuisse; Frischingos quoque seu pecudum carnes ægris omnino debilibusque juxta Regulam S. Benedicti impensas fuisse, licet corio & lardo quibusdam diebus uterentur Monachi (x). Data est hæc Charta consentiente etiam *Engilboldo* Advocato, V. Idus Aug. seu die nona ejusdem Mensis, quæ incidebat in Dominicam, anno XXIX. *Ottonis*, Imperii ejus III. sub Duce Burchardo.

Anno 964. S. Conradus Ottonem Imperatorem Italiam petentem ob Romanorum turbas comitatus est. Quo Romæ commorante cum cæteris Principibus, Leo Papa consecrationem Capellæ cœlitus factam in Cœnobio S. Meginradi coram

(u) Ita Continuator Chronici Reginonis. Item Chron. Magdeburg. seu Chronographus Saxonicus apud Mabill. in Annal. hoc anno.

(v) Legitur etiam in alio Msc. suppari LXXV. pag. 244. Perengerus seu Berengerus inscriptus unacum Reginberto, Wiperto &c. Columna VII.

(w) Charta hujus anni.

(x) Mabill. ad an. 973. N. 90. Herrgott in notis ad Chartam 193.

ram Principibus scriptis confirmavit (y). Circa idem tempus Monasterium Burense a Woltoldo restauratur, in quo hactenus a vastatione per Hungaros facta duo tantum Fratres Presbyteri degebant (z).

Anno 973. opportune Otto M. Constantiam venit (a), ubi occasionem nactus S. Conradus supplex Imperatori fuit, ut immunitates & privilegia Monasterii Rhenaugiensis confirmare dignaretur, ac præcipue facultatem impertiri, eligendi denuo Abbatem ex gremio; dimissurus enim erat Abbatiam ingravescente jam ætate, ne Successores in Episcopatu ansam arriperent usurpandi Monasterium. Sequutus est in ea re factum S. Udalrici Augustani Episcopi, qui hoc ipso anno inter alia Abbatiam Uttenburam sibi subjectam libertatis privilegio ab Imperatore Ottone absolvi impetravit (b). In eundem plane modum idem Otto Rhenaugiensibus Diploma concessit, quo notum facit, quod Venerabilis Constantiensis Episcopus *Chuonradus* illius imploraverit Serenitatem, quatenus conscriptiones & præcepta ab antecessoribus Regibus & Imperatoribus Monachis & Monasterio Rhenaugiæ edita sua confirmatione corroboraret. Cujus petitioni assensum præbens statuit, ut immunitas sancti loci subsistat, & Monachi secundum Regulam S. Benedicti Abbatem inter se eligendi & Advocatum, quemcunque eis libuerit, inquirendi, habeant licentiam; & ut idem Monasterium cum personis intrinsecus & forinsecus sibi coherentibus, terris quoque cultis & incultis, ad se juste, donative ac legaliter pertinentibus, nullius superioris aut inferioris personæ difficultate turbetur. Subscribitur, præter signum Ottonis Magni, vice Ruotperti Archinotarii Willegisus Cancellarius, postea Archiepiscopus Moguntinus. Datum XV. Kal. Sept. anno 973. Indictione XV. Cæsarea videlicet, non Pontificia, Regni ejus XXXIV. Imperii XIII. nempe ab anno 961. quo Romæ coronatus fuit. Eadem die, cum simili prorsus dato, ibidem Constantiæ aliud Diploma ab Ottone I. Ecclesiæ Curiensi concessum fertur (c). Certe ex Diplomate Monasterii Einsidlensis, quod easdem chronologicas notas præsefert (d), constat, Ottonem Magnum eodem anno & mense Augusto superstitem fuisse, cujus filius Otto secundus in eo *Coimperatorem* se vocat, titulo, quem post

(y) Ita Codex suppar Hermanni Contracti.

(z) Mabill. ad an. 955. N. 89.

(a) Eccardus Junior apud Goldast. Tom. I. pag. 60.

(b) Hermannus hoc anno.

(c) Crusius Annal. Suev. Tom. I. pag. 396.

(d) Hartmann Annal. Einsidl. pag. 80. & 83. Chronicon Gottwicense pag. 196.

poſt mortem Patris nunquam uſurpavit, nec uſurpare potuit. Cæterum cum Parens Conſtantiæ moraretur, Filius ejus ad S. Gallum & in Augiam digreſſus fuiſſe ſcribitur. Obiit igitur primum anno ſequenti 974. Otto primus Nonis Maii ſubita morte in itinere interceptus, & apud Parthenopolim, quæ Magdeburg dicitur, ſepultus eſt, & Filius ejus Otto ſecundus Regni pro eo jura ſuſcepit (e). Sanctus quoque *Udalricus* Auguſtenſis Epiſcopus migravit ad Dominum; *Burchardus* etiam Dux Alemanniæ defunctus, & Otto filius Luitolfi, Nepos Ottonis I. paternum pro eo Ducatum accepit. Ne igitur mors Ottonis Imperatoris nocumentum inferret Rhenaugiæ, ſanctus *Conradus* mox ſimile Diploma, iisdem pene verbis conceptum, impetravit ab ejus Succeſſore & Filio ſæpe laudato *Ottone ſecundo*, datum Wormatiæ anno 974. Indictione I. Regni, ad cujus participationem a Patre admiſſus fuerat, anno XIII. Imperii vero ſeu coronationis VI.

WIPERTUS,

RHENAUGIÆ ABBAS VIII.

Accepta ab Imperatoribus privilegiorum confirmatione, præſertim libere eligendi Abbatem *S. Conradus* Rhenaugiæ Reſtaurator integerrimus Abbatiæ adminiſtrationem ſponte dimiſit, Fratresque juſſit ad electionem novi Abbatis procedere; qui in *Wipertum* Rhenaugiæ Monachum, Theotonis Benefactoris ad annum 963. Nepotem collimarunt. a ſancto Epiſcopo mox ordinatum. Comparet ille denuo in Catalogo Sangallenſi inter conſcriptos Fratres Rhenaugienſes ſub nomine *Wipraſt ſeu Wipraſt Abbatis;* quippe litteram *c* illa ætate cum ſibilo inſtar litteræ *s* pronunciare ſolebant. Adſcribitur ſtatim poſt Fratres noſtros in ipſo cœptæ confraternitatis exordio enumeratos, omiſſis reliquis, qui interea vixerant Monachis & Abbatibus noſtris.

Sequenti anno 975. ſanctiſſimus Præſul *Conradus* vitam innocentiſſimam, ac meritis plenam cum immortali gloria commutavit VI. Kalendas Decembris, &

(e) Hæc Hermannus Contractus ad annum ſuperiorem ſcribit, pro vetere nimirum calculo, ut ait Mabill. T. III. Annal. pag. 540. Cæterum annum aſſignatum a nobis, præter Diplomata allata, affirmant Urſpergenſis, Albertus Stadenſis, Cruſius, Hartmannus, Bucelinus, Chronicon Gottwicenſe &c.

& pro eo *Gaminolfus* annos plus minus quatuor præfuit (f). Adſcriptus eſt iſte Epiſcopus in fragmento antiquiſſimi libri, ubi Catalogus exhibetur eorum, qui in Fraternitatis noſtræ conſortium ſuſcepti ſunt; procul dubio quia poſt mortem S. Conradi ſpecialem quandam auctoritatem in Monaſterium noſtrum ſibi vindicavit. Quin imo cum per diuturnam adminiſtrationem S. Conradi bona Epiſcopatus ac Monaſterii confuſa inter ſe fuiſſent, magnam eorum partem, quæ Rhenaugiæ debebatur, uſurpavit. Poterat id eo facilius contingere, quod conſtet, S. Conradum loca quædam Rhenaugiæ proxima, veluti Andelfingen & Islingen, ex avita Guelphorum hæreditate ad ipſum ſpectantia (g), Fratribus Majoris Eccleſiæ Conſtantienſis tradidiſſe, cum quibus & jura Monaſterii noſtri, in iisdem vicinis locis a Guelphis pariter provenientia, confundebantur.

Anno 976. diſſenſio orta eſt inter Heinricum Ducem Bajoariæ, Patrem ſancti Henrici Imperatoris, & Ottonem Secundum; unde tandem illo in exilium miſſo (h), Ducatum Bajoariæ Otto Dux Suevorum accepit. Annus denique ſeptuageſimus ſeptimus ſupra nongenteſimum Sæculum Rhenaugiæ ſecundum clauſit; quod quidem ab initio fauſtum, per vaſtationem vero Hungarorum medio in curſu Monaſterio exitioſum fuit. Non enim turbata duntaxat diſciplina Monaſtica, atque diminutus Religioſorum numerus, verum etiam bona temporalia magna ex parte diſtracta ſunt. Ampliſſimæ poſſeſſiones in pago Alpegovenſi cum Cella Alba fuere divulſæ; nec minus in Turgoviæ pago plurima Bona Rhenaugiæ fundata in Epiſcopi Conſtantienſis uſum ceſſere. Reſtituit quidem ſanctiſſimus Pontifex Conradus Monaſterium, eidemque plurimum profuit tum ſolicita adminiſtratione, tum obtentis privilegiorum confirmationibus, tum vel maxime reſtituta libera Abbatum electione. Verum morte præventus priſtinam bonorum diviſionem Monaſterium inter & Epiſcopatum perficere non potuit; unde diutina concertatio inter utrumque deinceps exorta eſt.

SÆCU-

(f) Ex Hermanno Contracto ad annum 974. Bucelinus mortem S. Conradi ponit ad annum præſentem, alii forte melius ad ſequentem, ut Codex Murenſis, Mannlius, Hartmannus, Merckius.

(g) Anonymus Weingartenſis in Hiſtoria Guelphica.

(h) Ex Hermanno Contracto, ut hactenus, ad hunc annum.

SÆCULUM MONASTERII RHENAUGIENSIS TERTIUM.

SIGEHART,

ABBAS IX.

Post Wipertum Rhenaugiæ præfuit *Sigehardus*, qui interruptum integro ferme Sæculo Fraternitatis fœdus cum Monasterio S. Galli restauravit, eidemque tam Prædecessoris sui, quam subjectorum Fratrum nomina Catalogo Conscriptorum addenda transmisit. Sangallensium quoque nomina vicissim *Libro Vitæ*, prout in Manuscriptis nostris vocatur, Rhenaugiæ fuisse inserta, constat ex fragmento quodam, quod superest, similis Catalogi Columnis pictis distincti.

Anno 979. *Gamenolfus* Episcopus Constantiensis obiit, cui *Gebehardus* nobilis & venerabilis Præsul successit, qui Basilicam S. Gregorii, & Abbatiam *Petri Domum* appellatam, ad ripam Rheni suis ex prædiis construxit (a). Dux vero Suevorum Otto anno 982. decessit, & post eum Conradus Dux Alemanniæ effectus est, Henricusque Ducatum Bajoariæ obtinuit. Anno demum octogesimo tertio Otto Secundus, dum Veronæ existeret, *Cellæ S. Blasii*, quæ olim *Alba* dicebatur, & jam a Rhenaugia divulsa erat, Diploma concessit, quo illi libertas ab omnium hominum subjectione tributa est (b). Idem vero Imperator Romæ infirmatus sexto idus Decembrium diem supremum obiit, pro quo Otto Tertius filius ejus adhuc infantulus Rex constituitur. Anno octogesimo quinto *Ruodmannus* Abbas Augiæ defunctus est, qui pariter supradicto fragmento nostro adscriptus legitur; non enim abludit a vero, similem Fraternitatis conventionem inter *Augiam* & *Rhenaugiam*, quæ sæpe in Manuscriptis nostris junguntur, institutam fuisse, licet in Catalogo Conscriptorum Augiæ, qui mancus superest, nec cum ipsis in libro contentis concordat, Rhenaugienses desiderentur. Certe sacrorum Rituum, Reliquiarum, Festorum, librorum frequentem communionem inter utrumque Monasterium intervenisse, monumenta testantur.

ADAL-

(a) Ex Hermanni Contracti authographo, quod describimus. Seriem Ducum Alemanniæ exhibent Georg. Eckard in Franc. orient. Pfeffinger in notis ad Vitriarium Lib. I. Tit. XVI. Schœpfl. in Alsatia Illust.

(b) De hoc Diplomate, cæterisque Rebus Sanblasianis videatur Princeps Martinus Gerbert in novissimo & eruditissimo opere *Silva Nigra* edito 1788.

ADALBERTUS,

ABBAS X.

Sigehardum in regimine Rhenaugienſis Monaſterii excepit *Adalbertus*, qui ſub nomine *Adabraſt*, id eſt *Adalbraſt Abba* in ſæpe dicto Catalogo S. Galli occurrit. Luctandum fuit huic Abbati ratione bonorum temporalium non ſolum cum Epiſcopo Conſtantienſi, verum etiam cum ſubditis Ruricolis, qui hac tempeſtate Monaſteriis atque Nobilibus Dynaſtis cenſus annuos aliaque præſtanda negabant (c). Tandem conglobati, ductore quodam de oppido Stein dicto *Heintz* ſeu Henrico in apertam rebellionem proruperunt. Feroces Ruſticos armati Nobiles haud procul Rhenaugia ad ripam Rheni aggreſſi, fuderunt quidem, atque vicerunt; quamvis victoria caro pretio ſteterit, quam plurimis Nobilium deſideratis, quos inter noſter quoque Abbas *Adalbertus* numeratur. Occiſorum corpora, cognatis agentibus, ibidem in ſacello ad honorem S. Petri conſtructo condita ſunt, illique loco, ut fertur, *Paradyſi* nomen imponi cœptum. Sacello mox dicto Beneficium pro Clerico ſæculari adjunctum erat; donec poſt tria Sæcula in Puellare Monaſterium, ordinis S. Claræ, adnitentibus potiſſimum Comitibus de Kiburg, excreverit. Sacellum ſtetit ad annum usque 1588. quo lapides Sacelli pro reſtaurando Paradyſi cœnobio, flammis abſumpto, impenſi ſunt. Contigit ſupradicta clades anno 992. Dies autem emortualis *Adalberto* noſtro (d) in Necrologio S. Gallenſi, (quod diſtingui debet a ſæpe memorato libro Fratrum Conſcriptorum) ponitur ad vigeſimum ſextum Auguſti cum his notis: *Adalbertus Abbas de Rinova.* Fragmentum Annalium Einſidlenſium in vetuſtiſſimo Codice octingentorum annorum, qui finitur anno 1025. ad annum 990. hæc habet: *Adalbertus Renaugiæ Abba miſerabiliter occiſus eſt* (e) cui præmittitur *Diethalm occiſus.* Manuſcriptum quoddam noſtrum refert *Adalbertum cum aliis quam plurimis*, additque nominatim quendam *Eberhardum occiſum.* Cæterum obitus iſtius Abbatis ad eandem diem vigeſimam ſextam Auguſti ſignatur quoque in Necrologiis noſtris cum nota *c v.* id eſt *converſi*, qua intelligebantur ii, qui adulta ætate ad converſionem venerant, ut ſcite obſervat Mabillonius (f). Unde

(c) Stumpfius Lib. V. C. 16. Cruſius, Hottinger &c.

(d) Jo. Georg. Eckard Franc. orient. Tom. II. pag. 921.

(e) Mabill. Tom. IV. Annal. pag. 368. alia edit. in 8. pag. 479. & in Actis SS. Ord. S. Bened. Tom. V. pag. 845.

(f) Idem Mabill. Annal. Tom. IV. ad annum 1013. pag. 232. b.

Unde de Adalberto noſtro dici poteſt, quod de Poppone ex *Converſo* in Fuldenſem Abbatem promoto ſcribitur in Chronico Lauersheimenſi, quod relicto militiæ baltheo ad loci regimen provectus fuerit, licet malo ſuo militiam poſtliminio reſumpſiſſe videatur.

NOTKERUS,

ABBAS XI.

Poſt breve trium Abbatum regimen *Notkerus*, vir ingentis in Rhenaugiam meriti, Monaſterium ex integro reſtituit. Memoratur in Chronico Guelphico, claruiſſe Notkerum Abbatem, ubi legitur: *Otto filius ejus*, nempe Tertius, filius ſecundi Imperatoris, *regnat annis octodecim, Notker Abbas claruit* (g). Neque enim alius ſub Ottone Tertio ejus nominis Abbas reperitur, qui laudari ab iſto Scriptore meruerit. Addit plerumque Imperatorum regimini Viros ex gente Guelphica inſignes: unde ſuſpicari licet, Notkerum ad eandem proſapiam pertinuiſſe. Eadem quippe pagina ſimili elogio uſus eſt, quando dixit: *S. Uodalricus & Cuonradus Epiſcopi claruerunt.* Et poſt Notkerum noſtrum: *Hermannus Contractus claruit.* Anno 994. ex eodem ſtemmate Conrado Rege Burgundiæ mortuo, Rudolphus filius, licet ignavus, ſucceſſit; cui duæ Sorores erant, una Giſela Mater *Heinrici* Ducis Bavariæ (h) poſtea Imperatoris, altera Gerberga Mater Ducis Alemanniæ Herimanni.

At Notkerus Abbas ruſticorum moleſtiis per anteceſſorem ſolutus, curam omnem impendit, ut & bona Monaſterii, per Epiſcopos Conſtantienſes uſurpata, conquireret. Id tandem feliciter aſſequutus eſt, mortuo die 27. Auguſti anno 995. Venerabili Epiſcopo Gebehardo; cui Lampertus habitu & profeſſione Monachus Petershuſanus ſucceſſit; adhibitis potentiſſimis interceſſoribus Mathilda Imperatoris Amita, cujus apud eum plurima erat authoritas, (tunc Quentilimburgenſi Abbatiſſa, & quondam Imperii Adminiſtratrice, dum Otto II. Frater ejus in Italiam profectus eſſet) Willigiſo Archiepiſcopo Moguntino, & Hildebaldo Wormatienſi Præſule, quorum interventu ampliſſimum Diploma obtinuit, quo Otto Tertius reſtituit, atque corroborat Monaſterio, *Renaugia* nominato, cui Notkerus venerabilis Abba præeſt, omnem

(g) Apud Caniſium & Basnagium Tom. III. pag. 597.
(h) Hermannus Contract. in Chronico ad hunc annum.

omnem illam terram, quam Gebehardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus usurpative tenuit, mulcta centum librarum auri imposita in omnes Archiepiscopos, Episcopos, Duces, Comites & Advocatos, nisi præcepto parerent, atque Monachos absque ulla diminoratione suis bonis uti permitterent. Datum est Diploma Quintiliburgi tertio idus Octobris, indictione octava, anno regni duodecimo, in quo Monasterium honoribus non solum S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Petri Principis Apostolorum, verum etiam S. Blasii Martyris dicatum perhibetur. Æquum enim erat, ut quando Cella Alba, nomen S. Blasii assumpserat, etiam Rhenaugia, unde cultus ille derivabatur, illius Sancti patrocinio gloriaretur. Exstat hymnus de eodem Sancto hoc tempore scriptus in vetustis nostris Codicibus, in quo continetur strophа, qua pars Reliquiarum S. Blasii Rhenaugiæ perstitisse demonstratur; sic enim habet:

Gaudeas tantum retinens Patronum,
Blasio multum decorata sancto,
compta thesauri pretio jucundi
Augia Rheni.

Usurpatio isthæc Bonorum Monasterii, quam S. Gebhardus Episcopus Constantiensis fecisse dicitur, excusationem meretur; eo quod Bona præsata a Prædecessoribus suis accepisset. Neque hic a vero alienum est, quod de eodem sancto Pontifice, hæreditatem suam e manibus Fratrum vindicante, scribitur (i), id nempe non malitia, sed divino zelo peregisse. Cæterum post ipsius obitum aliqualis quidem, non tamen integra restitutio Monasterio facta est; unde dicendum videtur, amicabilem compositionem intervenisse, quandoquidem Episcopatui quædam Bona adhæserint, quæ Monasterio in litteris fundationum aperte adscripta sunt; prout præsertim de Dynastia *Lauffen* constat, ubi in locis *Fluerlingen, Tachsheim, Langwisen, Basendingen*, plura nostro adhuc ævo jura Episcopo deserviunt, quæ olim ad Monasterium ex Chartis authenticis indubitanter pertinebant. Confirmantur quoque in Diplomate quodam (k) pro Episcopatu Constantiensi de anno 1155. inter alia loca Domus Rothardi, casæ Wolfeini, curtis in Lauffen cum Ecclesia &c. quæ Chartis quoque nostris inserta erant. Nihilominus in plenam, novamque propemodum libertatem tunc assertam fuisse Rhenaugiam, testatur liber constructionis MSc. S. Blasii, in quo sub regimine Ottonis Tertii asseritur initiatum quodammodo fuisse locum Rhenaugiæ, & in integrum

(i) Mannlius in vita apud Pistorium p. 652. c. 9.
(k) Apud Merkium de Episc. Const. pag. 153.

grum privilegiorum ufum immiffum; quorum participes fe fuiffe fatebantur Sanblafiani (l), qui tunc unacum Rhenaugienfibus infigni fplendore claruiffe perhibentur (m).

Certe a Notkero noftro numerus Monachorum Rhenaugiæ infigniter adauctus fuit. Comparet enim in libro Fratrum confcriptorum S. Galli nomen hujus Abbatis cum toto fuo Conventu; & licet omnium Fratrum nomina ob fciffuram membranæ legi non poffint, liquet tamen ex eo, numerum Monachorum hoc tempore haud minorem fuiffe, quam fub Wolfeno Reftauratore olim fuerat.

Anno 997. Augiæ Alvicus fecundus Abbas promotus, Romæ ab ipfo Papa confecratus, & privilegio donatus eft (n); quem potiori jure ejus familiæ fuiffe ajunt, unde poftmodum Comites de Sultz procreati funt. Idem Alvicus poft triennium ad Epifcopatum Argentinenfem promovetur, cujus vitam nuper fcripfit ex Chartis hactenus ineditis Vir Clariffimus Abbas Grandidier in Hiftoria Epifcopatus Strasburgenfis (o).

Ad initium fæculi a Chrifto nato undecimi ftatuenda eft Beatiffimi Confratris noftri Fintani Anaftafis, qui *Sanctæ Sedis Apoftolicæ auctoritate* (p) in Sanctorum numerum relatus eft, ac publico cultui expofitus. Studebant jam fæculo decimo exfpirante, prout Monafticon Anglicanum docet (q), plures religiofa devotione patriæ fuæ Sanctos exaltare, pia folicitudine vitas illorum inveftigare, fummique Pontificis authoritate ipfos canonizare. Hac ratione S. Othmari corpus ejusdem Pontificis decreto levatum (r), S. quoque Udalricus per Bullam, ut vocant, folemnem Sanctis anno 993. adfcriptus; nec non Meginradus primus Eremi incola anno 1039. a Benedicto IX. populi venerationi conceffus (s); ac paulo poft Wiborada agente Norberto Abbate S. Galli per Henricum Imperatorem Romæ fimili honore affecta eft (t). Sane omni cultus genere S. Fintanum fub exordio hujus fæculi exornatum fuiffe, teftantur Codices Manufcripti. Neque enim folum

(l) *Hujus temporis initiatus eft locus Rinaugia, a quo etiam fumpfere privilegia fua.*
(m) Bucelin. Chron. Conftant. ad annum 985.
(n) Hermannus.
(o) Tom. III. Item Bucelin. Chron. Conftant. ad a. 998.
(p) Charta Epifcopalis de anno 1446.
(q) Tom. II.
(r) Eckardus S. Gall. apud Goldaft. Rer. Alem. Tom. II.
(s) Bucel. Chron. Conftant.
(t) Burchardus de Cafibus S. Galli c. 6. apud Goldaft. pag. 67.

lum ejus festum ad diem 15. Novembris Calendariis Ecclesiasticis & Martyrologiis illatum est, verum etiam officium canonicum proprium, quod nostra adhuc ætate decantatur, compositum fuit. Moxque sacellum cum altari erectum in loco, ubi tamdiu reclusus vixerat, ad quod statis temporibus supplicationes institutæ sunt. Sequenti sæculo, pro more tunc primum invalescente, festo addita est octava cum vigiliis atque feriis, exstatque antiquissima effigies ejusdem Sancti cum limbo depicta. Propagatus est insuper cultus ad plures totius Diocesis Ecclesias, ejus nomine publicis Lytaniis inserto. Solerius in auctariis ad Martyrologium Usuardi exhibet ex Codice antiquissimo Hagenoensi Sancti hujus nomen ad diem prædictam sequentibus verbis: *In Episcopatu Constantiensi Monasterio Rinaugiensi S. Findani Confessoris, qui multum contulit egenis.* In Curiensi quoque Episcopatu, ubi Fintanus antequam Rhenaugiam commigraret, aliquamdiu vixit, ejus Festum ab antiquissimo tempore celebratum fuit. In Augiensi Codice manu initiantis sæculi undecimi legitur *Transitus S. Fintani* cum lectionibus ex vita adaptatis. Denique nec Patriæ suæ Scotiæ S. Fintanus incognitus mansit, ubi in Insula propinqua, quam *Mulam* dicunt, procul dubio ex orcadibus una, sacra ædes constructa est ad rupem illam, sub qua idem Sanctus delituit; prope quam fons scaturire dicitur, febricitantibus salutaris.

Anno Millesimo secundo Ottone Tertio in Italia X. Kal. Februarii immaturo obitu sublato, *Heinricus* Bajoariæ Dux, inter Sanctos postea relatus, assumptis Regni Insignibus, pro eo regnavit annis 23. prout loquitur Hermannus Contractus. Cui cum aliis rebellans Herimannus Dux Alemanniæ, Argentinam spoliavit; sed vi coactus Regiæ potestati submittitur. Mortuo postmodum Patre, ejusdem nominis Filius in Ducatu Alemanniæ substituitur. Hujus opera Rex Monasterium ex Duellii monte in oppidum Stein anno 1005. transtulit, atque dotavit. Augiæ vero Fratribus apud se accusatis, *Immonem*, virum austerum, Gortiensem Abbatem, præfecit, qui & Brumiam ipso tempore tenebat. Similiter Gothardo Abbate Altachensi Monasteria Tegerseense & Cremisaniense regenda tradidit (u). Disciplinæ enim Monasticæ Henricus zelator acerrimus non modo temporalibus, sed etiam spiritualibus emolumentis providere satagebat. Anno 1007. Ravenspurg & Babimberg construuntur (x); in quo posteriori loco Episcopatus summo studio a Rege fundatus est. Tandem quoque Augiæ, remoto

(u) Mabill. in Annal. ad annum 1005.

(x) Chronicon Guelphicum apud Canisium atque Basnagium Tom. III. pag. 597.

moto Immone, quærentibus contra nimiam severitatem Fratribus. *Bern* seu Bernonem, virum doctum & pium, Brumiensem Monachum, Abbatem Rex constituit (y).

BURCHARDUS I.

ABBAS XII.

Rhenaugiæ Notkero defuncto in munere Abbatiali subrogatur *Burchardus* hujus nominis primus; vir tanti meriti, ut unacum Rhenaugia Monasterium Campidonense regendum susceperit, procul dubio a sancto Henrico Imperatore promotus, qui Viros doctrina & pietate spectabiles pluribus Abbatiis præficere solebat. Certe utrobique Burchardus hisce temporibus, teste Hermanno Contracto tunc florente, Abbas fuit (z); non obstantibus vulgatis Abbatum Campidonensium indicibus (a), in quibus ideo forte ejus nomen omissum est, quod non ex illius gremio electus, sed aliunde, nempe a Rhenaugia, petitus fuerit. Desideratur in dictis Catalogis *Rudolphus* quoque Campidonensis Abbas, quem tamen ante paucos annos illi Monasterio præfuisse, ex Diplomatibus Ottonis Secundi & Tertii demonstrat Mabillonius (b). Continetur idem *Rudolphus* in quodam Manuscripto nostro, quod Campidonæ primitus exaratum, hoc tamen ævo Rhenaugiæ, procul dubio occasione Burchardi, communis utriusque Monasterii Abbatis, illatum, pluribusque defunctorum nominibus auctum fuit. Omissus pariter ex illis catalogis *Ottenus* Abbas, qui hoc eodem sæculo, nempe anno 1064. ab Henrico IV. pristinam libertatem Campidonæ impetravit (c); quæ tunc temporis in beneficium etiam laicis dari consueverat. Proinde sæpe dicti indices nihil morari nos debent, quo minus *Burchardum* Rhenaugiensem Abbatem Campidonæ simul præfuisse, pro certo statuamus.

Anno 1012. Herimannus junior Dux Alemanniæ defunctus Ernustum, Sororis suæ Gisilæ Maritum, Successorem habuit. Sequenti vero anno Heinricus Rex Italiam cum exercitu petiit, & restituto in Sedem Romanam Benedicto VIII. Imperiali coronatus est benedictione. Ast in Alemannia supradicto Ernusto

(y) Hactenus Hermannus Contractus in Chronico.
(z) Apud Mabill. Annal. Tom. IV. ad a. 1026.
(a) Bruchius pag. 30. Crusius Tom. I. pag. 274.
(b) Mabill. loc. cit. pag. 13. a. & Analect. pag. 449.
(c) Mabill. loc. cit. pag. 450.

nuſto ſagitta inter venandum interempto, Ducatum ejus filius ejusdem pariter nominis, Viduam vero Giſilam Conradus, futurus poſtea Imperator, accepit. Anno 1017. Henricus in Burgundiam usque ad fluvium Rhodanum ad Rudolphum Regem Burgundiæ, avunculum ſuum acceſſit; unde rediens Turegum venit, ibique per quinque hebdomatas manſit (d). Conſtantiæ ſequenti anno Lamperto Epiſcopo defuncto, Ruodhardus præſulatum obtinuit, annisque ferme quinque præfuit. Mox Benedictus Papa ab Imperatore invitatus Bambergam venit, ibique Eccleſiam S. Stephani dedicavit; quem redeuntem Henricus Turegum usque comitatus eſt. Interea Werinharius, frater Ratebotonis Comitis, Argentinæ Epiſcopus, quibusdam Suevis auxiliatoribus, Burgundiones Regi ſuo rebelles, jubente Cæſare, invaſit, & conſerto prælio vicit. At Imperator Baſileam declinans, dedicationem Eccleſiæ, quam conſtruxerat, magnisque donis exornaverat, celebravit (e). Anno 1021. Irmentrudis Buochaugienſis Abbatiſſa Venerabilis X. Kal. Martii obiit, eique Abarhild Abbatiſſa ſucceſſit. Hic Hermanni Contracti locus in exemplaribus corruptus Mabillonium quoque confuſum reddidit (f). Sequenti anno Heinricus Imperator campaniam petens, civitates omnes in deditionem accepit, ſicque Romam pertranſiens victor rediit in Germaniam. Qua in expeditione peſtilentia ſublati ſunt Ruodhardus Conſtantienſis Epiſcopus, & Burchardus Abbas de Cœnobio S. Galli, & pro his Heimo Epiſcopus annis ferme quatuor, Thepoaldus Abbas annis undecim præfuerunt. Anno 1023. Henricus Imperator & Robertus Rex Franciæ apud Evaſium convenere, ubi Henrici munificentia Regum Perſarum & Arabum opibus comparari poſſe videbatur (g).

Eodem anno cum Imperator in *Herſtein* ſeu Ehrenſtein, nobili Puellari Monaſterio Alſatiæ, moraretur, piiſſima ejus Conjux *Chunegunda*, filia Sigefridi Comitis Palatini, apud Maritum intervenit, petiitque, ut Monaſterio *Rinowa* dicto, cui Venerabilis Abba Burchardus præerat, Caſtrum *Wizinburg* ſeu Weiſſenburg, haud procul a Monaſterio noſtro diſſitum, in Cleggoviæ montibus, & Comitatu *Radebotonis*, liberaliter donaret. Annuit Henricus clementer, pro remedio

(d) Ibidem pag. 368. ex fragmento Annalium Einſidlenſium.

(e) Hermannus hæc ad annum ſequentem.

(f) Annalium Tom. IV. pag. 279. Abbatiſſa fingitur Monaſterii incogniti. Vide ejusdem Acta SS. Tom. V. pag. 845. — 6.

(g) Sigebertus Gemlacenſ. apud Piſtorium.

remedio animæ suæ & Parentum suorum, Henrici Bavariæ Ducis, & Gisilæ Conradi Regis Burgundiæ filiæ, ex Welphorum stemmate, Diplomate desuper signato, quo cuncta ad illam Dynastiam pertinentia complexus est, cum omnibus juribus, etiam venationibus, quæ in nostris Diplomatibus hic primo loco comparent. Erat Castrum Weissenburg *Justo judicum judicio* (h) quo fortasse designatur provinciale Judicium Cæsareum, hodie adhuc vigens in Cleggovia, in fiscum Regium redactum, *Ottram* illius Domino *Exlege* declarato, seu proscripto, quod forte inter rebelles exstiterit, qui Henrico dudum in Regem electo, cum Herimanno Alemanniæ Duce, Lamberto Episcopo Constantiensi, aliisque (i) arma sumpserant. Horum quosdam Henricus beneficiis captare sategit, aliis severe mulctatis. Fortasse Imperator etiam ad servitia Burchardi Abbatis respexit, qui in itinere Italico inter alios subscripsisse videtur Diplomati, quo Ecclesiæ Romanæ Ditiones confirmantur; legitur enim ibi *Burchardus Abbas* (k) sine Monasterii mentione, quod Burchardo geminum erat, licet ejusdem nominis Abbas S. Galli huic itineri non defuerit.

Cæterum Weissenburgensis Dynastia plures continebat vicos, nempe Riederen, Dettickhoffen, Buchelo, Gunzen, Wyl, Wasserkingen, Hundwangen, Eichberg, & Bühl, qui tamen ultimus locus necdum in unum vicum coaluerat, sed ex prædiis dispersis consistebat, prout idem ipsum etiam nostro tempore ex parte conspicitur. Id discimus ex vita *S. Notburgæ* (l) Patronæ Cleggoviæ, quæ circa idem tempus viciniam nostram eximiis signis & virtutibus exornavit. Erat nobilissimi generis femina, ex Anglia aut Scotia oriunda; sed a Marito repulsa, in Alemannia pro Dei gloria exulabat. Unde in supra dictum locum Bühl, ad latus Castri Weissenburg situm, advenit, ibidemque pro baptizandis novem Geminis, quos unico partu fudisse dicitur, baculo miraculose fontem elicuit, qui etiamnum hodie, puerperis præcipue, saluberrimus est. Sacrum ejus corpus in Ecclesia, quæ in Præposituram Rhenaugiensem excreverat, ibidem humatum traditur: ex ejus vero liberis, per Cleggoviam dispersis, Beata *Hixta* præcipuam Sanctimoniæ famam ad posteros transmisit; in speciali Sacello prope domum Parochialem Gestettæ sepulta, & populi devotione frequentata (m).

Cla-

(h) Schœpflin. Hist. Bad. Tom. I. p. 430. Desing Reichsgeschicht Tom. I. p. 224.
(i) Crusius Tom. I. p. 819. Tschudius in Chron. Tom. I. p. 6. an. 1019.
(k) Apud Cennium Monum. Dominii Ponti. Tom. I. p. 193.
(l) Bolandus die 26. Januarii.
(m) Calmet in Itinere Helvetico.

Clarissimus Herrgottus (n) Chartam donationis Castri Weissenburgensis, a S. Henrico nobis traditam, Diplomaticæ suæ inseruit ob *Radebotonem*, unum ex Augustæ gentis Habspurgicæ Progenitorem. Qui cum dicatur *Comes Cleggoviæ*, hinc existimat eruditissimus Rustenus Heer, Herrgotti Collega (o) Patrem Radebotonis *Kancelinum* dictum fuisse Comitem *Altenburgi* a nostro Rhenaugiæ proximo Altenburgo ad fines Cleggoviæ sito, ubi anno 892. Gozbertum Comitem jus dixisse vidimus. Est tamen etiam aliud Castrum Altenburg in Argovia, quod certo inter possessiones veterum Habspurgi Comitum numeratur in Urbario Ducum Austriæ anno 1300. a Burchardo Doctore exaratum (p). Cæterum Diploma sæpe memoratum cum sigillo majori sedentis in Throno Imperatoris datum est IV. Kal. Nov. Indictione VI. anno incarnationis 1023. Regni Henrici 23. Imperii X. quæ omnia convenire fatebitur, qui annos initiales, ut par est, simul computaverit, atque Diploma primum expirante mense Octobri datum meminerit, quo jam novus regiminis annus incepit.

Anno 1024. *S. Henricus* Imperator piissimus, plurium Ecclesiarum Fundator liberalissimus, Conjuge sua Chunegunda Virgine relicta, obiit III. Idus Julii, Bambergæ sepultus. Pro quo *Conradus* Senior Dux orientalis Franciæ dictus *Salicus*, quem Henricus, licet sibi infensum commendaverat, Rex proclamatur. Is rogante *Reginberto* de Seldenbüren, insigni S. Blasii benefactore, qui distinguendus est ab ejusdem nominis Presbytero, eidem Monasterio Advocatum dedit Adalberonem Basileensis Ecclesiæ Episcopum (q). Alii tamen malunt pro Reginberto substituere nomen *Henrici de Seldenbüren*. Altero mox anno rebellio & discordia multa contra Conradum Regem ab Ernusto Duce Alemanniæ, Regis privigno, & *Welph Suevigena* Comite facta est (r). Erat is filius Rudolphi, Nepos S. Conradi, qui etiam Abbatiam Altorfensem, transferendo Monachos de Altenmünster, & Sanctimoniales pro illis reponendo, permutavit (s).

Anno

(n) Geneal. Diplom. Tom. II. Part. I. n. 166.

(o) Anonym. Murens. pag. 337.

(p) In Archiv. Lucer. ex copia Ægidii Tschudii Msc. Engelberg. Im Eigen. Habspurg Graffschafft. Ze Altenburg innert dem gemüre lit ein hofstatt, und di Vischentz, die zu Altenburg höret. &c.

(q) Basilea sacra. pag. 145. Lang. Tom. I. p. 876. Hotting. T. I. p. 590. qui tamen Henricum ponunt ad a. 1092.

(r) Hermannus Contractus hoc anno.

(s) Anonymus Weingart. in Historia Guelphica. Msc. Augiens. & apud Basnag. T. III. pag. 581.

Anno 1026. *Burchardus Campidonensis & Rhenaugiensis Abbas obiit, eique Rhenaugiæ Birthilo Abbas substituitur* (t). Ernust vero Dux Alemanniæ cum Rege, interpellante Matre, pacificatus, Campidonensem loco beneficii Abbatiam consecutus est, suisque Militibus distribuit, nec multo post pravo usus consilio, iterum rebellavit. Welpho etiam Comes, & Bruno Augustensis Episcopus, frater S. Henrici, prædis & incendiis inter se mutuo debachantur. Ipso anno Constantiæ Heimo Episcopus subita morte pleuresi tactus decessit, eique Varmannus successit annis ferme octo. Hactenus Hermannus Contractus. Cæterum vulgati indices Abbatum Campidonensium, de quibus supra, referunt, Eberhardum Hertensteiner de Wineda præfuisse usque ad annum 1044. cui Kiselfridus substitutus, quem nostrum quoque Campidonense Manuscriptum perhibet obiisse die 30. Junii. Fortasse post mortem Burchardi a Campidonensibus electus fuit Eberhardus, non obstante, quod Abbatia a Rege Ernusto in beneficium concessa fuerit. Obitus porro Abbatis nostri Burchardi in antiquissimis Calendariis eique coëvis notatur ad diem decimam quintam Septembris. Utrum eo vivente, an potius sub ejus successore Birthilone Conradus II. Salicus Imperator privilegia & immunitates Monasterii nostri Rhenaugiensis confirmaverit, non constat, cum authographum perierit. Id tamen factum fuisse, colligitur ex Diplomate ejus filii Henrici III. aliisque monumentis (u).

BIRCHTILO,

ABBAS XIII.

Birchtilo, Birthilo seu Birtelo, variis enim modis ejus nomen in monumentis nostris scribitur, anno 1026. Burchardo in regimine Monasterii Rhenaugiensis successit, prout paulo ante ex Hermanno Contracto perspeximus. Hisce temporibus disciplina Monastica sub Rectoribus celeberrimis haud modice, teste Sigeberto Gemblacensi (x), floruit. In vicinia nostra Castrum Kiburg Wernharii Comitis tribus mensibus obsessum ab ipso Rege Conrado, cum aliis nonnullis Rebellium Castris capitur (y). Tum placito apud Ulmam celebrato Rex Ernustum Ducem,

(t) Ita Hermannus in Authographo Augiæ.
(u) Ægid. Tschud. in Chron. Helv. Tom. I. pag. 19.
(x) Sigebertus Gemblacens. in Chronico apud Pistorium. Constat quoque ex nostris Msc.
(y) Hepidannus apud Goldast. Tom. I. ad a. 1033.

Ducem, & Welfum Comitem (z), utrumque feditionis reum, per aliquod tempus exilio mulctavit. Werinharius vero Argentinæ Præful Conftantinopolim ab Imperatore legatus dirigitur, ubi fequenti anno defunctus eft. Is non folum Caftrum Habfpurg, unde celeberrimum poftea Comitum & Auguftæ Domus nomen, conftruxit, verum etiam Monafterium Murenfe, adnitente potiffimum Ita Ratebotonis Comitis Uxore, Charta folemni fundavit (a). Socius in Legatione epetana Epifcopi fuit Manegoldus Comes de Kiburg & Dillingen, qui domum reverfus, cum particulam S. Crucis ab Imperatore Græco dono accepiffet, fundavit Wertæ feu Donawertæ Monafterium, cui præfuit Abbas Bertoldus ex eadem Familia Comitum de Kiburg. Anno 1030. cum Ernuftus dudum Dux Alemanniæ, & Werinhere Comes, Caput rebellium, ut loquitur Hermannus Contractus, circa filvam Martianam populares prædiis infeftarent, a Mangoldo Comite, Augienfium militia aucto, XVI. Kal. Septembris conferto prælio victi ac perempti funt.

Anno 1032. Rudolphus ignavus Burgundiæ Rex obiit, cujus diadema, regnique infignia Conrado Imperatori per Selingerum allata funt. Sicque Burgundia (adeoque ulterior Helvetiæ pars) iterum redacta eft in provinciam Romani Imperii (b). Anno 1034. *Warmanno* Epifcopo Conftantienfi defuncto, frater ejus Eberhardus fuccedens ultra duodecim præfuit annis. Adfcribitur fragmento noftro Libri Vitæ *Warmannus Archiepifcopus*; quo titulo Epifcopi celebres illo ævo honorati occurrunt. Adfcitus in fraternitatem & bonorum operum communionem five ut Monachus Augienfis, five ut furculus ex familia Guelphica. Idem enim legitur in Necrologio Murenfi (c) his verbis: Warmannus Comes de Kiburg & Dilingen Epifcopus Conftantienfis Benefactor nofter.

Anno 1036. Sanctimoniales a Domina Irmengarda Welphi Comitis vidua apud Altorf pro Clericis conftitutæ funt. Reliquit Welphus filium ejusdem nominis, & Chunizam filiam Azoni Marchioni Eftenfi nuptam (d). Eodem anno Monafterium S. Blafii dedicatur fub Beringero Abbate de Hochenfchwanden.

Anno

(z) Idem Scriptor hunc Welphum bis *Welfhardum* vocat ad an. 1031. & 1033.

(a) Charta Fundationis apud Herrgott N. 168. Oefelin Rerum Bavar. T. I. p. 334.

(b) Sigebert Gemblac. loc. cit.

(c) Herrgott ad calcem Diplomatum 30. Aug.

(d) Anonymus Weingart. in Mfc. Augienf. & apud Canifium.

Anno 1038. *Chunegunda* Imperatrix, insignis Monasterii nostri Benefactrix ob Castrum Weissenburgense, in Consugiensi Parthenone ab ipsa fundato V. Nonis Martii sanctissime obiit (e), & anno sequenti *Conradus II.* Imperator III. Non. Junii inopinata morte subito decessit, cujus filius Rex Henricus III. gubernacula Regni suscepit. Neque diutius vitam perduxit Abbas noster *Birthilo* Calendariis nostris coævis ad diem tertiam Aprilis cum sequentibus notis adscriptus: *Birthilo Abbas n. c.* id est nostræ congregationis; quibus consonat Necrologium Sangallense ad prædictam diem his verbis: *Birthilo Abbas de Rinaugia* (f).

RICHARDUS,

ABBAS XIV.

Circa idem tempus *Richardus* Abbas Rhenaugiæ Monasterio feliciter præesse cœpit; neque enim monumentis nostris, quæ supersunt, hoc ævo Abbatum tempora distinctis annis definiuntur. Anno 1043. Henricus Rex in Alemanniam veniens, in Synodo Constantiensi, cunctis dimissis debitis & inimicitiis, pacem exoptatam per edictum confirmavit. Altero abhinc anno 1045. Otto Palatinus Comes Dux Alemanniæ constituitur. In Monasterio S. Blasii Beringero vita functo, successit beatæ memoriæ Wernerus (g) Abbas, non minus Divinarum rerum sapientia quam pietate celebris. Cujus ævo S. Blasiani *Veteris pacti consuetudinem*, ut habetur in Codice coetaneo, *pro Fratribus suis Rinaugiensibus persolvere solebant* (h). Pactum utique ob antiquissimam necessitudinem reliquis Confœderatorum pactis vetustius, quo sibi mutuæ charitatis suffragia impendebant. Anno 1046. Bonæ memoriæ Eberhardus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus, in Regis comitatu obiit Romæ in porticu S. Petri sepultus; cui Theodoricus per aliquas Provincias Regis Cancellarius successit. Sequenti anno Otto Suevorum Dux immaturo obitu diem clausit extremum; pro quo Otto de Suinfurto substitutus est (i). Quo tempore Imperator *Welphum Suevigenam* Welphi dudum Comitis filium ad Carantanum Ducatum promovit. Is Monasterium in monte antiquum in honore sancti Martini fundavit, cui nomen *Winigartin* imposuit, in

(e) Marianus Scotus, non vero Hermannus, cujus spuriis exemplaribus usus est Mabill. Annal. Tom. IV. pag. 422.

(f) Apud Georg. Eckard Franc. orient. T. II. pag. 920.

(g) Bucellin. in Chron. Constant. Wulpertz in Historia S. Blasii Msc.

(h) Gentiloni in Bibliotheca Cæsareo-Vindobonensi.

(i) Marianus Scotus.

quod de Villa translatis Monachis, Ecclesiam priorem Parochialem esse constituit (k). Anno 1048. Imperator Alemanniam repetens, & Augiam ingressus, Dedicationi Ecclesiæ S. Marci interfuit. Ascensionem Domini Turegi, Pentecosten vero Solodori celebravit. Per idem tempus Bruno de Tullo Leucorum Episcopus ab Imperatore electus Papa, Leonis IX. nomen accepit, atque in autumnali tempore Synodo Moguntiæ habito, Alemanniam adiens, Augiæ festum S. Clementis egit, ac per Augustam transiens in Italiam rediit.

Eodem anno 1049. Venerabilis Abbas noster *Richardus* Imperatorem Henricum III. Aquisgrani morantem adiit, ejusque obtutibus Fundationis Chartas præsentavit, a Wolveno quondam scriptas, unacum privilegiis & immunitatibus, quas Reges & Imperatores hactenus concesserant. Cujus precibus inclinatus, pro remedio animæ suæ, Genitorisque ejus Conradi, & Genitricis Gisilæ, amplissimo Diplomate renovavit, & confirmavit præcepta ab ipsis emanata (l). Recensentur ibi triginta duo loca, his nominibus: *Martella, Helehenhova, Holtzheim, Willegisesboch, Ruodolfingen, Truillichova, Bechinhova, Truitinhova, Szlat, Stamheim, Nuzboma, Morineswilari; & in Albgowe Cella, quæ dicitur Alba* (m), *Alossa, Waltkirecha; & in Italia in pago Veronensi & Tartonensi Curte nova, Chodrun, ac Rubessel* (n). *Denique in pago Chlechgouwe Gehtelinga, Sibilinga, Hovestat, Heidestat, Altenburg, Balba, Suabowa, Passa, Wavenesriuti, Willchinga, Haselaha, Arzinga, Wizwila, Louchringa.* In his continentur quidem aliqua, quæ jam tunc a Rhenaugia divulsa erant; verum alia, quæ hactenus accreverant, pariter confirmata intelliguntur, licet eorum nomina fuerint omissa. Adduntur enim clausulæ amplissimæ, *cum omnibus pertinentibus, cum Ecclesiis, cunctisque Ecclesiasticis rebus, & mancipiis utriusque sexus, curtilibus, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, aquis, molendinis, piscationibus, vectigalibus &c.* quibus ultimis Regalia exprimuntur a principio fundationis Monasterio competentia.

Bertoldus,

(k) Anonym. Weingart. Bucelin ad hunc annum.

(l) Exhibet Diploma Herrgott Geneal. Diplom. Tom. II. pag. 120. Tschudius in Chron. pag. 19.

(m) Cellam Albam Monasterium S. Blasii interpretatur Herrgottus in notis ad hoc Diploma, ipse ibidem Monachus.

(n) Villa nova, Roca Rubessa, Corregio. Gavi omittitur.

Bertoldus, in cujus Comitatu sita dicitur Rhenaugia, stipes erat Ducum Zaringensium, & Marchionum Badensium (o). Huic Henricus Ducatum Alemanniæ cum filia sua Mathilda promiserat; verum eo præmortuo, & filio Henrico IV. minorenni, hujus Mater Agnes Filiam cum prædicto Ducatu tradidit Rudolfo Comiti Rheinfeldensi; Bertoldo vero in vicem concessit Ducatum Carinthiæ, Marchiam Veronensem, & Præfecturam Turegiensem; a quo tempore pagus Turgoviæ, qui tunc adhuc late patebat, divulsus fuit a Ducatu Alemanniæ. Adhæsit ei nomen Ducis Zaringiæ a Castro familiæ proprio in pago Brisgoviensi, maxime postquam Ducatus Carinthiæ ei etiam a Rege Henrico ablatus fuit. Genuit *Bertoldum II.* Fundatorem Monasterii S. Petri in silva nigra (p), Hermannum postea Monachum Cluniacensem; a quo Marchiones Badenses, & *Gebhardum III.* Episcopum Constantiensem. Datum est nostrum Diploma V. Idus Julii, anno 1049. Indictione II. anno autem Henrici III. Regis, Imperatoris II. ordinationis ejus XXI. Regni quidem XI. ab obitu nempe Patris, Imperii autem a coronatione III. quibus notis chronologicis nihil exactius scribi poterat. Subscriptus vice Bardonis Archicancellarii Archiepiscopi Moguntini, Winitherius Cancellarius postea Episcopus Bambergensis.

Anno quinquagesimo supra Millesimum Gebehardus Episcopus Ratisbonæ Campidonensem Abbatiam beneficii loco accepit. Sequenti vero anno pro Theodorico Constantiensi Episcopo defuncto Rex *Rumoldum* promovit. Erat is ex Præposito Basiliensi factus Monachus in Eremitano Monasterio, ex familia de Bonstetten. Anno 1052. Leo IX. iterum per Germaniam pertransiens (q) Altare primum in Schaffhusiano Monasterio dedicavit (r). Cui dedicationi Richardus Abbas noster die 23. Augusti interfuisse fertur. Cœperat tunc primum fundationem ejus Monasterii *Eberhardus* piissimus Comes *Nellenburgi*, parvamque ædiculam construxerat, modo abjectam & usibus profanis addictam, in qua sanctus ille Pontifex Consecrationem peregit; nam magnificum templum postea ædificatum est, cui accrevit ex parva villa celebre oppidum Schaffhusianum, ob viciniam nostram sæpius in monumentis Rhenaugiensibus celebratum. Sanguine junctum fuisse fertur Eberhardum de Nellenburg cum Leone Papa ex Co-

mitibus

(o) Schœpflinus adducit hoc Diploma in Historia Zaringo-Badens. Tom. I. pag. 36.

(p) Ejus monumentum nostro tempore restauravit meritissimus D. Abbas Philippus Jacobus.

(q) Mabill. Tom. IV. Annal. pag. 533.

(r) Breve Chronicon Murense Annalibus Reginonis præfixum, scriptum circa annum 1170. *Leo Papa IX. dedicavit altare Scafhuse.*

mitibus de Dachsburg, & nepotem Burchardi quondam Ducis Alemanniæ, qui in Italia occubuit, dum suppetias ferret genero suo Regi Burgundiæ, atque ex Bertoldo filio genitum authore Guillimanno (s), quamvis alii genus Comitum de *Nellenburg* ad quendam *Ebbonem*, aut ad *Mangoldum* a nobis supra anno 1030. relatum referant.

Memorato Eberhardo Fundatori Monasterii Schaffhusiani sex adscribuntur filii: quorum primus *Eggehardus*, teste Bertoldo Constantiensi (t), Abbas Augiensis effectus est, & Romæ anno 1073. consecratus. Secundus *Uto* successit Cunoni in Archiepiscopatu Trevirensi anno 1070. concordante in ejus electionem tam clero quam populo, ut loquitur Lambertus Schaffnaburgensis (u). Tertius *Eberhardus* ab Henrico Rege anno 1073. teste eodem Lamberto (x) præfectus fuit præsidio Luneburgensis oppidi; sed cum quarto Fratre suo, cujus nomen non exprimitur, anno 1075. in prælio contra Saxones, Duce Rudolfo Rheinfeldensi pro Rege Henrico pugnante, cum aliis multis ex Suevica nobilitate occubuit (y). Quintus filius *Adelbertus* Juvenis ante Patrem ex hac vita decessit; Sextus denique *Burchardus* paternam hæreditatem non solum, sed etiam virtutes adeptus, cum liberis careret, Monasterium Schaffhusianum plurimis beneficiis auxit, pro quo a Gregorio VII. litteras Exemptionis obtinuit, quas in Synodo Constantiensi produxit, prout ipse narrat in Charta quadam data anno 1091. (z) Cæterum *Eberhardum* ejus fratrem fidelem in servitiis Henrici IV. fuisse, constat ex citato Lamberto Schaffnaburgensi, qui ad initium anni 1073. ubi agit de electione Hildebrandi in summum Pontificem, *statim*, inquit, *Rex a latere suo Eberhardum Comitem misit, qui Romanos Proceres interpellaret, cur Rege inconsulto Ecclesiæ Pontificem ordinassent* (a). Eundemque Eberhardum alio loco refert tanquam intimum Henrici Consiliarium a Gregorio excommunicatum fuisse. (b)

Præter

(s) Rerum Helvet. lib. III. c. XII. p. 388.

(t) Apud Urstisium pag. 345. ubi in margine apponitur *Comes de Nellenburg*.

(u) Editione Pistorii Tom. I. pag. 176.

(x) Idem Lambertus vocat Comites de *Ellenburg*, loco citato pag. 196. *Milites lectissimos cum Eberhardo filio Eberhardi Comitis de Ellenburg imposuerat oppido Luineburg.*

(y) Idem ibidem: *Ibi duo filii Eberhardi Comitis de Ellenburg corruerunt.*

(z) Cujus apographum habet Ruger in Chronic. Msc. Schaffhusiano pag. mihi 80.

(a) Apud Pistor. Tom. I. pag. 191. lin. 18.

(b) Ibidem pag. 234. lin. 46.

Præter relatos Filios *Eberhardi I.* alios ejusdem prosapiæ Comites de Nellenburg circa idem tempus vixisse, liquet ex Diplomatibus, Chartis, & Authoribus coævis. Ipse Burchardus in Charta adducta inter alios testes recenset *Theodoricum Comitem de Nellenburg* (c). Acta Murensia ad annum 1114. narrant, Wernerum II. Comitem de Habspurg duxisse *Regulindam de Nellenburg* (d), quæ teste Guillimanno fuit filia Eberhardi I., & ad annum 1132. producunt *Eberhardum III.* Comitem de Nellenburg; de quo exstat Charta in Monasterio S. Blasii ad annum 1150. in qua vocatur Advocatus Monasterii Schaffhusiani (e), ejusque nomen adscribitur inter Testes Diplomati, quo Fridericus I. anno 1155. fines Episcopatus Constantiensis confirmat (f). Sequenti Sæculo ad annum 1228. Mangoldus Comes de Nellenburg notatur ab Herrgotto in Genealogia Diplomatica Augustæ Domus Austriacæ (g).

Eberhardus IV. Comes de Nellenburg, ejusque filii Mangoldus & Eberhardus anno 1253. resignarunt feudum in Wermsberswil in favorem Monasterii Schaffhusiani, prout demonstrat authographum ex Monasterio Rutinensi in scriniis Reipublicæ Tigurinæ (h). *Mangoldus* iste filius Eberhardi IV. comparet iterum anno 1277. apud Herrgottum (i); & ejus Frater *Eberhardus V.* anno 1309. in Charta Monasterii Schaffhusiani (k), qua reparantur damna eidem Monasterio a multis retroactis temporibus ab ipso ejusque familiaribus illata. Ægidius Tschudius ad annum 1318. refert Chartam *Joannis de Thure & Gestellenburg* (l) in qua nominatur idem vel alius Eberhardus Comes de Nellenburg.

Anno

(c) Citatus Ruger pag. mihi 84. Videatur Jo. Jacobi Mascovii Comment. de Rebus Imper. Rom. German. sub Henr. IV. & V. ab anno 1056. &c.

(d) Apud Kopp, & Herrgott Geneal. Diplom. Guilim Habspurg. pag. 172. Tom. I. ad calcem pag. 272.

(e) Ibidem pag. 333. & Tom. II. Charta N. 239.

(f) Apud Mannlium, Merkium, Bucelinum Constantia sacra pag. 50. - 54.

(g) Tom. I. pag. 274.

(h) Historia Diplomatica ejusdem Monasterii Erhardi Dursteler. Item Tom. VI. pag. 197. Monumentorum L. B. de Zur-Lauben.

(i) Tom. I. pag. 274. Urbarium Ducum Austriæ Argentinæ, & inter Msc. Tschudii habet: Graffschafft Frideberg erkaufft von Graf Mangoten von Nellenburg. Urbarium scriptum est anno 1300.

(k) Chron. Msc. Schaff. Rugeri pag. 87.

(l) Chron. Helv. Part. I. Lib. V. pag. 288. Iste Joannes de Thure & Gestellenburg fuit unus ex Progenitoribus sæpe laudati perillustris & eruditissimi D. Generalis de Zur-Lauben, cui plurima debentur ex præsentibus monumentis.

Anno 1319. Charta Agnetis uxoris supradicti *Mangoldi* Comitis de Nellenburg, Matris *Eberhardi VI.* (m) qui anno 1337. bona quædam vendidit Monasterio Capellæ Ordinis Cistercienfis (n); de quibus bonis exstat renuntiatio Alberti Ducis Austriæ cognati ejusdem Comitis de Nellenburg (o). Eodem anno alius Mangoldus de Nellenburg fuit Commendator Domus in Bubicken Ordinis Teutonici (p); qui in alia Charta vocatur Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis (q). Anno 1341. comparet denuo *Eberhardus* Comes de Nellenburg in Diplomate quodam Ludovici Imperatoris (r), & in Necrologio Hizkirchensi Equitum Teutonicorum, quod terminatur anno 1386. legitur XVII. Kal. Maji *Wolfhardus de Nellenburg* Commendator in Tulchsenland (s). Ad finem ejusdem Sæculi demum occurrit *Fridericus* Comes de Nellenburg (t). Hæc de antiquissima gente Comitum de Nellenburg, simul apponere placuit, quorum Comitatus Sæculo XV. devenit ad vicinos nostros Nobiles de Tengen, qui se postremo Landgravios de Nellenburg nominarunt, ac denique ad Augustissimam Domum Austriacam, ejusque ex Maria Theresia descendentem Josephum II. Imperatorem.

Revertimur ad Richardum Abbatem nostrum, ejusque iter Jerosolymitanum, de quo sequentia scribit Hermannus Contractus ad annum 1053. Werinharius Frater meus, Augiensis Monachus, admodum doctus, & Religioni vere deditus juvenis, cum alio Monacho Liuthario, studio vitæ perfectioris flagrans, peregrinationem clam pro Christo aggressus est, litteris remissis licentiam Abbatis postulans, & impetrans; & sequenti tempore *Richardus Rhenaugiensis Abbas*, & Henricus item Augiensis Monachus, hoc exemplum secuti, relictis omnibus idem propositum aggrediuntur. Hanc profectionem Richardi ad finem anni

1053.

(m) Originale in scriniis arcis Heidegg perillustris & eruditissimi D. Felicis de Balthasar Senatoris Lucernensis.

(n) In Collectione Zur-Laubiana Tom. VII.

(o) Authographum in Archivo Tigurino, apographum in Museo Scheuchzeriano, & T. VIII. p. 368. Monumentorum Helvetico Tugiensium in Bibliotheca Zur-Laubiana.

(p) Historia Diplomatica ejusdem domus Erhardi Dursteler Msc.

(q) Nimirum anno 1348. inter Monumenta Zur-Laubiana. T. VII. p. 283.

(r) In Chron. Helv. Ægidii Tschudii Part. I. Lib. V. pag. 367.

(s) Inter Monumenta Zurlaubiana Tom. VIII. Videatur Raymundus Duellio Canon. Regul. Ord. S. Aug. Lateran. in Historia Equestris Ordinis Teuton. Viennæ Austriæ edit. 1727.

(t) Apud Herrgott Geneal. Diplomat. Tom. I. pag. 274.

1053. aut initium sequentis contigisse, liquet ex eo, quod Hermannus die 24. Septembris anni 1054. finem vitae & scriptionis fecerit, omnes tunc temporis viros sapientia & virtutibus praecellens, ut loquitur ejus primus Continuator Bertoldus Constantiensis illius Discipulus, qui Magistri sui vitam breviter Chronico inseruit (u). Caeterum, quae hactenus ex Hermanno deprompsimus, desumpta sunt ex antiquissimo Manuscripto Augiae Divitis, quod prae editis multo emendatius, atque copiosius est, & si non authographum, saltem subpar auctori censetur.

Anno 1055. Welphus suis & omni populo admodum flebili morte praeventus, apud Altorfense Coenobium sepultus est, ut scribit Anonymus Weingartensis (x); cui, quia ex se haeredem non habuit, suam in perpetuum possessionem donavit. Mater vero ipsius sciens se habere haeredem ex filia Chuniza, Azoni Estensi Marchioni nupta, jussit eum adduci, & certum esse haeredem proclamavit. Hic est ille Welphus hujus nominis quartus, qui primus ex hac familia Ducatum Bajoariorum adeptus, secundum stemma Guelficum in Germania propagavit, atque secundus Monasterii Weingartensis Fundator celebratur (y). Anno sequenti 1056. Henricus Imperator, hujus nominis Rex Tertius, aetatis suae anno 39. obiit, & filius ejus Henricus IV. septimum aetatis annum nondum egressus, successor agnoscitur (z). Anno 1057. Otto Dux Alemanniae obiit; cujus Ducatum, praeterito Bertholdo Zaringensi, Rudolphus Comes Reinfeldensis, unacum Mathilda, Regis sorore, sponsa sua obtinuit, quam Rumoldus Episcopus Constantiensis educaverat. Advocatiam Rhenaugiae simul administravit Rudolphus, ejusque jura strenue defendit (a). Natus erat Cunone Comite de Rheinfelden, fratre Theodorici Ducis Lotharingiae, & Itae, quae nupserat Radebotoni Comiti Cleggoviae (b). Caeterum obitus Richardi Abbatis incerto anno assignatur in Necrologio nostro subpari ad diem XVI. Februarii hac nota: *Richardus Abbas nostrae Congregationis.* Ex itinere Jerosolymitano non solum cruce signatus redierat, sed etiam multis sacris Reliquiis auctus, quarum Catalogum

(u) Ex Msc. Cod. Murens. & Engelbergensi.
(x) Apud Canisium & Basnagium.
(y) Bucelinus.
(z) Bertoldus Hermanni continuator.
(a) Merkius Chron. Episc. Const. pag. 114.
(b) Genealogia Actis Murensibus praefixa.

talogum Manuscripta nostra exhibent (c). Adsunt quoque illius ævi itineraria in terram sanctam, S. Arnulphi nempe & S. Antonini dicta, quæ hac occasione Rhenaugiæ illata sunt; prius vero jam sæculo nono scripsit Regimbertus Monachus Augiensis (d). Frequentissimas Sæculo XI. has peregrinationes fuisse constat; nam & S. Eberhardus supra laudatus Fundator Monasterii Schaffhusiani bis Jerosolymam invisit.

GERUNGUS,

ABBAS XV.

Circa annum sexagesimum supra Millesimum *Gerungus* Abbas Rhenaugiæ electus fuit. Quo præsidente Monasterium novum Schaffhusianum anno 1064. tertio Nonas Novembris Rumoldus Episcopus Constantiensis dedicavit in honorem S. Salvatoris & omnium Sanctorum (e), præsentibus Abbatibus Hermanno Einsidlensi, Immone Fabariensi, Heinrico Weingartensi, Arnoldo Petershusano, *Gerungo Rhenaugiensi*, & Wernhero Sanct-Blasiano, prout habet notitia publica ejusdem Dedicationis. Quam altera Dedicatio Monasterii Murensis viginti tribus diebus antecessit, cui pariter cum Rumoldo interfuisse Abbatem nostrum Gerungum fertur.

RUMOLDUS,

EPISCOPUS CONSTANTIENSIS ABBAS RHENAUGIÆ XVI.

Verum haud diu licuit Gerungo quiete possidere Abbatiam Rhenaugiensem, quam Henricus IV. Rex eidem *Rumoldo* Episcopo in beneficium contulit; quod procul dubio fecit authore Adalberto Bremensi Episcopo, quem remota piissima Matre Agnete, & sancto Annone Archiepiscopo Coloniensi, administrationi Regni adhibuerat. Cum enim Adalbertus pinques Abbatias Lauershamensem & Corbejensem a Rege impetrasset, ne æmulationem apud alios excitaret, invitis etiam obtrudere beneficia nitebatur, prout prædicto sancto Annoni Indensem, &

(c) Msc. XXXIX.

(d) Bolandus in fronte Tomi II. Maji. Lambertus Schafnaburgensis ad an. 1058. Marianus Scotus ad an. 1065.

(e) Annales breves præfixi Chronico Reginonis in Codice Murensi. Stumpfius lib. V. c. XVII. pag. 76. b. Hotting. Histor. Ecclesf. ad an. 1051. & 1064. Chron. Schaffhus. Msc. pag. mihi 44.-45.

& Mamundariensem (f), Rudolpho Sueviæ Duci Campidonensem, & Rumoldo Constantiensi Rhenaugiensem Regia authoritate conferri curaverat. Obstitit conatibus Gerungus Abbas, & ut malum a Monasterio averteret, potentissimum Rudolphi Sueviæ Ducis Advocati Rhenaugiensis patrocinium sibi conciliavit (g). At multis opus non erat apud piissimum Rumoldum Episcopum, qui licet paucis annis nomen Abbatis invitus gereret, administrationem tamen Monasterii Gerungo sponte reliquit. Quin imo data occasione anno 1067. cum Rex in Augiensi Monasterio ageret, unacum eodem Gerungo, ac Rudolpho Duce, plenissimam libertatem Rhenaugiæ, Diplomatibus Regum roboratam demonstravit, multisque precibus ab Henrico efflagitavit, ut propriæ libertati Monasterium permitteret. Unde perperam plerique scribunt, coactum Rumoldum hanc Abbatiam dimisisse. Secutus hac in re est sancti Antecessoris sui Conradi exemplum, atque vel solo hoc titulo promeritus, ut inter optimos Abbates nostros recenseretur. Revocavit enim vero Rex solemni Diplomate concessionem suam, vetuitque, ne deinceps Episcopus, neque ulla alia persona Gerungum Abbatem, ejusque Successores, seu Fratres ibi degentes audeat perturbare, ut liberi & quieti Deo diu noctuque preces valeant effundere. Quam in rem adducit Antecessorum suorum Regum & Imperatorum Diplomata, ac præcipue Genitoris sui Henrici III. datum a. 1049. quæ corroborat, atque confirmat; fateturque, Ipsum Episcopum in id non solum consensisse, sed etiam super hac re eum multum efflagitasse. Datum VI. Idus Junii anno 1067. Indict. V. anno autem ordinationis suæ Regis IV. Regni vero XI.

GERUNGUS

Iterum.

Solus itaque Gerungus Rhenaugiæ deinceps præfuit, Rumoldo post biennium anno 1069. sancta vita functo, cui successive ab Henrico Rege duo substituti, seu potius Episcopatui obtrusi sunt, Carolus & Otto, qui tamen nunquam ad quietam possessionem pervenerunt. Interim restaurato Hirsaugiensi Monasterio, Colonia

(f) Mabill. Annal. T. IV. p. 619. Chron. Lauersh. apud Freher. p. 128. & Codex Diplom. p. 179. & 184.

(g) Hotting. Tom. I. ad an. 1051. pag. 555. Merkius p. 113. Stumpf. lib. V. cap. II. perperam id refert de Augia. Gregor. Mangold in Chron. Const. authograph. Msc. p. 30. Rumold bracht auch das Kloster Rinow an das bistum, aber die Herzogen von Schwaben wolten nit lassen gut sin &c.

lonia per Beatum Fridericum Abbatem ex ſacra Eremo inducta fuerat, ipſoque decedente ſanctus Wilhelmus Ratisbona ex S. Emerammi Monaſterio poſtulatus, Abbatialem dignitatem anno 1070. admiſit (h); atque Diſciplinam monaſticam tota Germania redintegravit, profectu in Rhenaugiam quoque derivando. Eodem anno Schaffhuſii beata morte defunctus eſt S. Eberhardus Monaſterii ejusdem Fundator, quod per ſex annos Monachus privatus pie incoluerat, cujus memoriam Calendaria noſtra ad diem 26. Martii celebrant. Ejus corpus ſub lapide conditum, cui ipſius effigies inciſa, nunc latericiis tecto ad levam cathedræ & chori. Sequenti anno Norbertus celebris pariter Abbas S. Galli obiit, antiquo Necrologio noſtro die 2. Septembris inſertus. Quo tempore Rex Henricus per interventum Rudolphi Ducis Suevorum, Welpho, filio Azonis, Ducatum Bajoariæ tradidit. (i)

Eodem procul dubio interceſſore Advocato noſtro *Rex Henricus* meruit inter Benefactores Monaſterii noſtri recenſeri, qui hoc anno VII. Kal. Aprilis, cum Baſileæ conſiſteret, tradidit liberaliter Rhenaugiæ, pro remedio animæ ſuæ, quidquid in Villa *Enſisheim* Alſatiæ, & in Villa *Perſiningin* in pago Hegowe, in Comitatu Ludovici, proprietatis habuit. Munificentiam ejus in Monaſteria teſtatur ejus vitæ Scriptor Anonymus in proemio, apud Urſtiſium Tom. I. pag. 380. Perſtitere illa bona in Enſisheim Monaſterio ad poſteriora usque tempora; donec tandem nonnullis Nobilibus in feudum collata ſint, Villa vero *Perſiningin* ſeu Berslingen ſæculo decimo quarto prope Möriſhauſen interriit, ut vix ulla ſuperſint veſtigia. Utinam Rex ille bona, quæ contulerat, illatis poſtmodum malis non obliteraſſet; ut memoria beneficii integra & incontaminata perſiſteret. Eo enim in deteriora prolapſo, anno 1073. Rudolphus Dux Alemanniæ, & Bertoldus, Dux Carinthiorum, & Welphus Dux Bajoariæ a Rege Henrico diſceſſerunt; mox quidem reconciliati, ſed pace ad modicum tempus duratura. Nam cum Rex per ſimoniacam hæreſin, ut loquitur Bertoldus Presbyter Conſtantienſis (k), S. Eccleſiam fædare non ceſſaret, tandem a Papa Gregorio VII. communione fidelium privatus eſt; unde omnes pene Principes Regni ſe ab eo ſequeſtrarunt, & generali colloquio apud Forcheim habito III. Idus Martii Rudolphum Ducem in Regem ſublimarunt, qui in Sueviam ſecedens, Regnum

(h) Trithemius in Chron. Hirſaug. p. 220.
(i) Lampertus ad hunc annum.
(k) In Mſc. Murenſi & Engelbergenſi.

gnum ſibi ſubjugavit. Quo tempore Udalricus Comes de Lenzburg, Henrici fautor, Religioſiſſimum Abbatem Maſſilienſem Bernardum, Apoſtolicæ Sedis Legatum, captum per medium pene annum detinuit; Comitem vero Henricus ut optime promeritum *inbeneficiavit.* Qua phraſi Bertoldus Presbyter etiam *Advocatiam Rhenaugienſis Monaſterii* intelligit, Rudolpho Rheinfeldenſi ablatam, & Comiti Lenzburgenſi delatam, atque ingentium malorum cauſam, quæ ſæculo proximo exequemur.

Nos interim tertiam Monaſterii noſtri annorum Centuriam claudimus, quæ ſatis proſpere decurrere videbatur, Monachorum numero admodum aucto, quorum Nomina in Kalendariis, & Necrologiis antiquiſſimis atque coevis ad dies emortuales apponuntur. Continentur in illis etiam non pauca Monialium nomina, quæ non ſolum diſtinctum Monaſterium, ſed etiam ſeparatam Eccleſiam in prora Inſulæ Sanctis Felici & Regulæ dedicatam habebant; inter quas memoratur pietate inſignis *Mathildis Recluſa*, cujus inſtitutum & aliæ poſtmodum ſecutæ ſunt. Inter Monachos plures commendandi, qui Codices in Bibliotheca noſtra adhuc exſtantes magna diligentia deſcripſerunt; ac præcipue duo illi, qui Diplomata, aliasque Chartas in unum Chartularium tanta accuratione digeſſerunt, ut collatione facta cum Authographis ad amuſſim concordent. Vixit denique Rhenaugiæ circa medietatem hujus ſæculi *Rudolphus* Monachus & Presbyter doctus, Turegi nobili genere natus, qui opus magnum & ſpiſſum ab ipſomet compoſitum, ac pulcro charactere exaratum reliquit, quo ex Sanctis Patribus Pſalterium Davidicum, cum nonnullis Canticis interpretatus eſt; cui alii poſteriores interpretes facile alia ſuperaddere poterant, luculento teſtimonio, pluribus aliis adminiculis ſuffulto, Monachos doctos Rhenaugiæ non defuiſſe. Verum Authoris noſtri præclaras dotes manus coætanea poſt ejus mortem verſibus iſtis inſcripſit (l).

> Codicis eſt hujus Rudolfus Presbyter au-
> Divini cultus bonus atque fidelis adau- } ctor.
> Turegi natus generoſo ſanguine pri-
> Omnia quinquennia tetra tetrenia vixit ibi- } dem.
> Poſt, opibus, patria, notis ſpretis & ami-
> Et Monachus factus ad Clauſtra Dei Genitri- } cis.

(l) Edidere hos Verſus in Itinerariis ſuis litterariis eruditiſſimi Ordinis noſtri Abbates Calmetus & Gerbertus.

Quæ propriis rebus, summoque labore para-
vit.
Usibus Ecclesiæ pietate sua commoda-
Scilicet has Glossas stili fulgore niten-
tes.
Ysidorum, Rabanum, Pateriumque (m) decen-
Et geminos Calices, quorum prior aureus ex-
stat.
Alter ab argento spectacula lucida præ-
Hocque sibi Fratres pactum super his tribueb-
ant.
Hæc ut ab Ecclesia nulla ratione reced-
Id sperans lucri sibi pro meritis numera-
ri.
Post obitum sacra Fratrum prece posse juva-
Vos ergo Fratres mutuæ date jus pieta-
tis.
Solvite commissum, precibusque juvate bea-

SÆCULUM
MONASTERII RHENAUGIENSIS
QUARTUM.

Ad initium hujus Sæculi præsidente *Gerungo* Abbate, adversa simul ac prospera Monasterio nostro evenere. Adversa quidem per dissidia Sacerdotium inter & Imperium exorta; prospera autem, per Hirsaugiensem Monasticæ Disciplinæ restaurationem, quæ & Rhenaugiæ novum addidit incrementum. Cum igitur inter utrumque Regem, Henricum, inquam, & Rudolphum, æquali fere marte certatum esset, isto in Saxoniam reverso, Henricus repente recollectis viribus, Alemanniam præda, ferro, & igne circa festum omnium Sanctorum vastavit, terram videlicet catholicorum Ducum Bertoldi atque Welfonis & aliorum S. Petri Fidelium penitus dissipare aggressus. Tunc quoque, ut prosequitur Bertoldus Presbyter Constantiensis (a), parum minus quam centum Ecclesiæ in illa expeditione violatæ sunt. Has inter Monasterium nostrum fuit; nam, ut in quadam Charta *Henricus V.* palam profitetur, cum propter dissensionem, tempore Patris sui exortam, multa *inordinata*, & *injusta* pene ubique fierent, de Monasterio quoque *Renaugia* nomine, tempore *Gerungi* Abbatis Beneficia

(m) Paterii Opus in S. Scripturam habetur in Codice Msc. Sæculi XI. Einsidl. impressum inter Opera S. Gregorii M. Tom. VI.

(a) Continuator Chronici Hermanni hoc anno Editionis Urstisii pag. 349.

neficia plurima diſtracta & ablata ſunt; eo quod Advocatus, nempe *Udalricus Comes de Lenzburg* intruſus, terminos ſui juris transgreſſus, ſecundos Advocatos ſubſtituiſſet, atque Placitum contra antiquam loci conſuetudinem habuiſſet. Anno ſequenti 1079. Henricus, depoſito Rudolpho, cujus uxor Adelhaidis Henrici ſoror, hoc anno extincta, ad S. Blaſium ſepulta jacet (b), Ducatum Alemanniæ contulit Friderico de Stauſen. Hic tamen totius priſtini Ducatus poſſeſſionem non eſt aſſecutus; ſed Suevia ſola retenta, Turgoviam, Herciniam, Brisgoviam, cum advocatia Turegi, cedere cogitur Bertoldo Zaringiæ Duci (c), qui unicam filiam Rudolphi Regis & Reinfeldæ Comitis, Agnetem nomine, duxerat. Occubuit porro *Rudolphus* piæ memoriæ Rex, ut loquitur Bertoldus Presbyter, in conflictu contra Henricum in Saxonia anno 1080. Idibus Octob. & ut alter Machabæus ad Dominum migraſſe non dubitatur. Ventre lancea confoſſus, manuque truncatus Merſeburgi honorifice Victor ſepultus fuit; cujus dexteram incorruptam oſtendi, teſtatur Illuſtris de Ludevic. (d) obiiſſe quoque notatur hoc anno in Necrologio Murenſi die 27. Maji *Richenza* Radebotonis Cleggoviæ quondam Comitis filia, uxor Udalrici de Lenzburg; cujus intuitu hic ipſus Udalricus Advocatiæ Rhenaugienſi inhiabat.

Eodem anno Burchardus Comes de Nellenburg, filius Eberhardi, Monaſterium ſuum Schaffhuſianum Venerabili Wilhelmo Abbati Hirſaugienſi, in diſciplina Monaſtica inſtituendum, tradidit, abdicato jure Advocatiæ, deſuperque confirmatione accepta a ſummo Pont. Gregorio VII. (e) Quo tempore, cum præſens eſſet Schaffhuſii Beatus Wilhelmus (f), credibile eſt, eum Rhenaugiam, unius horæ intervallo diſtantem, divertiſſe; quippe cum hoc Monaſterio Fraternitatis ſocietatem inierat (g), ut quoties defunctus aliquis denuntiatus fuiſſet, conſtitutæ pro eo mox fierent orationes, Vigiliæ, Miſſæ, Diſciplinæ & Eleemoſinæ. Arctiſſimum erat hujus Confœderationis vinculum; adeo equidem, ut, quotiescunque ad alterutrum Monaſterium aliquis ex confratribus declinaſſet, non alienus, ſed domeſticus haberetur. Conſtituit *S. Wilhelmus* Schaffhuſii coloniam ſuorum Monachorum, quibus præfecit *Sigeſridum* Abbatem,

(b) Chronicon breve S. Blaſii præfixum Codici Murenſi Reginonis.
(c) Tſchudius in Chron. ad annum 1081.
(d) Imaginem & manum æri inciſam refert in præfat. T. IV. Reliquiarum &c.
(e) Mabill. hoc anno.
(f) Charta ex Chronico Mſc. pag. mihi 78.
(g) Trithem. in Chron. Hirſaug. pag. 296.

tem, Virum prudentiſſimum; qui ampliato Cœnobio cum magnifica Baſilica, alterum adjecit S. Agnetis dictum, in qua *Ita* de Kirchberg, Eberhardi Comitis de Nellenburg vidua, cum Monialibus piiſſime vixit.

Inter hæc flagrabant bella in Turgovia; hinc Welphone atque Bertoldo Ducibus ex ditione S. Galli prædas agentibus: inde vero Udalrico III. Abbate S. Galli, ac poſtmodum Patriarcha Aquilejenſi, fortiter reluctante, & inter alia ditiſſimi Comitis Hartmanni (h) caſtellum Chyburg & *Hittingen* ferro & igne vaſtante (i). Verum cum Rex Henricus Romæ moraretur, ab Alemannis *Hermannus* de Luzilinburg loco Rudolfi Rex proclamatur; qui ſequenti anno 1082. Nativitatem Domini in Suevia cum Principibus Regni honorifice celebravit. Anno 1084. Legatus in Germaniam Otto Oſtienſis Epiſcopus, ſuadente Duce Welphone, *Gebhardum* hujus nominis tertium, Bertoldi Ducis de Zaringen fratrem, Monachum Hirſaugienſem, contra Ottonem ab Henrico intruſum, ſanctæ Conſtantienſi Eccleſiæ, jam dudum viduatæ, Catholicum Paſtorem conſtituit. Hac occaſione Bertoldus Conſtantienſis, qui hæc ſcribit, ſe Presbyterum ac Pœnitentiarium ordinatum fuiſſe, narrat, ſuamque hiſtoriam cum anno 1086. concludit, quam anno emortuali ſui Magiſtri Hermanni Contracti 1054. inchoaverat, prout ipſe eodem loco fatetur. Deinceps proſequutus eſt hiſtoriam *Bernoldus* Monachus S. Blaſii, qui mortem Bertoldi Conſtantienſis deſcribit ad annum 1088. ſuam vero ſcriptionem anno 1086. incipit ab Electione Utonis Kiburgenſis Abbatis S. Blaſii. Cæterum cum *Udalricus de Lenzburg*, primus ejus familiæ Pſeudo-Advocatus Rhenaugiæ obiiſſet; ejus hæredes anno 1085. Wernerum Comitem de Habſpurg avunculum ſuum armis infeſtarunt, augmentum hæreditatis ob Richenzam matrem ſuam extorquere cupientes.

Diſciplina Monaſtica interea eximium ſumpſit incrementum. Jam enim anno 1077. S. Bernardus Abbas Maſſilienſis in ſua legatione per Germaniam monuerat B. *Wilhelmum* Hirſaugiæ, ut Cluniacenſium conſuetudines adſciſceret. Quapropter Wilhelmus ſex ex Fratribus ſuis binos & binos ſucceſſive Cluniacum deſtinavit, ut ritus & mores ejus Congregationis experirentur (k). Quin imo, cum anno 1085. *Sanctus Udalricus* ex nobili Germanorum proſapia natus, ipſique a puero notus, ob negotia Cluniaco in Germaniam miſſus eſſet, & per annum

(h) Burchardus de Caſibus S. Galli apud Goldaſt. pag. 68.
(i) Tſchudius ad a. 1080. hodie Ittingen Carthuſia.
(k) S. Wilhelmus in præfatione conſuetudinum. Mabill. Tom. V. Annal. p. 220.-222.

annum ferme in Hirsaugiensi Monasterio detineretur, rogavit eum B. Wilhelmus, ut ritus Cluniacenses colligeret, ipsique descriptos mitteret. Conscripserat eas jam antea Bernardus quidam Monachus Cluniacensis; sed Udalricus eas meliori ordine digessit, fusius explanavit, & in duos libros divisit, quibus demum tertium de Officiis adjecit. Monuit porro S. Hugo Abbas Cluniacensis Wilhelmum; quatenus has consuetudines ita imponeret Fratribus suis observandas, ut tamen eas pro regionis, aliarumque circumstantiarum ratione temperaret. Unde tandem ipse B. Wilhelmus eosdem ritus duobus libris complexus est; in quorum altero continentur pleraque, quæ Udalricus in tertio libro tractaverat: prout in Codice Rhenaugiensi suppari videre est, qui librum tertium Udalrici continet, & ferme eosdem titulos præfert, quos Wilhelmus in secundo complectitur. Porro S. Udalricus obiit anno 1133. postquam Cellæ in Brisgovia præfuisset, quæ Monasterio S. Petri unita est (l).

Ab eodem divæ memoriæ Hirsaugiensi Abbate Gebhardus Constantiensis Episcopus, ut scribitur in Codice suppari de casibus Petri Domus (m), eximiis precibus impetravit, ut venerabilem Virum Theodoricum Monasterio S. Gregorii, quod dicitur Domus Petri dirigeret, quatenus eidem præesset, & Regularem vitam inibi juxta normam sui Monasterii institueret. Habebat autem idem Venerabilis Pater Theodoricus tunc temporis egregios viros valde Religiosos, optimæ formæ & doctrinæ sub cura sua, in quibus erat Meinradus pridem Abbas, *Bernardus Scholasticus & Cuno* (n). Hi omnes ex antiquis Fratribus, scilicet & Sigiherus Scholasticus, & Eppo, atque Gebehardus avus meus, ut inquit Scriptor Anonymus. Cuno, de quo mentio hic occurrit, mox factus est Abbas Rhenaugiensis. Interim Beatus Wilhelmus iterum præsens Schaffhusii anno 1087. solemnem traditionem Villæ Schaffhusianæ recepit a Comite *Burchardo*, quod liberis careret, & Ita Mater religiosam vitam esset professa (o). Idque factum Schaffhusii in præsentia Gebhardi Episcopi Constantiensis, Wilhelmi Abbatis Hirsaugiensis, Sigefridi Abbatis S. Salvatoris Schaffhusii, Theodorici Abbatis Petri Domus, Ducis Bertoldi, & *Gerungi Comitis Cleggoviæ*, qui in aliis

Chartis

(l) Ejus cultum insigniter promovit Reverendissimus Abbas Philippus Jacobus.
(m) Ex authographo pag. 60. & 62.
(n) Bernardi Scholastici obitum describit Bernoldus in Chronico ad annum 1088.
(o) Ex Charta Archivi Schaffhusiani apud Rüger Chron. Msc.

Chartis Comes Stülingæ vocatur, utroque Comitatu fortaſſe tunc nondum diviſo. Poſtmodum ſæpe laudatus Burchardus Comes Nellenburgi Advocatiam a Sigefrido Abbate ſponte delatam unacum Villa Hemmental, & monte Randio, libere Monaſterio reſignavit, in præſentia Ducum Welfi, & Henrici ejus filii, & Bertoldi Zaringenſis, *Aluici quoque Comitis de Sultz*, *Udalrici de Mammeren*, & multorum aliorum; Charta vero ſcripta fuit per Giſelbertum Monachum S. Salvatoris.

Anno eodem 1088. ex Abbate Caſſinenſi Victor Papa creatus, poſt quatuor menſes obiit; pro quo electus eſt Urbanus Secundus contra Guibertum, qui ſe Clementem tertium dicebat. Hermannus quoque Rex Catholicus viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. Anno 1089. Nobiliſſima Dux Mathildis, inquit Bernoldus (p), filia Bonifacii Marchionis, ſed vidua Godefridi Ducis Lotharingiæ, Welphoni Duci, filio Welphonis Ducis, pro Romani Pontificis obedientia, conjugio copulatur. Dominus vero Papa Urbanus decretalem Epiſtolam Venerabili Gebehardo Epiſcopo Conſtantienſi direxit, ut in tota Alemannia, Bajoaria, Saxonia, & aliis vicinis regionibus vicem ſuam gereret, ordinationes improbandas improbaret, & roborandas roboraret.

Tandem *Gerungus* Abbas noſter finem vitæ ac diuturni ſui regiminis fecit die octava Octobris, qua inſcriptus eſt in coevis Kalendariis noſtris. In tabulis vero defunctorum Monaſterii S. Galli ſcribitur die nona ejuſdem Menſis: *Kerungus Abbas de Renaugia.* Fortaſſe quod ea die ſignificatus fuerit obitus, aut quod pridie poſt veſperas obierit, quod tempus veteres Monachi ad diem ſequentem computabant. Cæterum diverſis Characteribus a diverſis nomen hujus Abbatis exprimitur; ſcribitur enim & Cherungus, Gervicus, & Beringerus.

CHUNO,

ABBAS XVII.

Circa idem tempus Gerungo ſubſtitutus eſt Rhenaugiæ Abbas a Gebhardo Epiſcopo Conſtantienſi authoritate Apoſtolica *Chuno* Monachus Petri Domus, ſed antea Hirſaugienſis; ſub quo Monaſterii Hirſaugienſis ritus Rhenaugiæ introducti fuerunt. „Quamvis id ipſum Religioſiſſimo Theodorico Abbati Petri Domus Bucelinus

(p) Omnia ex Bernoldo S. Blaſii Mſc. Murenſi, & apud Urſtiſium pag. 362.

cellentis stilo sibi familiari attribuat (q). Constantiæ magna ab Petrusio gloria sub Theodorico Abbate, ita ut resuscitato orientem versus primævo spiritus fervore, in vetustissimo Brigantii Cœnobio per Meinradum, occidentem versus S. Fintani restitutis exemplis in Monasterio Rhenaugiensi per Chunonem Præsulem e Petrusio similiter postulatum; ita ut Theodoricus utrobique mereretur alter & Majoris Augiæ & Rhenaugiæ, a Majoribus suis conditæ, Fundator, Sanctorum Udalrici utriusque consanguinei sui (fuit enim & ipse Kyburgi Comes) felicissimus in vita sua imitator. Verum certiora promamus ex vetustissimo Codice Petri Domus (r), in quo sequentia leguntur: „Erat alius quidam Presbyter *Cuno* „nomine in ipso Monasterio, quem etiam antea nominavimus, Vir inquam for„mosus valde ex prioribus Monachis, qui etiam *Rinaugiensis* Monasterii regimen „promeruit, illuc quippe in Abbatem assumptus fuerat."

Chuno itaque constitutiones Hirsaugiensium ex consuetudinibus Cluniacensibus desumptos Monasterio nostro plenius introduxit, prout ipse in Petri Domo & Hirsaugiensi Monasterio didicerat. Testatur id Trithemius (s), ubi inter Monasteria a Hirsaugiensibus reformata Rhenaugiam enumerat. Verum id multo luculentius demonstrant monumenta nostra, in quibus dictæ constitutiones exhibentur. Exstat quoque Liber Beati Udalrici de obedientiis eodem tempore descriptus, ad quem se refert Directorium Disciplinæ nostræ Rhenaugiensis ejusdem ætatis. Quæ cum conveniant cum aliis editis (t), ea alibi legenda relinquimus. Advertimus duntaxat, nunc demum apud nostros mentionem *Prioris* & *Conversorum* Laicorum occurrere, quæ nomina vix ultra sæculum XI. & Cluniacensium, Fructuariacensiumque, seu Farvensium institutas consuetudines produci poterunt. Qui Disciplinæ in Conventibus invigilabant, antehac *Præpositi ac Decani* juxta Regulam S. Benedicti vocabantur. Dabantur quoque *Fratres Illitterati*: at hi ex Benefactoribus erant, qui Monachorum vitam imitantes, in Monasteriis alebantur, sed plane distincti ab illis erant, qui servitiis duntaxat ac laboribus deputabantur. Horum statuta a Trithemio descripta (u) conveniunt cum illis, quæ hodie a Conversis nostris observantur, quos tunc

jam

(q) In Chron. Constant. ad an. 1100.
(r) Msc. cit.
(s) In Chron. Hirsaug. pag. 295.
(t) Dacherius Tom. I. Spicilegii. Marquardus Herrgott in Veter. Discip. Monast. excerpta ex Codicibus nostris inseruit, Parisiis 1726.
(u) Trithem in Chron. Hirsaug. pag. 66.

jam *Barbatos* vocabant, quod barbam radere prohiberentur; nam reliqui duodecies circiter per annum ante præcipua Festa mentum ac summum verticem sibi mutuo forfice tondebant. Invaluit hoc ævo *Conversorum* institutum magno numero ubique, quod perutiles ad opera externa haberentur; unde B. Wilhelmus eorum manibus novum Monasterium Hirsaugiæ ædificavit, quod paulo post etiam contigit Rhenaugiæ. Nomina horum, quæ sub finem undecimi & ad initium duodecimi sæculi Necrologia nostra conservarunt, sunt quatuor supra quadraginta, quibus adduntur notæ C V. N. C. id est Conversi nostræ Congregationis.

Anno nonagesimo primo supra Millesimum *Wilhelmus* piæ memoriæ Hirsaugiensis Abbas, in causa S. Petri ferventissimus, & in Monastica Religione studiosissimus, utpote multorum Pater Monasteriorum, III. Nonas Julii migravit ad Dominum. Eadem omnino die, iisdemque pene verbis, quibus obitum Beati Viri refert Bernoldus de S. Blasio, notatur etiam in antiquissimo Necrologio nostro, quamvis eundem perpetuo pridie ponat Trithemius (w), quæ forte conciliari possunt eo modo, quem supra in morte Gerungi Abbatis adhibuimus. Laudat porro idem Scriptor B. Wilhelmum ex relictis quoque præclari ingenii monumentis, quibus se Philosophum ac Mathematicum insignem ostendit; neque Litterarum studia in suis Monasteriis neglecta fuisse, constat, licet multiplicatis Divinorum officiorum laboribus tempori ad studia necessario nonnihil detractum fuisse, negari haud possit (x).

Anno Nonagesimo secundo in S. Blasio dedicata est Ecclesia S. Nicolai, cœptumque novum Monasterium; nam Dominus adeo illum locum exaltavit, ut scribit Auctor brevis Chronici ejusdem Monasterii (y), totque illuc ad conversionem venire fecit, ut necessario ampliora ædificia instituere debuerint. Qua ætate Illustria Asceteria in Ducatu Sueviæ florere cœperunt. *Zwisaltense* (z) a Cunone Comite de Wulfelingen seu Anhalm fundatum; & Bürense seu *Blaubeüren*, quod Palatinos Tubingenses Fundatores agnoscit (a); nec non *Alberspacense*,

(w) Ibidem pag. 293. & 296.
(x) Videatur Herrgott in præfatione Veteris Vitæ Monasticæ.
(y) Ex Codice Murensi & Engelbergensi.
(z) Bernoldus initia insignis hujus Monasterii ponit ad hunc annum, Sulger vero in Annal. Zwifalt. melius ad an. 1089.
(a) Trithem. in Chron. Hirsaug. pag. 268.

tense, cujus Fundatores Albertus de Zolleren, & *Alwicus de Sultz* Comites; in quae Monasteria coloniae ex Hirsaugiensi inductae fuerunt; sicut & anno 1093. in Monasterium *S. Petri*, quod Dux Bertoldus II. de Zaringen a fundamentis exstruxit, Abbas vero Sigefridus Scaffhusiensis sacris Reliquiis ditavit. Ex Monasterio S. Blasii incolas obtinuerunt *Gottwicense* in Austria Monasterium; in Suevia vero Wiblingense, & Ochsenhusanum (b), quem locum, & quae ad illum pertinent, Viri Nobiles Conradus & Adalbertus de Wolfhartswendi (c) ad S. Blasium tradiderunt, haud secus ac pridem Cella Alba a Viro Nobili Sigemaro tradita fuerat Rhenaugiae. Eodem anno Manegoldus de Lutenbach Monasterium Canonicorum Regularium apud Marbach Alsatiae construere cœpit, de quo recurret mentio anno 1242. Gebhardus vero Episcopus Constantiae magnam Synodum cum Abbatibus & Clericis innumerabilibus, & cum Ducibus Welphone & Bertoldo, & reliquis Alemanniae Principibus celebravit, ibique multa, quae corrigenda erant, correxit. Anno 1096. piae memoriae Sigefridus Abbas Schaffhusiensis obiit, cui Gerhardus natione Italus successit, post biennium tamen abdicato munere cum Christianorum exercitu authoritate Urbani Papae Jerosolymam petiit, & sepulchrum Domini, teste Bernoldo, custodiendum obtinuit, imo & postmodum Episcopus Caesariensis effectus est (d).

Verum Rhenaugiae infaustam Abbatis Chunonis sortem ex Codice de casibus Petri Domus referrre cogimur (e). „Quadam enim die contra servum ita „commotus, cum eum pessulo incaute percusisset, idem homo ex illo ictu infirmari „cœpit, & vitam finivit. Ea pro causa non solum Presbyterii honore, sed & „regiminis privatus dignitate, ipsum locum reliquit, & in provinciam, quae „vocatur Riez, abiit.“ Casus iste in collectione Canonum Ivonis describitur (f), „quem Episcopus ad summum Pontificem detulit, rescripto accepto: posse ex dispensatione in ordine suo permanere, qui casu homicidium perpetravit. Videtur plane respexisse Rhenaugiensem Abbatem, & Episcopum Gebhardum Urbano II. adeo familiarem (g), a quo & ipse Ivo ordinationem acceperat. Ast

(b) Ex Bernoldo S. Blasii, qui Ochsenhusanum vocat Monasterium S. Georgii.
(c) De hoc loco vide supra an. 934.
(d) Chronicon Schaff. Msc.
(e) Pag. 65.
(f) Can. Clerico. 1. Distinct.
(g) In editis Ivonis Collectionibus vocatur Episcopus Nethonensis Gwarnerius, cujus nomen cum in Catalogo illorum Episcoporum desideretur, viri eruditi potius Gebhardum Constantiensem legendum censent, ut Hottinger Histor. Ecclesiast. T. I. p. 561.

Chuno non expectata Papae responsione, cum per diversa loca peregrinatus esset, ubi a quibusdam Pontificio honore exceptus fuerat, tandem ad Monasterium suum pristinum, hoc est, Domum Petri, rediit, & se magisterio Venerabilis Theodorici Abbatis subdidit. Restitutus subinde juxta Papae decretalem Altaris officio, aliquando paralisi tactus, ductusque est ad Infirmariam, ubi cum gravi infirmitate detineretur, aliquantulum exinde convaluit, & tamen usque ad mortem suam mutus permansit. Haec ex praeclaro illo Imperialis Monasterii monumento (h).

WOLVENUS II.

ABBAS XVIII.

Interea Rhenaugiae ex Monacho nostrae Congregationis, id est, Monasterii nostri electus est Abbas *Wolvenus* hujus nominis secundus; qui utrum ad familiam Wolveni primi pertineat, incertum est. Sane ex stirpe Comitum de Kiburg, qui ad Guelphicam gentem referuntur, prodiit hoc aevo *Uto*, seu Otto Abbas S. Blasii, vir celeberrimus (i); qui juvenis unacum Rusteno missus fuerat ad Monasterium Fructuariense, beneficiis Agnetis Imperatricis opportune usus, reversusque severioris vitae disciplinam non solum suo, sed etiam aliis Monasteriis induxit, successorem nactus eundem Rustenum, haud inferioris meriti virum, antiquissimo libro Confoederatorum Rhenaugiensium ex veteri pacto inscriptum. Fructuariensis porro Monasterii Conditor fuit S. Wilhelmus Divionensis, S. Majoli Cluniacensis Abbatis discipulus; quapropter consuetudines Fructuarienses a Cluniacensibus parum distabant. Unde contigit (testibus actis Murensibus k) ut Fratres de Cella S. Blasii, quae antea vocabatur alba de fluvio, qui praeterfluit, mutarent suam priorem consuetudinem. Inter alia Monasteria, quae e S. Blasio eosdem ritus adoptarunt, erat etiam memoratum Murense; quod quidem a sua fundatione, per Ratebotonem Habspurgicum Comitem facta, Coloniam ab Heremitis seu ex Monasterio Einsidlensi acceperat. Verum cum sub Abbate Udalrico, ex Monasterio Disertinensi postulato, nonnihil labefactata esset illa disciplina, Wernerus Comes de Habspurg & Advocatus commendavit Monasterium, prout citata acta pergunt, in potestatem Giselberti

(h) Quod Reverendissimus D. Abbas Georgius II. gratiose lustrandum mihi concessit.
(i) Bernoldus ad a. 1093. Bucelin &c.
(k) Herrgotti Geneal. Diplom. Tom. I. ad calcem.

berti Abbatis (S. Blasii) ac Fratrum ejus, qui huc (nempe Muros) destinati fuerunt; ut & ipsi servarent, & custodirent, & tractarent locum. Mortuo Giselberto anno 1085. Beatus Luitfridus Abbas Murensis effectus est, cui Rupertus anno 1096. successit. Extat in Musaeo nostro Codex de Divinis officiis juxta ritum Farfensis Monasterii hoc ipso tempore exaratus.

Cæterum *Wolvenus* noster Catalogo fœderatorum S. Gallensi inscriptus, atque ante Ottonem Abbatem positus, sui regiminis ætatem satis luculenter demonstrat. Ante ejus electionem, sed abdicato jam Chunone, Nobilis Matrona *Friderun* cum manu filii sui Marquardi donavit Monasterio, quod dicitur *Rinaugia*, totum prædium, quod in Villa *Eggingen*, quæ sita est in pago prope Ulmam hæreditario jure hactenus habuit, cum mancipiis utriusque sexus, pratis, pascuis, agris, molendinis, cæterisque pertinentibus; conditione adjecta, ut tam ipsa Benefactrix, quam filius ejus *Marquardus*, & *Ita* filia in eodem Monasterio præbendas & mansiones secundum morem & consuetudinem cæterorum ibi manentium deinceps habeant. Plures enim Mansionarii adhærebant Monasterio, quorum occasione & fœminarum Cœnobium excreverat. Nihilominus inter Benefactores numeranda Friderun, quæ id fecit pro remedio animæ suæ, ac dilecti mariti sui Marquardi, jam pridem defuncti. Exstat hodieque Villa *Ekingen* inter Ulmam & Echingen Sueviæ sita; Friderun vero Necrologiis nostris inserta ad diem 24. Januarii, & filia Ita ad 7. Februarii, cum Marquardus filius factus Monachus obiisse notetur die 17. Julii. Data est Charta regnante Domino IIII. Heinrico Rege, in pago Hegowe, apud *Ramisheim*, id est, Ramsen, in Comitatu Udalrici Comitis de Ramesberch, ipso præsente, & *Gerungo* Comite de *Stuolingen*, qui procul dubio etiam subscripserat Chartæ Schaffhusianæ de anno 1087. Cæterum Abbas nullus exprimitur, sed dicitur duntaxat, a Monasterii Rectoribus & Fratribus possessionem esse capiendam; unde colligitur, eam donationem factam fuisse Chunone jam digresso, sed Wolveno nondum electo.

Monasterium *Schaffhusianum*, pastore destitutum, magna interim calamitas subsequuta est (l). Advocatus enim ipsius loci Comes Adalbertus (m) Munitionem

(l) Bernoldus apud Urstis. ad an. 1098. pag. 376.

(m) In margine apud Urstisium dicitur Comes de Nellenburg, alii vocant de Mersburg, Chronicon Schaff. melius de Kiburg; nam Comites de Nellenburg advocatiam deposuerant, & sequentia Kiburgensem ostendunt.

nem quandam ibi prope firmavit (n) & bona Abbatiæ sibi sacrilege vindicavit. Quapropter Monachi cum Crucibus & Reliquiis & Litaniis suppliciter ad eandem Munitionem processerunt, sed a militibus Comitis partim occisi, partim vulnerati, sed omnes male tractati domum redire & repedare compulsi sunt, quippe Crucibus & Reliquiis particulatim disruptis, & per campum miserabiliter dissipatis. Tandem post pericula multa Abbas ordinatus est Adalbertus anno 1099. a venerabili Gebhardo Constantiensi Episcopo, & Sedis Apostolicæ Legato in Nativitate S. Joannis Baptistæ. Ita Bernoldus sæpe dictus, Monachus quidem S. Blasii, sed qui ultimos vitæ annos in eodem Monasterio Schaffhusiano peregit, ibique mortuus in peristilis ad ingressum Chori ad latus Adalberti Abbatis sepultus fuerat. Modo constructa alia janua hoc monumentum cum multis aliis obliteratum est. Finiit porro Bernoldus anno 1100. historiam suam, quam prosequutus est post Hermannum Contractum, & Bertoldum Constantiensem. Adalbertus vero Comes, persecutor Schaffhusiani Monasterii, tandem pœnitentia ductus in eodem loco Monachum induit, atque rem Ecclesiasticam cum uberrimis Decimis in *Ilnau*, prope Castrum Kiburgense, legavit anno 1120. quæ donatio agente Meginrado Comite de Sponheim, genero Adalberti Comitis anno 1127. a Lothario Rege confirmata fuit (o).

Nec minores turbæ in Monasterio nostro Rhenaugiensi exortæ sunt, quando *Arnoldus Comes de Lenzburg* titulo Advocatiæ ab Henrico IV. permissæ Rhenaugiam diverare pergebat, ubi similem Munitionem ad pernitiem Monasterii exstructam fuisse proxime videbimus. Anno 1101. ad locum Büren, seu Blaubeuren post Azelinum missus est Abbas de conventu Hirsaugiensi Monachus nomine *Otto*, ad regimen animarum satis idoneus, ut testatur Trithemius (p) & conversatione præcipuus, & Divinarum Scripturarum non ignarus, consilio promptus & cautus, in spiritualium conversatione solicitus, & in administratione temporalium rerum singulari providentia circumspectus. Has dotes præclaras mox Rhenaugiæ conspicuas Otto fecit, ut infra patebit. Anno 1103. Gebhardus Episcopus sede sua expellitur, intruso Arnolfo S. Galli Monacho fratre Henrici Comitis de Monte Sancto, agente Udalrico Abbate S. Galli, causam vero

(n) *Munitio ibi prope sita* alia esse non potest, quam Castellum quod hodie sub nomine *Munoth* Schaffhusii conspicitur.

(o) Rüger in Chronico Schaffhus. pag. 122. - 124. ex Chartis Monasterii omnium Sanctorum.

(p) In Chron. Hirsaug. pag. 268.

vero Gebhardi egregie defendente Theodorico ad Petri Domum Præsule (q). Tot malis ingravescentibus *Wolvenus* noster fatigatus resignatione potius quam morte vacuam videtur reliquisse Abbatiam Rhenaugiensem, cum in Necrologio nostro pervetusto sola Monachi nota ad diem sextam Maii afficiatur.

OTTO,

ABBAS XIX.

Anno 1105. Henricus filius Henrici Imperatoris, authore Dodechino (r) quadam nocte de exercitu ejus aufugit, & Sueviam petens a Legato Romani Pontificis Gebhardo Constantiensi Episcopo de excommunicatione absolvitur; ubi Ecclesiasticas res sacras pro tempore ordinavit, & Pastores egregios, dictante Gebhardo, Ecclesiis præfecit; inter quos, ut ipse Henricus in Diplomate postea dato legitur, *Otto* Abbas ipsum locum Rhenaugiensem ex ejus concessione legitime obtinuit. Erat enim *Otto* Beati Wilhelmi discipulus pro sua prudentia tanti habitus, prosequente telam historiæ Trithemio (s), ut non solum Abbas unius Monasterii esset jam memorati in Büren, sed etiam administrator fieret alterius Cœnobii, quod *Rinawe* dicitur, qui Venerabilis Pater utrumque Monasterium, in utroque videlicet statu provide & utiliter satis disponendo gubernavit.

Indigebat sane Rhenaugia prudenti Rectore, qui Monasterio undequaque afflicto suppetias ferret, quod egregie præstitit *Otto*. Etenim exauctorato Henrico IV. Kalendis Jan. in concilio Moguntiæ celebrato, præsente Gebhardo Constantiensi Episcopo (t), ac deinde eodem Henrico die septima Augusti mortuo, cum filius ejus *Henricus V.* destructa Rubiaca Alsatiæ oppido, Regnum paternum in pace possideret, Præceptum ab eo obtinuit Abbas noster ad Comitem *de Lenzburg* directum, qui advocatiam involaverat, quo jubebatur, ut quæ per subreptionem temporibus Patris ejus utilitati Monasterii contraria facta sunt, corrigantur, legitima jura præstentur, & quidquid bellorum occasione de Monasterio, *Rhenaugia* nomine, beneficiorum distractum & ablatum fuit, Ottoni & Fratri-

(q) Mabill. Annal. Tom. V. pag. 464.
(r) In Appendice ad Marianum Scotum editio. Pistorii pag. 465.
(s) In Chron. pag. 268.
(t) Dodechinus loc. cit. pag. 466.

Fratribus restituatur. Verum cum reparandis damnis insistente Abbate quidam *Suelhart* Lenzburgi Comitis Ministerialis prædium in Hofstetten, in beneficium ab eo acceptum, restituere renueret; per iteratam querimoniam Otto a Rege alterum mandatum ad præfatum Comitem impetravit, quo jubebatur per fidelitatem jugiter Patri olim Henrico, Ipsique exhibitam, ut dictum prædium ad servitium Fratrum de *Rinowa* redire curaret. Mortuus est porro *Arnolfus* Comes de Lenzburg, nepos Udalrici Divitis & Richenzæ de Habspurg anno 1110. (u) cujus hæreditas ad ipsius filios Rudolfum & Arnolfum devolutum est, quorum ille Tugii, iste Badenæ jura dabat. Post cujus mortem Otto Abbas alium Advocatum Virum non minus probum ac Nobilem *Liutholdum de Weissenburg* Cleggoviæ Dynastam elegit, sub cujus defensione Monasterium haud modicis incrementis invaluit. Castrum Weissenburg, anno 1023. a S. Henrico Imperatore Rhenaugiæ donatum, beneficii aut advocatiæ titulo tenebat. Eodem anno obiit *Gebhardus III.* Constantiensis Episcopus, filius pariter ac frater Bertoldi primi atque secundi Ducum de Zaringen, Ecclesiasticæ Immunitatis defensor acerrimus; cui Henricus V. substituit *Udalricum de Kiburg* & Dillingen, conditorem postea illustris Canoniæ Creuzlinganæ, in eodem loco, ubi olim S. Conradus Episcopus hospitale fundaverat, ut liquet ex Diplomate Henrici V. Imp. de anno 1125.

Non semper sibi constans fuit memoratus Henricus; nam anno 1111. cum Romam comitante. valido exercitu esset ingressus, investituras a Pascale II. repetiit, atque a capto Pontifice unacum corona Imperii extorsit, eapropter anno sequenti in concilio Romano anathemate percussus (x). Unde postmodum novæ turbæ in Imperio exortæ, non sine damno Monasterii nostri; quibus tamen egregie restitit Abbas Otto. Legitur is anno 1113. præsens fuisse inaugurationi Monasterii S. Petri in Nigra Silva, quod II. Kal. Octobris dedicatum fuit a Witone Curiensi Episcopo præsente & annuente Udalrico Constantiensi electo (y), unacum septem Abbatibus Eppone ejusdem Monasterii Prælato, Brunone Hirsaugiensi, Rusteino de S. Blasio, Adalberto Schaffhusiense, Dietergo de S. Georgio, *Ottone Rinaugiense*, & Egenone Augustense. Vocatur in præsenti Instrumento

(u) Tschudius in Chron. substituit alium Udalricum, nos sequimur certiora Herrgotti monumenta Part. I. Geneal. Dipl. pag. 51.

(x) Sigebertus Gemblacensis apud Pistorium pag. 614.

(y) Ex Rotulo Authographo Monasterii S. Petri, Schœpflin. Histor. Zaringo - Baden. Tom. V. pag. 48.

mento Otto Rinaugienfis tantum Abbas, omiffa Büra, ab antiquiori nempe Cœnobio; aut verius, quod Bürenfem Abbatiam jam refignaffet. Fundata hæc fuerat ante octodecim annos, eamque Otto fecundus Abbas ab anno 1101. rexerat: verum Rhenaugiam præferens, & huic foli ampliandæ intentus, priorem illam dimifit, cui non morte Prædeceſſoris, ut exiftimat Brufchius (z), fed refignatione vacanti præfectus eft tertius Abbas Rudigerus. Hodie dictum Monafterium fub nomine *Blaubeuren*, haud procul Ulma diftans, a Proteftantibus occupatur.

Inter hæc Otto Abbas Rhenaugiæ magnificam a fundamentis Monafterii Bafilicam exftruxerat, cujus idea fupereft, cum ad initium hujus fæculi anno 1705. demolita fuerit. Ex Altaris fummi utroque latere duæ exftabant capellæ femirotunda teftudine prominentes, quemadmodum & ipfum Altare medium, fed majori fpacio elevatum. Chorus claudebatur aliis fornicibus, qui tres pariter aras tegebant, ex utroque latere patente ad Chorum aditu. Altaria ipfa confecrata erant honoribus Beatiffimæ Virginis Deiparæ, S. Petri Apoftoli, S. P. Benedicti, S. Crucis, S. Michaelis Archangeli, & S. Mauritii Martyris. Navis Ecclefiæ columnis magnis hinc & inde diftincta, quibus plures deinceps aræ, ut S. Nicolai, & fanctarum Virginum, præfixæ fuerunt. S. Fintano fpeciale facellum ex latere feptentrionali adjunctum erat, ubi nempe olim inclufus devixerat. Ad hujus igitur Bafilicæ confecrationem invitatus Udalricus Epifcopus Conftantienfis, cum ipfe confecratus non effet, denegata hactenus a Pontifice confirmatione, eoquod Inveftituram a Rege per annulum & baculum acceptaffet, imploratus eft ad illud officium peragendum Rudolfus Epifcopus Bafileenfis, qui XVII. Kal. Decembris anno 1114. Monafterium dedicavit in honore, ut Inftrumentum fonat, fanctiffimæ Dei Genitricis Mariæ perpetuæ Virginis, & S. Petri Principis Apoftolorum, Alexandri Papæ & Martyris, Mauritii Martyris, & Fintani Confefforis. Peracta eft igitur confecratio magna cum folemnitate ipfo die Natalitio S. Fintani; quapropter ejus officium deinceps in diem fequentem translatum fuit, loco immobili dedicationi relicto. S. Alexandri Pontificis, veteris Patroni, Reliquiæ a Wolveno Reftauratore de Roma, ut dicitur in vita S. Fintani, Rhenaugiam translatæ creduntur, cujus corpus atque S. Hypoliti in locum Alfatiæ, qui ab hoc Sancto nomen habet, anno 756. a Fulrado Abbate S. Dionyfii collocatum fertur. (a)

 Infigni

(z) Monaft. German. pag. 19.

(a) Joan. Georg. Eckardt Franc. orient. T. I. p. 557. ex Mabill. Annal. T. IV.

Insigni opere feliciter completo, plures Monasterii Benefactores nactus est Otto Abbas, prout Chartæ hujus ætatis demonstrant. Etenim circa annum 1115. Vir Nobilis *Bertoldus de Flacho* cum manibus Fratrum suorum Rudolphi & Luitholdi, tradidit ad Monasterium Dei Genitricis in *Rinowa* omnem hæreditatem suam, quam habuit in *Ostrolvingin* (Osterfingen) pagi Cleggoviensis, in jus & proprietatem *Abbatis Ottonis* & Monachorum, & in perpetuum eorum successoribus sub conditione, ut deinceps mansionem suam sicut quilibet Monachus ibi habeat. Eodem proposito *Landfridus de Gisingen* in ipso Monasterio Domino *Ottone* Abbate præsente tradidit hæreditatem suam, quam habuit in *Bodilshusin* (Bolzhausen) & situm est hoc oppidum in pago, quod *Bara* dicitur, juxta Danubium ad Monasterium, quod *Rinova* vocatur. Reperitur posterioribus sæculis prædium istud nomine feudi quibusdam Nobilibus Vasallis concessum. Alius pariter Vir Nobilis *Arnoldus de Guotmuodingen* simile prædium in eodem loco Bolzhausen Rhenaugiæ donavit, additis pluribus aliis in *Willaco* (Bülach) pagi Zurigoviensis oppido, quibus adhuc fruitur Monasterium, pacto adjecto, ut post obitum ejus in anniversario suo Fratribus servitium detur; eapropter cum supra memoratis Benefactoribus antiquis nostris Necrologiis adscriptus.

Circa idem tempus Otto denuo restauravit fœdus Fraternitatis cum Monasterio *S. Galli*, interruptum per diutissimum regimen Udalrici Abbatis & Patriarchæ Aquilejensis, qui jugiter partibus Henrici IV. adhærebat, cum ab eo Marquardus ejus Pater, & Leopoldus Frater, exautorato Bertoldo de Zaringen, Ducatum Carinthiæ obtinuissent. Udalrico decedente anno 1117. (b) cum Henricus V. Imperator quendam pariter Henricum de Tuello vocatum Abbatiæ Sangallensi præficere conaretur, Conradus Dux Zaringensis filius Bertoldi sua protectione prævalere fecit, electionem Mangoldi (c) *de Manbüren* seu Mammeren, quæ Dynastia nunc pertinet ad Rhenaugiam. Transmisit Otto Sangallensibus inscribendum Libro fœderatorum nomen Prædecessoris sui *Wolveni II.* cum nominibus Monachorum, Conversorum quoque, & Monialium, quæ mirifice conveniunt cum Necrologiis nostris, uniceque dolendum, quod Catalogus iste Sangallensis successivis temporibus scriptus cum Successore Ottonis Diethmaro exspiret. Conversorum numerus ferme superat reliquos Monachos, quorum opera procul dubio Otto usus est ad exemplum B. Wilhelmi ad novæ Basilicæ exstructionem.

Anno

(b) Vadianus apud Goldast. Herrgott in notis. Item Stumpfius in vita Henrici IV. p. 85.
(c) Tschudius in Chronico Helvetico.

Anno 1120. Udalricus Episcopus Constantiensis, qui a Pontifice Gelasio, Paschalis Successore confirmatus fuerat, obtinuit apud Calixtum II. ut *S. Conradus* Prædecessor ejus, olim Monasterii nostri Conservator, Sanctorum fastis adscriberetur; cujus rei gestæ tenorem, unacum vitæ compendio, per memoratum Udalricum conscripto exhibet Manulius (d). Hujus Sancti festum statim Kalendariis nostris insertum, Ecclesia vero ad initium sequentis sæculi ipsius honoribus consecrata est.

Eodem anno frustra pace tentata Henricus V. denuo a Calixto II. separatur a cœtu Fidelium (e). Reconciliatur tamen Erlongo Episcopo Herbipolensi, cui iratus anno 1116. Ducatum Franconiæ ademerat, Conrado Alemanno collatum, ut testatur Chronicon Urspergense. Hujus Episcopi consiliis Henricus inter alios *Ottonem Abbatem* nostrum multis malis affecit, erga Monachos quoque Rhenaugienses, illorumque Ecclesiam fecit, ut verbis ipsius Henrici utar, quod nec Deo nec bonis hominibus placere poterat, dempta administratione libera temporalium, permissaque Advocatia Comitibus de Lenzburg, quidquid contra niteretur Abbas cum legitimo Advocato de Weissenburg.

Nihilominus agentibus Imperii Proceribus tandem pax firma inter Sacerdotium & Imperium coaluit, Concilio primum Romæ, deinde Comitiis Wormatiæ celebratis die 23. Octobris anno 1122. (f) Ubi Imperator Investituris per annulum & baculum renuntians, retinuit jus Regalia per sceptrum impertiendi. Unde Henricus Ecclesiis juxta promissa satisfacere cupiens, Epistolam plenam benevolentiæ sequentis tenoris Rhenaugiam destinavit. „*Henricus* Dei „gratia Romanorum Imperator Augustus, Renaugiensi Abbati, totique ejus „Congregationi salutem, & gratiæ suæ plenitudinem. Nos, qui Ecclesiarum „defensores esse debemus, crebra petitione Episcopi E. (g) devicti, erga vos, „vestramque Ecclesiam fecimus, quod nec Deo, nec bonis hominibus placere „scimus. Sed quia humanum est peccare, diabolicum vero perseverare, fatentes peccasse, indulgentiam petimus nobis, præfatique Præsulis animæ; & ea „ratione concedimus atque jubemus, vos pristina uti libertate." Hoc Regis mandato remotis ab Advocatia Comitibus de Lenzburg, *Luitoldus de Weissenburg* resti-

(d) Aliam vitam S. Conradi scripsit Anonymus Weingartensis ad calcem Historiæ Guelficæ.
(e) Robertus de Monte in Appendice ad Sigebertum apud Pistorium pag. 618.
(f) Albertus Stadensis hoc anno. Citatus Robertus pag. 619. refert ad annum sequentem.
(g) Erlongus Herbipolensis.

restitutus Monasterii Advocatus, concambium cum Ottone Abbate celebravit, cui prædium in *Wizwila* cum omnibus pertinentiis tradidit, & vicissim accepit, quidquid Monasterium in Alpigove, in loco *Burgilun* (Bürglen) & in pago Hegove in Villa *Morinshusin* (Merishausen) possedit.

Anno 1124. Insignis Benefactor *Bernardus de Griesheim* tradidit Monasterio Rinova quidquid hæreditario jure habuit in Villa *Griesheim*, cum Ecclesiastica donatione, & ejus legitima Advocatia; nec non prædia quædam in *Riuti* pagi Cleggoviensis, & in Villa *Spreitinbach* Zurigoviensis pagi. Facta est hæc donatio in præfato Monasterio coram multitudine populi & *Liuthone* ejusdem Monasterii Advocato, & Notkero fratre ejus de Wizinburg, & Gerungo, & ejus fratre Liutholdo de Stuolingen. Factus est deinde Monachus Rhenaugiæ Bernardus de Griesheim, antiquis nostris Necrologiis ad diem 13. Maji adscriptus. Legitur in iisdem ad diem 26. Novembris: *Otto Abbas nostræ Congregationis*, cujus obitus eodem anno 1124. contigit, postquam per viginti ferme annos Monasterium nostrum præclare rexisset, atque tam in disciplina Regulari, quam in rebus Domesticis plurimum profuisset.

DIETHMARUS,

ABBAS XX.

Post obitum Ottonis non impar meritis suffectus est *Diethmarus Abbas*, qui Rhenaugiæ Insulam contra sævientes fluctus sustineret. Obiit sequenti anno 1125. die 23. Maji Henricus IV. Imperator, sed hujus nominis quintus Rex, pro quo (ut ait Dodechinus h) Lotharius Dux Saxoniæ III. Kal. Septembris Moguntiæ constituitur, & Kalendis Septembris Aquisgrani coronatur a Friderico Coloniensi Archiepiscopo. Ast Diethmarus Abbas novas præsentiens turbas, quas moturi erant Proceres in Imperio adhærentes Conrado, Henrici Imperatoris ex sorore Agnete nepoti, filio Friderici Monoculi Alemanniæ Ducis, neoelectum Regem *Lotharium* imploravit, quatenus præcepta & conscriptiones ab antecessoribus suis pro Monasterio, quod *Rhenaugia* nuncupatur, editas sua confirmatione corroborare dignaretur; quod & fecit, *sanctum locum* cum omnibus extrinsecus & intrinsecus sibi cohærentibus sub Imperiali tuitionis immunitate suscipiens, ut ab omni alienæ inquisitionis seu exactionis molestia securus per-

(h) Apud Pistorium pag. 470.

permaneat. Exprimit singulariter privilegium libere eligendi Abbatem secundum Regulam S. Benedicti, & Advocatum, qui nullum sibi substituat, sed ita se gerat, ut si Abbati displicuerit, loco cedat, & alius, qui melior ei visus fuerit, succedat. Abbas quoque Ipse nulli extra familiam Ecclesiæ aliquod beneficium præstet. Denique donationem *Bernardi de Griesſheim* nuperius factam conceptis verbis repetit, atque confirmat. Subscribitur Diplomati Embrico Archidiaconus & Præpositus Erfordiensis, postea ab anno 1128. Episcopus Herbipoli, ad vicem Archicancellarii Adalberti Moguntinensis Archiepiscopi, qui præcipuus in electione Lotharii auctor fuerat. Datum III. Nonas Novembris anno 1125. Regni ejusdem Serenissimi Regis Lotharii primo, Wormatiæ, quam urbem, alias ipsius Familiæ propriam, deinceps Imperialem fore & liberam constituit.

Eadem tempestate insignis Benefactor *Liutholdus de Weissenburg* Monasterii Advocatus, morti proximus, bona sua Monasterio legavit. Etenim legitimo hærede cassatus, ut inquit, Deum hæredem possessionum suarum constituens, tradidit ad Monasterium Dei Genitricis, in loco *Rinowa*, quidquid hæreditario jure possedit in pago Cleggowe, in locis his nominibus: videlicet *Arzingin*, *Wizinburg*, *Wizwilo*, *Ruodelingin*, *& Buochberch*, cum omnibus ad ea pertinentibus, scilicet hominibus utriusque sexus *Militaribus & Rusticanis* (i) vineis & pomariis, silvis, venationibus, molendinis, piscationibus &c. Equidem ex hac donatione Jurisdictio directa hodieque in Vicis Ruedlingen & Buchberg spectat ad Monasterium, cum censibus annuis. Hoc anno obiit *Rustenus* Abbas S. Blasii, pro veteri fœdere Necrologiis nostris insertus XII. Kal. Octobris. Sequenti vero anno 1126. cum structura novæ Ecclesiæ in *Martelen* Rhenaugiæ subjectæ, quam Filialem vocant, ad finem perducta esset, eam Diethmarus Abbas die 16. Maji ab Episcopo Constantiensi Udalrico de Kiburg consecrari petiit, & impetravit, ad honorem SS. Galli & Antonini, cujus dedicationis memoria in Monasterio nostro quotannis celebrabatur.

Imminebat interea gravis procella Monasterio Rhenaugiensi a Rudolfo Comite de Lenzburg, qui sicut Monasterio Einsidlensi cum Suitensibus adversabatur, ita post mortem Liutholdi de Weissenburg Advocatiam Rhenaugiæ, toties majoribus suis ereptam, denuo usurpare tentabat. Quapropter Abbas Diethmarus summi quoque Pontificis protectionem implorans ab *Honorio II.* eodem anno

(i) Quibus significatur jus armorum, das Mannschafft Recht.

anno 1126. confirmationem jurium & immunitatum Monasterii impetravit. Data enim Bulla *in perpetuum* non solum Diethmaro sed & omnibus ejus successoribus, corroboravit Rhenaugiæ, quæcunque legitimis Fidelium donationibus hactenus acquisivit, ac in posterum acquisitura foret. Vetat quoque sub Divini interminatione Judicis, ne ullus hominum idem Monasterium perturbare, ejus possessiones minuere, aut in beneficium dare audeat; subjuncta facultate eligendi Abbatem & Advocatum. Data Bulla Lateranis VI. Kal. Martii anno memorato.

At vero *Rudolfus Comes de Lenzburg* non solum Comitatum Cleggoviæ obtentu Advocatiæ Rhenaugiensis involaverat (k), sed etiam constructo *Castro* in loco Rhenaugiæ totam Peninsulam cum transitu Rheni munire cœpit. Nomine vero *Castri* non solum turrim cum Castello in aditu Peninsulæ, sed etiam oppidum ipsum intelligi, ex sequentibus perspicue liquet (l). Includebatur itaque Monasterium undique, atque proventus ex utraque parte intercipiebantur. His in angustiis Diethmarus Abbas *Lotharium* Regem adiit, ab eoque mandatum obtinuit, quo vetabatur Comes, ne Monasterium ultra infestaret, aut Fratribus annonam detineret. At non segnior Rudolfus Regem perversis suggestionibus, falsisque allegatis, animo a Diethmaro avertit, quo ne audito quidem, Rex præcipiendo Abbati succensuit, quod aliter, quam res haberet, causam suam illi proposuisset, atque contrario edito præcepto Comiti titulo Advocatiæ Monasterium, Rhenaugiam vero muniendam, obtentu tuendæ Regis causæ permisit. Quæ omnia cum sequentibus in Litteris & Chartis ultro citroque datis referuntur (m).

Accidit eodem tempore ut *Gregorius* Presbyter Cardinalis ab Honorio in Germaniam pro sedandis motibus, ac fovenda Lotharii electione (quam contra Sueviæ Duces Pontifex tuebatur) haud procul Rhenaugia pertransiret; quem Diethmarus occupans, sub multorum testimonio, libertatem Ecclesiæ in electione Advocati, & ipsius loci Jurisdictione demonstravit. Quapropter idem Cardinalis, litteris ad Regem datis, humiliter supplicando suggessit, ut quod prius juste contra Comitem mandaverat, mutare non velit, quatenus eorundem Fratrum, qui Religiosi sunt, ut inquit, & Deum timent, orationes merito habere

(k) Latius de Migrat. Gent. ad an. 1120. pag. 521.
(l) Du Cang. Beatus Rhena. Rer. German. Lib. III. pag. 251.
(m) Quasdam edidit Herrgottus Geneal. Diplom. Tom. II. Num. 200. 202. 203. 204.

bere possit. Ad ipsum vero Comitem Rudolfum aliam Epistolam idem Cardinalis scripsit, vehementer adhortans, ut ab Ecclesiæ Rheuaugiensis infestatione omnino desistat, & debitam libertatem eam habere permittat, ne contra privilegium Romanæ Ecclesiæ faciendo anathematis sententiam merito incurrat. Verum Rudolfus minas excommunicationis contemnere assuetus, ab invasione prætacta nullatenus destitit. Unde ad ipsum Pontificem *Honorium* recurrere coactus Dietlmarus, duplex pariter mandatum ab eo impetravit. In priori, quod datum est die septima Aprilis anno 1027. mandat Pontifex Udalrico Constantiensi Episcopo, ut Rudolfum Comitem de Lenzburg diligenter admoneat, quatenus ab infestatione Monasterii Rhenaugiæ desistat, & in antiqua & concessa sibi libertate dimittat; quod si parere contempserit, debitam de eo Justitiam faciat, id est excommunicationis sententiam in eum denuntiet. Ut autem Rudolfus monitis Episcopi faciliores aures præberet, *Honorius* ad eum ipsum alterum mandatum direxit, quo ipsum redarguit, quod contra Nobilium consuetudinem Monasterium Rhenaugiense multis gravaminibus infestare, atque in ejus fundo Castrum ædificare præsumpserit. Quapropter præcipit, ut a tanta præsumptione desistat, & præfatum Monasterium in antiqua, & ab ipsis Imperatoribus concessa libertate omnino dimittat. Quod si contemptor exstiterit, canonicam sententiam, quam in illum Udalricus Constantiensis Episcopus dederit, ratam se habiturum minatur.

Sed enim Udalrici obitus eodem anno interveniens impedimento fuit, ne mandatum Pontificium exequutioni mandaretur. Udalricus quoque II. de Castell Monachus S. Blasii, Udalrici I. in Episcopatu Successor, mox anno sequenti 1128. gravibus turbis implicitus erat, ut adeoque satis urgere præcepta Pontificis haud potuerit. Obsedit enim cum magno exercitu Constantiam Henricus Dux Bavariæ Frater Guelphi; quo periculo pecuniis redempto, Rudolfus Comes Brigantinus (n) infesta arma, præsertim in Monasterium Petri Domus intulit, atque Udalricus, cum destructa arce Castell prope Constantiam in Turgovia sese exosum reddidisset, post decennium ad S. Blasium reversus anno 1140. pie obiit. Itaque Lenzburgi Comes Rudolfus cœpto operi insistens, & oppidum & arcem Rhenaugiæ perfecit, frequentem deinceps Advocatorum sedem, ex qua nunquam non innumera mala illata sunt Monasterio. Perstiterunt tamen perpetuo Abba-

(n) Manlius in Chron. Const. apud Pistorium pag. 668.

Abbates nostri, ut premi quidem, at opprimi nunquam potuerint. Post tria tandem Sæcula anno 1449. agente Eberhardo II. Abbate, a Schaffhusianis, inter discordias contra Comites Sulzenses, invisa arx destructa fuit (o), cujus rudera adhucdum ad superiorem oppidi portam supersunt.

Permittendum itaque fuit *Rudolfo de Lenzburg* Advocatiæ munus, atque cum eo, interveniente Regis Lotharii auctoritate, paciscendum. Cujus transactionis fundamentum in Ludovici Germanici Diplomate de anno 858. repositum, quo Wolveni Restauratio firmatur. Additæ sequentes conditiones: Ut censales Homines Rhenaugiensis Ecclesiæ ab Abbate simul & Advocato judicentur, a nullo vero alio Comite vel Sæculari Judice regantur, neque Bannum alteri persolvant, sed nec ab Abbate cuiquam in beneficium concedantur. Quicunque autem aliqua temeritate hæc pacta violaverit, aliquod judicium alibi quærendo, justo sociorum judicio ad justitiam constringatur, allode amittendo & LX. solidos majoris monetæ præfatæ Ecclesiæ persolvendo.

Dum Rudolfus Comes oppidum Rhenaugiæ perficit, Abbas Diethmarus alteram Ecclesiam filialem in *Rüedlingen* anno 1130. absolvit, quem vicum nuper cum aliis a Liutholdo de Weissenburg dono acceperat. Dedicationem peregit Udalricus II. Episcopus Constantiensis VII. Idus Maji in honorem S. Margarethæ Virginis & Martyris, cujus memoria prædicta die in Chori nostri directoriis antiquis occurrit.

Hac tempestate nonnulli Benefactores quædam bona Monasterio nostro in Alsatia tradiderunt, quorum Donationis Chartam Tetharius Monachus Rhenaugiensis & Notarius scripsit (p). Etenim *Burchardus de Munzenhem & Uxor ejus Hazicha* S. Mariæ & Congregationi Renaugiæ dederunt, quidquid proprii habuerunt in *Rubiaca*, & agrum in *Herinheim*. Alter Benefactor *Adelhelm & Uxor ejus Renza* dederunt eidem Congregationi decem Scazza & unum Jugerum. *Sigezo & filii ejus* dederunt undecim Scazza, & duo Jugera, & duas Perticas, & Domum eidem Congregationi. Denique *Elenza* dedit tria Scazza. Scripsit & subscripsit memoratus *Tetharius*. Porro nomina, ubi sita erant bona ista præter Rubiacam seu *Rufach* exprimuntur in alio authentico instrumento, nimirum

(o) Herrgott Geneal. Dipl. Tom. II. pag. 146. in notis.

(p) De his agunt Schœpflinus in Alsatia Diplomatica, & Abbas Grandidier in Historia Episcopatus Strasburgensis.

rum *Alsthweiler*, *Sultz*, *Wulfersheim seu Pulfersheim*, & *Ifenheim*. Alios Benefactores, quorum bona aut res donatæ non exprimuntur, omittimus, quorum tamen nomina antiquis Kalendariis nostris adscripta sunt.

Anno 1136. finem vitæ ac persequutionis Monasterii fecit *Rudolfus Comes de Lenzburg*, relictis tribus filiis Udalrico, Humberto, & Rudolfo, quorum primus Udalricus non solum Fratres, sed etiam Patrueles suos omnes vita defunctos vidit, totamque Lenzburgensium hæreditatem collegit. Verum & ipse improlis consobrinæ suæ Richenzæ ac Comiti de Kiburg relinquere sua coactus est. Rudolfus ejus frater, qui in Charta S. Blasii de anno 1150. in qua agitur de Monte *Stouphen* in Alpegove, dicitur illius provinciæ Comes (q), non minus quam Pater ejus usurpator Advocatiæ Rhenaugiensis fuit. Fœderatus Suitensibus, Urariis & Subsylvanis prima semina Fœderis Helvetii posuisse visus est. Ejus Patris conditoris Castri Rhenaugiensis Arnolfus Frater quatuor pariter genuit filios cum filia *Richenza*; illi omnes improles decesserunt, ista Lenzburgicum Comitatum attulit Marito Comiti de Kiburg (r).

Anno 1137. Lotharius Imperator in Italia rebus prospere & magnifice gestis revertitur (s), & apud Castrum quoddam Bavariorum Ducis III. Kal. Decemb. vita defungitur. Sequenti anno conventu Principum apud Confluentiam facto, *Conradus* Henrici V. ex sorore Nepos, frater Friderici Ducis Alemanniæ, Rex constituitur. Huic cum se inter alios opponeret Conradus Dux Zaringiæ, Fridericus juvenis Regis nepos, Turegum obsidione cinxit, & ad officium Zaringensem reduxit. Erat Conradus de Zaringen, filius Bertoldi II. Advocatus S. Blasii a Rusteno Abbate quondam electus (t), etiam Rhenaugiæ expetitus, si Lenzburgensibus Friderici amicis prævalere potuisset. Guelphi porro Bavariæ & Saxoniæ imperantes gravissimum bellum hac ætate Conrado Regi intulerunt, in quo pessimæ illæ tesseræ *Guelphorum atque Gibellinorum* in diutissimam plurimorum perniciem ortæ fuisse traduntur (u).

(q) Apud Herrgott Tom. II. Charta 217.
(r) Idem Tom. I. pag. 50. Geneal. Diplom.
(s) Dodechinus hoc anno.
(t) Schœpfl. Histor. Zaring. Tom. I. pag. 99.
(u) Trithem. in Chronico Hirsaug.

Obiit tandem anno incerto strenuus defensor Monasterii *Diethmarus* Abbas, qui contra inimicorum Castra, solo precum munitus subsidio, invictum reddidit Monasterium. Constantiæ quoque Udalrico II. suffectus est (x) anno 1140. Hermannus de Arbona secundus Monasterii ad Scotos Fundator, quem ultimum ex Clericis seu Canonicis fuisse perhibent, qui vitam communem in Cathedrali Ecclesia percoluerant.

OTHMARUS,

ABBAS XXI.

Rhenaugiæ hoc tempore præesse cœpit *Othmarus*, cujus insignem pietatem in exornandis Sanctorum Lypsanis demonstrat *Magnum Sacrophagum*, quod haud vulgari arte ultra centum Sanctorum Reliquias continebat, ab eo fieri curatum a. 1143. Conradum Imperatorem anno 1146. Ulmæ versantem mense Julio adiit, opportuna occasione usus, supremam ejus protectionem, præsertim contra Lenzburgensium Comitum oppressiones, imploraturus; quam feliciter impetravit pro Rhenaugia simul, ac pro Monasterio Interlacensi Canonicorum Regularium secundum Regulam S. Augustini, Episcopatus Lausanensis, in Comitatu Burgundiæ, quod paulo ante fundaverat vir quidam Nobilis Seilgerus de Oberhoven sub confirmatione Conradi Ducis de Zaringen Burgundiæ præfecti. Huic Fundationi addidit pius Imperator ex propriis quoque bonis dotationem, atque Diplomati dato XII. Kal. Aug. adhibuit testes Hermannum Constantiensem Episcopum, *Othmarum Abbatem de Rinaugia* (y), Fridericum Ducem Suevorum, præter alios Comites & Nobiles. Sequenti anno 1147. prædicto Duce, Fratre suo, mortuo ejus Filio cognomini Ducatum concessit (z), ac pariter cum ipso cruce signatus Jerosolymam adiit. Præterea Welphus Dux, Henricus Dux Noricorum, & multi alii Principes & Episcopi, cum innumerabili exercitu eandem viam aggressi sunt. Venerabilis enim Pater *Bernardus* virtute verbi, miraculorum comitante gloria, totam Galliam & Germaniam peragravit, & ad expeditionem transmarinam accendit. Quo in itinere viciniam nostram lustrasse fertur, atque Basileam, Schaffhusium, Steckboren, Constantiam, Vitodurum, Ture-

(x) Mannlius pag. 668. Bucelin ad a. 1167.
(y) Charta apud Schœpflin. Histor. Zaringo-Badensi Tom. V. pag. 88.
(z) Otto de S. Blasio apud Urstis. pag. 197.

Turegumque divertisse. Verum altero mox anno Conrado Rege repatriante pristina cum Welphonibus bella recruduerunt.

Horum præcipuus eodem tempore Bavariæ Dux atque Saxoniæ, Frater Welphi, nihilominus in avitis possessionibus haud procul Rhenaugia, in loco *Ittingen* Ecclesiam S. Laurentio sacram condidit; cujus Ministeriales Truchsessi Adalbertus, Bertoldus, Udalricus, & Gelphrandus, paucis interjectis annis Cœnobium Canonicorum Regularium adstruxerunt, vitamque Regularem amplexi sunt; Adalbertus quidem Sacerdos & primus Præpositus factus; Gelphrandus vero Frater tantum conversus, fortasse ex litterarum defectu, facultatem a supra dicto Duce anno 1155. in Aste civitate Lombardiæ impetravit, ut quoscunque fundos oblatos recipere liceat (a). Cessit mox Welpho Henrici frater Advocatiam Ecclesiæ in *Itlingen* (b), ipsumque Monasterium Wernero Abbati S. Galli, qui alterum Cœnobium Monialium Ordinis S. Benedicti, haud longius duraturum adjecit (c). Jus confirmandi Præpositum Abbati S. Galli reservatum fuit, quod hactenus Carthusiani agnoscunt: Chartæ vero istius Fundationis Dominia Welphorum in his partibus luculenter demonstrant, cum eadem ex Protoparentum hæreditate derivata fuisse testantur. Pervenit Advocatia hujus Monasterii postmodum ad Comites de Kiburg, deinde ad Rudolfum I. Cæsarem, ac postremo anno 1468. ex consensu Sigismundi Archiducis Austriæ, ad Helvetios, cum ordo Carthusianorum ex quibusdam Cœnobiis in Hungaria per Turcas pulsus, locum ipsum persoluta pecunia comparasset.

Anno 1151. Conradus Rex moritur, cui sequenti anno suffectus fuit Fridericus ex fratre Nepos Dux Suevorum, natus Juditha, memorati Henrici atque Welphonis sorore. Erant enim duæ in Romano orbe, prout in gestis hujus Friderici I. Imper. loquitur Otto Frisingensis (d), apud Galliæ Germaniæque fines famosæ familiæ: una Henricorum de Gueibelinga, alia Guelforum de Altorfio, quorum diffidentiam unire cupientes, caput Regni Fridericum constituere Principes adjudicaverunt. Ei Basileam adventanti occurrit

 Udal-

(a) Charta apud Herrgottum, ubi error in notis obrepsit. Tom. II. Num. 232.

(b) Diploma in Cartusia Ittingensi ex Archivo S. Galli.

(c) Burchardus apud Goldast. Cap. 9. pag. 72.

(d) Editione Urstisii pag. 447. Cap. 11.

Udalricus de Lenzburg, a multis annis arcta amicitia junctus (e) quem proximo anno ex Conventu Constantiæ habito ad Ludovicum Galliæ Regem ablegavit (f). Tum corona Imperii Romæ accepta, cum Constantiam rediisset, V. Kal. Sept. anno 1155. amplissimo Diplomate fines vastissimæ Diœcesis, olim a Dagoberto Rege positos, unacum latifundiis confirmavit (g). Quibus accensebatur Castrum Lauffen, supra Majores cataractas Rheni positum, quod paulo ante Conradus Dux de Zaringen occupaverat, edicto tamen Cæsaris Hermanno Episcopo restitutum. Ad meliorem tandem vitam transiit Othmarus Abbas noster anno 1157. aut sequenti, die incerta, recentioribus Necrologiis nostris tempore mutatæ Religionis Sæculo decimo sexto, haud exiguo historiæ damno laceratis.

DIETHELMUS DE OTHWILARE,

ABBAS XXII.

Orbati Fratres de Rinaugia, ut perhibet vetus Manuscriptum, Abbatem sibi eligunt *Diethelmum de Othwilare*, qui bonis pollens moribus in Monasterio S. Blasii Majoris Prioris officium gerebat, & tam in exterioribus, quam etiam in spiritualibus negotiis se utilem præbuerat & aptum. Cæterum religiosa ac nobili ortus prosapia, in primæva juventute a parentibus suis ad S. Blasium ad serviendum Domino fuit adductus, & cum magna dote prædiorum oblatus. Habebat ibidem Fratrem *Mangoldum* nomine, qui postmodum senex anno 1186. Abbatiam ejusdem Monasterii est consequutus. Cum porro hæc electio a Fratribus Rhenaugiensibus facta, seu potius postulatio, majori indigeret auctoritate, imploratus Hermannus Constantiensis Episcopus suam impendit operam, atque mense Martio anno 1158. Ulmæ agente Friderico Imperatore (h) unacum Comite de Lenzburg, qui se pro Advocato Rhenaugiæ gerebat, Fratrum postulata exhibuit, atque pro illorum desiderio impetravit, ut Regali præcepto Diethelmus illis præficeretur. Itaque Episcopus Ulma Rhenaugiam digressus, ipse novum Abbatem ibidem instituit; atque in eodem loco pridie Idus Aprilis litteris publicis Monasterium Monialium

(e) Tschudius in Chronico Helvetico ad hunc annum.

(f) Otto Frisingens. loc. cit. pag. 483.

(g) Merklus in Historia Episcop. Constant. p. 148. & 150. ubi integrum Diploma exhibet.

(h) Charta apud Tschud. in Chron. hoc anno.

lium in Beraw, & Ecclesiam in Hochenschwandà S. Blasio confirmavit (i). Cæterum *Diethelmus* non solum rem domesticam, sed etiam Monasticam Disciplinam magno zelo administrasse fertur.

Eodem anno Fridericus a Mediolanensibus multis injuriis affectus, in ipsos arma convertit (k), inter alios auxiliaribus Helvetiorum copiis usus, atque *Udalrico de Lenzburg* strenuam navante operam (l). Detinuit illud bellum diutius in Italia Imperatorem, maxime postquam sequenti anno 1159. creatis in Schismate duobus summis Pontificibus, Fridericus adhæsit Victori III. Legitimo Pontifice Alexandro itidem tertio in Concilio Papiensi perperam rejecto, qui pariter Cæsarem communione Fidelium privavit (m).

At Vir Venerabilis *Diethelmus* Abbas tribus in regimine annis expletis, cum ad extremam vitæ lineam delatus esset, sacro unctionis oleo, & Dominici Corporis Sacramento se munivit, dieque sancto Palmarum, qui eo anno, nimirum 1161. quinto Idus Aprilis exstitit, hora tertia, cum jam ab omni Ecclesia Domino ad passionem tendenti cum psalmis obviam progreditur, & ipse carnis ergastulum egressus, cum palma victoriæ præmium vitæ, & immortalitatis coronam a Domino percepit. Et hæc quidem totidem pene verbis ex antiquo archivi nostri monumento relata sunt.

HENRICUS I.

ABBAS XXIII.

Post Diethelmum Abbas Rhenaugiæ electus Henricus hujus nominis primus, quo præsidente, cum Dux Welpho auxiliaribus copiis a Bertoldo de Zaringen, & Alberto de Habspurg instructus, anno 1163. arma intulisset Hugoni Palatino Tubingensi Comiti Montfortio, graviter cæsus fuit, & avitæ Welphorum possessiones in Suevia & Helvetia per accitos ex Bohemia Barbaros vastatæ fuerunt (n). Reconciliatæ tamen edicto Cæsaris partes, & Welphoni præstita satisfactio fuit.

Obiit

(i) Charta ex Archivo S. Blasii.
(k) Dodechinus hoc anno.
(l) Tschudius in Chron. pag. 83.
(m) Otto de S. Blasio Cap. 13.
(n) Chron. Weingart. apud Canis. pag. 205. Otto de S. Blasio ad a. 1164.

Obiit sequenti anno 1165. Hermannus I. Episcopus Constantiensis, in cujus locum successit Otto de Habspurg Werneri filius, qui Ecclesiam SS. Felicis & Regulæ III. Kal. Julii anno 1167. Rhenaugiæ consecravit; evidenti testimonio, Ottonem jam tunc Episcopali munere functum fuisse, quod plerique male inficiantur. Construxerat eam Ecclesiam Henricus Abbas in area Insulæ nostræ ex adverso Basilicæ Monasterii, ibique pars populi sacra audiebat; nam in Castro seu oppido superiori a Lenzburgensibus munito separata exstabat Ecclesia Parochialibus muniis destinata. Circa idem tempus aliæ duæ Ecclesiæ, quas Filiales vocant, consecratæ fuerunt, una in Altenburg ad honorem S. Jacobi Apostoli die 20. Julii, altera in memoriam Apostoli alterius in Bechinhoum seu Bencken die 8. Maii, ut monumenta nostra tradunt. Obiit porro Otto Episcopus 1169. Successorem nactus Bertoldum de Kysnach, quem alii de Busnang scribunt (o).

Anno 1172. finem familiæ, Monasterio nostro tam infestæ, extremo fato fecit *Udalricus de Lenzburg*, cujus hæres quoad bona allodialia Richenza fuit, de qua supra egimus, Hermanno Comiti de Kiburg nupta; nam Comitatum Lenzburgensem cum aliis feudis Imperialibus Fridericus Imp. ipse sibi retinuit, inter quæ Advocatia Monasterii nostri Rhenaugiensis, uti & Fabariensis, atque Beronensis numeratur (p); cujus postremæ Ecclesiæ Fundatores Lenzburgici fuerant. Destinaverat Cæsar præfecturas istas filio suo Philippo (q); Ottoni enim alteri filio Burgundiam ulteriorem cum Comitatu Lenzburgico cesserat. Advocatiam Monasterii Leconiensis Albertus Comes de Habspurg obtinuit, quam memorati Comites exercebant (r). Ita tandem cum exitu Sæculi IV. a condito Monasterio Libertati atque Imperio reddita fuit Rhenaugia; quam vel ideo Cæsar magni fecit, quod Advocatiæ Rhenaugiensi præfectura notabilis ditionis, cis & trans Rhenum positæ adhæreret. Pax quoque reddita inter Sacerdotium & Imperium, quando Fridericus, capto a Venetis filio suo Ottone anno 1177. reconciliari coactus est Alexandro III. Pont. Max.

SÆCU-

(o) Mannlius apud Pistor. pag. 668.
(p) Apud Herrgott Chart. 236. & 242.
(q) Otto de S. Blasio Cap. 21.
(r) Charta apud Herrgott 260.

SÆCULUM
MONASTERII RHENAUGIENSIS
QUINTUM.

Anno 1178. Guelphica Domus nonnullum gloriæ decrementum passa est, cum *Henricus* dictus *Leo* Imperatori insultans, & ab eo proscriptus, utrumque Ducatum Bavariæ videlicet ac Saxoniæ amisit, solo Brunswico retento. Bavaria ex illo tempore cessit Witelspachio in Schiren Comiti, Saxonia Anhaltino (a). Eodem anno Diessenhovium, ex duobus prædiis coalescens, muro cinctum, Castrumque (b) seu oppidum ab Hartmanno Kiburgi Comite, Lenzburgensium possessionibus aucto, effectum est. Conditum pariter est sub idem tempus Friburgum Burgundiæ Castrum a Duce Bertoldo IV. de Zaringen. Anno 1181. Henricus Romanorum Rex, Friderici filius, Constantiam Rogerii Regis Siciliæ filiam duxit Uxorem, ex qua natus Fridericus II. Imperator.

Eodem tempore gravis controversia mota est Henrico Abbati nostro, quod Monasterium S. Blasii jus patronatus cum decimis in Griessheim Cleggoviæ vico sibi vindicaret; non obstante donatione anno 1124. facta a Viro nobili *Bernardo de Griessheim*, qui præter alia ejusdem loci latifundia, Ecclesiasticam quoque donationem, cum ejus legitima advocatia Rhenaugiæ tradiderat, accedente solemni Lotharii Regis confirmatione. Acriter hac de causa utrinque pugnatum est, testibus, documentis, & rationibus tam coram Episcopo Constantiensi, quam Moguntino Archipræsule productis; lisque, interpositis appellationibus, in longum protracta. Anno 1183. ab Imperatore Friderico, ejusque filio Henrico celebrata sunt comitia in celeberrima Germaniæ urbe *Constantia*, ubi Mediolanum in fidem Imperii receptum. Anno proximo obiit Bertoldus ejusdem civitatis Antistes; cui Hermannus II. de Fridingen subrogatus est.

In Monasterio S. Blasii anno octogesimo sexto supra Millesimum & centesimum successit Theoperto de Busnang Abbati *Mangoldus de Othwilare* Frater germanus Diethelmi olim Abbatis nostri; qui tandem supradictæ diuturnæ controversiæ anno 1187. finem imposuit. Cum enim ob rationum pondera nemo defini-

(a) Otto de S. Blasio.
(b) Herrgott Charta 325.

definitivam sententiam pronuntiare auderet; Conrado de Witelspach Archiepiscopo Moguntino partes ad mutuam concordiam multum cohortante, conventio per Hermannum Constantiensem Episcopum effecta est, ut salvis Rhenaugiæ latifundiis in Griesheim, jus patronatus cum decimis S. Blasio cederetur, redditis nihilominus triginta marcis argenti in compensationem Monasterio Rhenaugiensi. Acta sunt hæc apud Steine testibus L. (Lutholdo) ejusdem loci Abbate, H. (Heinrico) de Schaffhusin, L. (Lutholdo) de Betmaringen, & C. (Conrado) de Crenckingen, qui & aliis litteris eodem anno reperitur adscriptus (c).

Funestus idem annus Christianæ reipublicæ fuit, quando Saladinus Jerosolymam eidem eripuit. Quapropter Fridericus in Orientem profectus, partis nonnullis victoriis in Armeniæ fluviolo submersus scribitur (d). Henricus Rex ejus nominis sextus recepta Apulia & Sicilia Ducatum Sueviæ Conrado fratri tradidit qui Guelphicas terras mortuo Welphone, in potestatem redegit, Henrico Rege proximo anno 1191, in Imperatorem coronato. Hunc, cum anno nonagesimo tertio Spiræ moraretur, convenit Abbas noster *Henricus*, suppliciter rogans, ut Cæsar Monasterium Rhenaugiæ, prout Fridericus Pater fecerat, in manibus propriis tenere, nulloque alio interposito Advocato protectionem Imperialem eidem impendere dignaretur. Charta quidem nulla hujus rei superest; tamen Abbas noster Henricus ibidem subscriptus legitur alteri Diplomati dato IIII. Idus Aprilis in favorem Hospitalis in Hagenau, in quo sequentia leguntur: Hujus rei testes sunt Conradus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, Joannes Trevirensis Sedis Archiepiscopus, *Henricus Abbas de Rinau*, Conradus Abbas de S. Walburga, Eberhardus Abbas de Neuenburg, Comes Albertus de Dachsburg, aliique (e). Haud diu supervixit his actis Abbas Henricus; cujus tamen emortualis dies & annus in monumentis nostris non reperitur.

HENRICUS II. de WARTENBACH,

ABBAS XXIV.

Henrico primo successit alter ex nobili familia de Wartenbach, cujus effigiem superstitem habemus in Lyturgia pulchro charactere sub ejus regimine scripta. Inter alias icones, auro diversisque coloribus fulgentes, una integrum folium

(c) Herrgott Charta 250.
(d) Otto de S. Blasio. Stero edit. Canisii.
(e) Schœpflin. Alsat. Diplom. Tom. I. pag. 300.

folium implens, exhibet in medio Virginem Deiparam coronatam cum Puero Jesu; ad latus unum adstat S. Fintanus cum ejus nominis inscriptione; ad alterum vero adgeniculatur ipse Abbas cum pedo pastorali librum offerens. Tonsura pro more illius ævi in summo vertice conspicua, barba non usque ad cutem rasa, veste strictiori inferius ansata, manicis tamen longioribus. Nomen Abbatis prodit versus schedæ ad Deiparam porrectæ adscriptus, qui ita legitur:

Ista tibi dona Genitrix & Virgo Patrona,
Henricum dantem serves apud omnipotentem.

Similis effigies istius Abbatis, librum Christo Domino offerentis, conspicitur in pergameno altero Codice, qui eleganti pariter manu continet integros sexdecim Libros Moralium S. Gregorii Papæ. Taceo alia Manuscripta, quæ ejusdem Abbatis in studio litterarum & cultu Divino promovendo navatam operam abunde demonstrant.

Anno 1196. Henricus Imperator mortuo fratre Conrado, Ducatum Alemanniæ alteri fratri Philippo concessit; qui in Siciliam rediens negotia per omnem Ducatum, teste Ottone de S. Blasio (f), *Diethelmo* Constantiensi Episcopo commendavit. Erat is ex Prosapia Nobilium *de Crenckingen*, Vir magni nominis, ab anno 1186. Abbas Augiæ, atque hoc ipso anno 1196. defuncto Hermanno II. Præsul Constantiæ constitutus. Tres omnino arces sub nomine *Crenckingen*, *Chrenckingen*, *aut Krenckingen*, tot enim modis idem vocabulum scribitur, numerantur (g). Prima in pago Hegoviensi prope oppidum Engen, de qua præter nomen nihil ultra memoratur. Altera in Alpegovensi pago inter Pondorfium & Gurtwilam nomine *Veteris Crenkingen* nota est, cujus rudera pauca supersunt; viculi tamen duo adcreverunt, superior & inferior, qui modo proprium Parochum nutriunt. Tertia demum in Cleggovia sub nomine *Novæ Crenckingen* occasione Advocatiæ Rhenaugiensis juxta Castrum Weissenburg exædificata fuit. Ex antiquiori Crenckingen nominatur ad annum 1119. quidam *Arnoldus* Benefactor S. Blasii. Quin imo jam tunc in Alpegovensi pago majorem amplitudinem huic Familiæ tribuunt nonnulli, narrantes, quendam istius prosapiæ Dynastam in oppido *Thiengen* circa medietatem hujus Sæculi Friderico I. Barbarossæ pertranseunti fastuose libertatis suæ prærogativam ostentasse; unde Imperator eidem privilegium Monetæ cudendæ concesserit, ut aliquo nexu hanc

 Dyna-

(f) Cap. 44.
(g) Herrgott Geneal. Diplom. Tom. I. pag. 77.

Dynastiam cum Imperio conjungeret (h). Verum cum primum anno 1262. *Henricus* de Crenckingen oppidum Thiengen cum omnibus suis pertinentiis feudi loco ab Episcopo Constantiensi obtinuerit (i); Diethelmus autem de Crenckingen anno 1413. Episcopo Domino suo Directo restituerit (k); ac denique anno 1433. *Joannes de Crenckingen* exorta controversia nullo modo demonstrare potuerit, istud feudum ab ipsis Crenckingensibus fuisse tantum *oblatum;* vacillat tota hæc narratio, nullis Chartis aut coëvis auctoribus firmata.

Occurrit quidam *Conradus de Crenckingen* in litteris publicis ad annum 1144. & 1150. (l) *Marquardus vero de Crenckingen* anno 1152. haud procul memorato oppido Thiengen fundavit Monasterium Canonicorum Regularium in Villa Tezelen (m), quod deinde in *Riederen* translatum nostro ævo unitum est celebri Creuzlingano Collegio. Ad finem hujus Sæculi & initium sequentis legitur alius *Conradus* de Crenckingen in Monumentis (n); ut adeoque hæc Familia hoc tempore inter Illustres jam sæpius comparuerit.

Anno 1197. *Henricus* Imperator, hostibus Imperii circumquaque subactis, terra marique potens, teste Ottone de S. Blasio (o) in ultimis Siciliæ finibus constitutus, immatura morte præventus est. Unde Proceres Imperii alii *Philippum* Henrici Fratrem, alii Bertoldum V. Zaringiæ Ducem, alii denique *Ottonem* Brunswicensem, Henrici Leonis quondam Bavariæ Ducis Filium Regem elegerunt. Has inter discordias *Diethelmus* Episcopus Constantiensis partes Philippi, a quo Ducatum Sueviæ regendum susceperat, egregie promovit. Sed cum pecuniis indigeret, teste Urspergensi (p), Advocatias Monasteriorum a Friderico olim detentas, magno pretio Nobilibus, & inter has *Rhenaugiensem* suis agnatis de *Crenckingen* vendidit; unde Philippus Regnum feliciter adeptus, quos prius habuit dubios *Sueviæ* Barones, ut loquitur Conradus de Fabaria (q), Principes & Comites, fidelissimos invenit & stabiles. Cessit enim Bertoldus de Zarin-

(h) Ex Malleolo Crusius in Annalibus Suevicis Lib. II. Cap. 18. & alii post ipsum.
(i) Ex litteris Reversalibus Orig. Archiv. Thieng.
(k) Ex eodem Archivo.
(l) Apud Herrgott Geneal. Diplom. Tom. II. N. 223. & 227.
(m) Petrus in Suevia Ecclesiastica pag. 715.
(n) Herrgott cit. N. 250. 260.
(o) Cap. 45. pag. 222.
(p) Editionis 1515. in Philippo.
(q) Apud Goldast. Tom. I. pag. 76. Cap. 7.

Zaringen pecunia accepta Philippo, cui deinceps cum Ottone gravi bello confliсtandum ſuperfuit. At Philippus nihilominus anno Ducenteſimo ſupra Milleſimum, expugnata Rubiaca Alſatiæ oppido, comitia Imperii celebravit Ulmæ, annoque proximo Strasburgum in poteſtatem redegit.

Igitur Nobiles de Crenckingen, obtentu emptæ Advocatiæ Rhenaugienſis, bona Monaſterii magno ejusdem damno uſurparunt, hacque occaſione in Cleggoviam late dominari cœperunt. Diviſa exinde fuit ſæpe dicta familia in duos ramos; quorum unus retenta *veteri Crenckingen* in Alpegovia remanſit, alter vero ab arce *Weiſſenburg*, quæ alias ad Rhenaugiam pertinebat, cognomen ſibi arrogavit; quamvis etiam hoc loco nova munitio condita fuerit (ut ſupra retulimus) a gentilitio nomine *Nova Crenckingen* nuncupata. Anno 1206. Diethelmus de Crenckingen Epiſcopus Conſtantienſis ad plures abiit; cui Wernerus de Staufen ſuffectus eſt. Eodem anno Abbas noſter *Henricus* inſignes Reliquias, capita nimirum SS. Patronorum & Martyrum *Blaſii* Epiſcopi Sebaſteni, & Mauritii Thebeæ Legionis Ducis argenteis thecis incluſit pro ampliore populi devotione concilianda, Sanctisque debito cultu exhibendo. Apertæ demum fuerunt illæ thecæ anno 1607. die 30. Junii præſente Abbate Udalrico noſtro, aliisque teſtibus, in quarum una reperta eſt ſcheda cum inſcriptione ſequentis tenoris: *Anno MCCVI. ſigillatum eſt hoc caput S. Blaſii Ep. & Martyris ſub Domno Heinrico Abbate de Wartinbach.*

Anno ſequenti Philippus & Otto habito conventu in Quedlinburg, duobus Cardinalibus præſentibus, teſte Alberto Stadenſi, tregvas dederunt, & arma ad tempus depoſuerunt. At vero Philippo ab alio Ottone de Witlinſpach in Bamberg proditorie occiſo, tandem *Otto ex Guelphorum* proſapia hujus nominis quartus Regnum obtinuit, & circa feſtum S. Martini curia apud Frankfurt habita Regnum turbatum pauliſper quietum reddidit. Poſt hoc apud Caſtrum Noricum (Nirenberg) colloquium habuit (r). Hæc ex Ottone Monacho S. Blaſii in continuatione Chronici alterius Ottonis Epiſcopi Friſingenſis, qui poſtea Abbas ejusdem Monaſterii creatus fuit, obiitque anno 1223. (s)

Inter hæc Henricus Abbas noſter a duobus Fratribus *Diethelmo & Conrado de Crenckingen* innumera mala ſuſtinere coactus, tandem in eodem Norimbergæ

 oppido

(r) Cap. 50. pag. 226.
(s) Silva Nigra Principis Gerbert.

oppido ad Regem Ottonem ſua gravamina detulit, ſuper eo, quod prædicti Fratres gravia damna nomine advocatiæ contra debitum, ut inquit, Monaſterio inferrent. Solebant enim, prout ad hunc annum ſe expertum teſtatur Abbas Urſpergenſis Conradus de Liechtenau, Barones plerumque eſſe prædones, quibus Otto Rex cœpit terrorem incutere, judicia ſuper eos exercere, & beneficia Ecleſiarum uſurpata auferre; unde a Pauperibus & Monachis & Clericis tanquam defenſor collaudabatur juſtitiæ. Opportune aderat tunc Norimbergæ *Eberhardus II.* Archiepiſcopus Salzburgenſis, ob ſuas incomparabiles dotes *Magnus* a multis dictus (t) pacis amator eximius; qui cum ſuffraganeo ſuo Epiſcopo Curtienſi Walthero, controverſiam inter partes ita compoſuit, ut prædicti Nobiles de Crenckingen Advocati quidem Rhenaugiæ perſiſterent, illis autem nulla alia ſervitia præſtarentur, quam quæ olim *Friderico* Imperatori, dum advocatiam eandem in manu ſua teneret, exhibita fuerunt. Si vero dicti Fratres de Crenckingen contra ſuam promiſſionem, & hanc inter eos concordiam agere præſumpſerint, per Regis auctoritatem ad debitam juſtitiam compellantur. Confirmata fuit iſta conventio ſpeciali Regis Ottonis Diplomate, dato Norimbergæ V. Idus Februarii anno 1209. cum pendente majori Majeſtatis ſigillo. Rex deinde Italiam ingreſſus, ſequenti anno 1210. coronam Imperii ab Innocentio III. Pontifice Maximo Romæ accepit.

Eodem anno Abbas *Henricus de Wartenbach* unacum Bertoldo de Waldſe Hæremitarum Abbate conſtitutus judex nomine Archiepiſcopalis Sedis Moguntinæ, in Monaſterio Turicenſi, quod vernacula Frauen-Münſter dicitur, die 20. Julii ſententiam pronunciavit ſuper lite quadam concernente Novalia, & alia quædam jura in Curte Horgen, in favorem memorati Parthenonis, addita in refractarios excommunicationis pœna, illo ævo frequentius uſitata, tum ex poſſeſſione per teſtes probata, tum tenore privilegii Ludovici Regis Germaniæ, qui dicitur illius Monaſterii primus Fundator, conſentiente Duce Generali Bertoldo de Zaringen, qui ſæpius in Chartis vocatur Advocatus & Judex, ſeu Præfectus ſuper omne Turegum (u). In Epiſcopatu Conſtantienſi Wernero de Staufen ſucceſſit Conradus II. Comes de Andechs, Dominus in Degerfeld, quique Rhenaugiæ IV. Kal. Julii ejuſdem anni Eccleſiam dedicavit erecto deſuper inſtrumento.

(t) Chronicon S. Petri, Salisburgi editum a. 1772. pag. 254.

(u) Charta edita a Jo. Henr. Hottinger inter Antiquitates Germanico-Turicenſes a. 1737. pag. 239.

mento. Hanc construxerat Henricus Abbas ad honorem Sanctorum Episcoporum *Udalrici & Conradi*, qui ex prosapia Fundatorum nostrorum oriundi, bene de Monasterio nostro meriti fuerant. Nullum hodie hujus Ecclesiæ vestigium superest, quæ extra Insulam posita ad pontem Monasterii, ingredientibus a dextris steterat.

Interea Otto Imperator terras Pontificias, nec non Friderici Siciliæ Regis ex Henrico nati, hostiliter aggressus, cum monitoriæ nihil proficerent, ab Innocentio III. summo Pontifice communi comprovincialium judicio excommunicatus, & in Germaniam redire coactus fuit. Operam enim impendit Pontifex, ut Fridericus, omnibus gratus, Rex a Proceribus Imperii eligeretur; quem Curiensis primum Episcopus, deinde Abbas S. Galli Udalricus honorifice susceptum Constantiam deduxerunt, Ottone ad Ueberlingam cum exercitu occurrente (w). Ast Fridericus collecto Optimatum auxilio, inter quos eminebant Comites de Kiburg, Habspurg, & Rapersweil, Basileam progressus, æmulum Ottonem Brisaco pepulit, & in Saxoniam redire coëgit. Itaque anno sequenti 1213. Fridericus Aquisgrani inauguratus fuit; Otto vero nulla præterea memorabili re gesta anno 1218. pœnitens tamen obiit, & in Brunschwich sepultus est (x).

Anno vigesimo supra Millesimum & ducentesimum Fridericus Italiam pro corona Imperii obtinenda petiturus, coactis Francofurti Comitiis, Filium suum Henricum Principibus pro electione in Regem Romanorum commendavit (y). Cumque Ecclesiastici ordines causarentur pressuras innumeras eorum Ecclesiis a laicis illatas, Fridericus dato amplissimo Diplomate mense Aprili eorum indemnitati prospexit (z); in quo, gratiis actis, quod contra Ottonem quondam Imperatorem ei fideliter suppetias tulerint, ipsum in culmem Imperii promovendo, promotum in ipso firmando, & nunc Filium ejus Henricum Regem & Dominum benigne ac concorditer eligendo, decernit, ut singula proposita gravamina tollantur, & perpetuo a successoribus præcaveantur. Celebre istud Diploma

(w) Conradus de Fabaria apud Goldast Tom. I. pag. 77.
(x) Joannes Witoduranus editione Eccardi Tom. I. Columna 1735.
(y) Chronicon Dominican. Colmariense apud Urstis. hoc an. Ursperg. edit. Augustt.
(z) Quod exhibent Gerberti Principis Fasti Rodolphini pag. LVIII. Edidit Constitutionem Lünig. Archiv. Imp. part. General. Contin. II. pag. 145. cum mendis ex autographo nostro emendandis.

ploma universis Principibus Ecclesiasticis concessum, etiam in particulari Abbati nostro *Henrico* traditum fuit, quo uteretur contra oppressiones Nobilium de Crenckingen, qui, invito Abbate atque conventu, munitam arcem Monasterio propriam, ac in superiore parte civitatis Rhenaugiensis positam, vi illata sibi ipsis arrogabant, & plurima exinde mala inferre pergebant. Jubetur enim ista Constitutione, ut cuncta ejusmodi Castra in fundis Ecclesiarum constructa, diruantur, damno in duplum refuso; nulla Telonia contra privilegium Ecclesiarum erigantur; homines proprii aut servi non eripiantur; Feuda a Vasallis vindicata permittantur Ecclesiis; secus facientes excommunicationi subjaceant, & si in illa per sex hebdomadas obsurduerint proscriptione Imperiali afficiantur. Quæ quidem omnia Monasterii nostri Rhenaugiensis rebus apprime tunc necessaria erant, & tam apposite conveniebant, ut pro hoc Monasterio singulariter constituta fuisse viderentur. Eodem porro anno Romæ Fridericus coronatus fuit Imperator.

Anno 1222. Abbas noster *Henricus* ab Honorio III. summo Pontifice negotium accepit, quo jubebatur, adjunctis sibi Abbatibus de *Scafhusa*, & *Wagenhausen* litem quandam in oppido *Stein* dirimere : ubi ipsius opera Ecclesia S. Nicolai restituta fuit Monasterio S. Georgii olim ex monte Duellio in illud oppidum translato (a). Anno sequenti 1223. Henricus Friderici filius duodennis Rex Aquisgrani coronatur. Kiburgi vero Comites Wernerus & Hartmannus, ob persequutionem, quam Ecclesiæ Beronensi intulerant, a Conrado II. Episcopo Constantiensi excommunicationis sententia feriuntur; a qua tamen postea, satisfactione præstita, absoluti sunt (b). Tandem & Abbas noster Henricus de Wartenbach, rebus præclare gestis conspicuus, circa annum 1224. præsentem cum meliori vita commutavit.

BURCHARDUS II.

ABBAS XXV.

Abbati *Burchardo* hujus nominis secundo non minus quam suis Prædecessoribus plurimum certaudum fuit cum Advocatis intrusis Nobilibus *de Crenckingen*; qui conventionem olim factam, & authoritate Ottonis IV. Imperatoris roboratam

(a) Ex Codice Diplomatico Msc. ejusdem Monasterii opera Erhardi Dürsteler Tigurini, inter Monumenta Zurlaubiana.

(b) Herrgott Charta 277. & 279.

tam, nullo modo observabant, quin immo bona & jura Monasterii usurpare impune pergebant. Infractus tamen Abbas eorum conatibus se pro viribus opposuit, ac tandem altiori protectione munitus, jugum gravissimum humeris suis feliciter excussit. Interea Synodus Constantiæ anno 1229. celebrata fuit; cui cum interesset Abbas noster *Burchardus* (c), eum Conradus Episcopus concordiæ inter Monasterium S. Blasii, & Nobilem de Gessingen firmatæ, testem adhibuit, præter Abbates *de Salem, de Scafusa & de Cella S. Petri*, nec non Comites de Kiburg, Henricum de *Cussebere*, cum Nobili Waltero de Lupfen. Anno 1233. memoratus Episcopus Conradus pie obiit, Successorem nactus *Henricum de Tann*, seu Tanneck, Virum admodum commendabilem. (d)

Anno 1234. Henricus Rex, a Lombardiæ fœderatis concitatus, contra Patrem Fridericum Imperatorem consilia agitare cœpit. At hic a fidelibus suis certior factus, ex Italia Constantiam filio obviam venit, atque Basilea & Colmaria pulsum, in deditionem, sed non æque in gratiam recepit; nam Henricus custodiæ traditus, in Calabria vitam misere finivit (e). Tum comitiis Ratisbonæ & Spiræ habitis, Conradus puer, quem Hierosolymitani Regis filia unica Friderico pepererat, Rex eligitur. Ipse vero Imperator in Italiam redux, fœderatos adoritur; quibus gravi clade affectis, cum Pontificias terras vastaret, Guelphorum, Gibellinorumque factiones ingenti Italiæ damno recrudescere fecit.

Anno 1240. *Fridericus* occupata Ravenna, Septembri mense *Faventiam* accessit, eamque arcta obsidione circumdedit (f). Cum vero fortiter defenderent muros obsessi, Imperator ex Germania, & præsertim ex Helvetia, accivit auxilia; cui præter Tigurinos præsto fuerunt tres Pagi Uraniæ, Suiziæ, & Subsylvaniæ, receptis in vicem insignibus libertatum privilegiis (g). Inter hos *Burchardus* quoque Abbas noster fuit, qui cum duodecim Nobilibus Vasallis, eorumque servis, ultronea Imperatori servitia impendit. Protracta nihilominus obsidio in proximum usque annum fuit; ferturque, deficiente pecunia, nummos

(c) Apud Herrgott Charta 289. ubi pro Henrico substituendus Abbas Burchardus; Abbas Cellæ S. Petri, id est Petri Domus.

(d) Manolius apud Pistorium pag. 669.

(e) Annales Colmar. apud Urstis. hoc anno. Sigonius pag. 53. &c.

(f) Sigonius de Reg. Ital. Lib. XVIII. pag. 58.

(g) Tschudius in Chron. hoc anno Diploma refert.

mos ex corio jussu Friderici factos fuisse, pretio post bellum confectum refundendo. Tandem XVIII. Kal. Maii supplices Faventinos, quibus excidium comminatus fuerat, salvis saltem corporibus dimisit. Ast dum milites profanis spoliis inhiant, Abbas noster magnam sacrarum Reliquiarum copiam collegit, quibus Monasterium suum non secus, ac ingenti thesauro ditaret. Frequens ejusmodi Reliquiarum spolium teste Conrado de Liechtenau illo ævo fuit (h).

Exposuit deinde Abbas eodem in loco Imperatori gravamina & præsturas, quos a *Diethelmo de Crenckingen*, & ejus filiis Wernero & Diethelmo, qui se pro Advocatis Ecclesiæ Rhenaugiensis gerebant, contra Justitiam incessanter sustinuit; supplicans humiliter & devote, ut ipsum & Ecclesiam suam ab eorum infestationibus eripere dignaretur: cum Monasterium a tempore Fundationis ad Imperium pertinuerit, ejusque advocatiam Fridericus I. ipsius Avus, olim in suis manibus tenuerit. Impetravit Burchardus intuitu servitiorum suorum, quæ ipsi Friderico & Imperio, præcipue in hac expeditione exhibuit, ut advocatia Nobilibus de Crenckingen adempta, Imperio, ut decebat, restitueretur. Ne vero id gravate ferrent prætacti Nobiles, qui non minus præsentes Cæsari militabant, & querebantur, multo ære advocatiam Rhenaugiæ a Philippo Imperatore emptam fuisse, magnam auri vim ex proventibus Imperii illis spopondit, licet ærario pene exhausto, cujus parte in præsenti accepta, publicis litteris mense Majo in eadem Urbe Faventia datis, prædicti Nobiles de *Crenckingen* professi sunt, quod grata & spontanea voluntate vendiderint, tradiderint, & renuntiaverint in manus Domini *Friderici* Romanorum Imperatoris semper Augusti, Hierusalem & Siciliæ Regis, & hæredibus suis advocatiam Rinaugiensem cum eadem civitate, munitionibus, villis, & omnibus pertinentiis suis, pro marcis argenti mille & ducentis, de quibus centum marcas jam receperint, reliquas autem in duabus proximis precariis (i), quas in Alemannia contiuget imponi, recepturi sint. Quapropter se suosque hæredes obligant sub pœna duarum millium marcarum standi præfatæ venditioni, in præsentia duodecim Nobilium testium, qui in Charta nominantur, inter quos primus eminet *Rudolphus Comes de Habspurg*. Hunc vero non fuisse Rudolphum Seniorem, Dominum in Lauffen-

(h) Abbas Urspergens. in Philippo.

(i) Tributum, quod primo sponte, deinde coacte solvebatur. Du Cang. T. III. col. 444. Michael Franc. Schmid putat, nunc primum fieri mentionem ejusmodi tributorum. Geschichte der Deutschen, T. III. pag. 171.

senburg, sed ejus ex fratre nepotem postea Regem Romanorum, hujus nominis ac stemmatis primum constat ex eo, quod Rudolphus Junior, teste Alberto Argentinensi (k), Castra Friderici sequutus, huic expeditioni præsens fuerit, ab Imperatore Patrino suo Eques creatus. Ipse Rudolphus postea Cæsar anno 1282. fatetur, se olim anno 1240. in ista expeditione subscripsisse cuidem Diplomati Friderici Imperatoris (l). Senior vero Rudolphus de Habspurg nunquam contra Pontificem militavit, quemadmodum litteræ publicæ Innocentii IV. testantur (m). Reliqui porro testes huic Chartæ adscripti, præter Venerabilem Abbatem Rinogiensem sunt sequentes: Henricus Aquensis Præpositus, Waltherus de Sackhgeswirst, Cuno de Stophele, Wiricus de Duno, Gochfridus de Fleckenstein, Helias de Bobardia, Heinricus de Prewik, Heinricus de Scarpfenburc, Otto de Sconenburs, Joannes de Wachenheim (n).

Subacta Faventia Burchardus Abbas, Rudolpho Comite de Habspurg, cum plerisque ex Helvetiæ partibus domum remeante, Fridericum Imperatorem comitatus est, cum Romandiolam universam sui juris fecit; deinde in Marchiam conversus Cæsar, Pisauro, Fanoque direpto, Castra ante Tibur posuit (o). Hoc in loco *Fridericus* amplissimum Diploma, ab aureo sigillo *Bulla aurea* dictum, pro Monasterio nostro Rhenaugiensi signavit, cujus initium hoc est: „Inter cæ„tera beneficia, quæ collata nostræ decorant gloriam Majestatis, actus nostros „clarior fama felicitat, si ad Ecclesias Dei nostra pie feratur intentio, & earum „commoditatibus providet & augmentis. Ad quarum licet omnium promotio„nem nostræ mentis intentio dirigatur, illas tamen præcipuo nos decet favore „prosequi, quæ a suæ fundationis origine Imperiali gloriæ incorporatæ noscun„tur, & quibus Progenitorum nostrorum dedit liberalitas incrementum. Hinc „est igitur, quod ad præsentiam nostram accedens Venerabilis Burchardus Rhe„nogiensis Abbas, Dilectus Princeps noster humiliter nobis exposuit &c.

Bbb 2 Igitur

(k) Apud Urstisium Parte II. pag. 97.

(l) Wurstisius Chron. Basile. pag. 123. Crusius Tom. I. pag. 730. Apud Lünig Parte speciali de Austria pag. 9.

(m) Tschudius Chron. Helv. T. I. p. 150. Herrgott Geneal. Diplom. T. II. Charta 354.

(n) Edidit Chartam Martinus Gerbert Princeps S. Blasii in Fastis Rudolfi I. pag. IX. & XVII. Ex quibus dubium pagina sequenti motum dissolvitur, Rudolpho mox domum reverso.

(o) Sigonius pag. 60.

Igitur Fridericus II. Imperator Rhenaugiam pristinæ restituit libertati, atque advocatiam Monasterii magno pretio redemit; quod Præfecturas ex utraque Rheni ripa ei adnexas esse non ignoraret. Unde utramque arcem *Weissenburg & Novam Crenckingen* Monasterio restitui mandavit, unacum *Castro Rhenaugiensi*, cunctisque munitionibus ibi structis, ne occasio persequendi Monasterium Crenckingensibus superesset. Cæterum civitatis prærogativam Rhenaugiæ confirmans, eam cum omnibus pertinentiis subdit Abbati; additis cunctis Regalibus juribus Fori, Nundinarum, Telonii, cudendæ Monetæ, atque pedagia seu vectigalia exigendi. Loca porro Monasterio subjecta his nominibus exprimit: „Imprimis civitatem „Rhenogiensem cum pertinentiis suis, Villas Marthille, inferius Marthille, Ro„de, Chriumried, Orlingin, Wiliusbuoch, Morla, Trullinhova, Benhon, Mun„hus, Altinburch, Husen, Nova Crenkingen, Wizwile, Wizinburch, Arzin„gen, Rechberch, Griezhein, Ruodelingen, Buochberch, Hagrine, Laubwege, „Mura, Gemunden, Glatinveldin, Witinouwe, Zuental, Huori, Hasila, cum „terris cultis & incultis, venationibus, piscationibus, jurisdictionibus & ratio„nibus &c.

Denique Imperii *Principibus* accenset Imperator Abbatem nostrum; quem titulum inter Abbates illo ævo nondum frequentem ultra duo Sæcula tenuerunt nostri Præsules (p), ad Comitia Imperii, atque etiam postmodum ad Suevici circuli Conventum ex more vocati: donec Helvetiorum protectionem consecuti sunt. Promittit postremo Cæsar, sub sua & Imperii speciali protectione, Domanio, & manibus suis retenturum se Monasterium, quod nulli alii teneatur, nisi ipsi & Imperio pro tempore respondere, decreta in contrafacientes mulcta centum librarum auri, cujus medietas Monasterio addicenda. Reservat sibi duntaxat rationes & Jura, quæ piæ recordationis Fridericus I. Avus ejus in dicta advocatia habere consuevit. Subscribuntur itidem duodecim testes, inter quos quidam in præcedenti Charta expressi sunt, aliis nuper ab exercitu jam digressis. Memorantur Otto electus Leodiensis Episcopus, Bertoldus Marchio de Hochenberg, Otto de Stuzelingen, Wiricus de Duno, Cuno de Stofele, & Ulricus de Rote, qui inter Protoparentes Cardinalis Conradi Francisci, & ejus Fratris Germani ac Successoris *Maximiliani de Rot* Episcoporum Constantiensium numeratur. Acta sunt hæc in Castris prope *Tibur* die 17. Augusti anno 1241. & *Bulla aurea* tipario

(p) Diploma edidit Gerbert Princeps S. Blasii in auctariis ad Fastos Rudolphi I. pag. 221. De Principis titulo videatur ibidem pag. LVIII.

tipario Majeſtatis impreſſa fuit. Supereſt ipſum authographum hujus Diplomatis, quod a poſteris Imperatoribus, ac demum ab Auguſtiſſimo Joſepho II. ſuæ confirmationi per extenſum anno 1777. inſertum fuit.

Fridericus Imperator Tibure & Narnio ſubactis, hoc & ſequenti anno 1242. in finibus Romanis conſedit. Abbas vero noſter non ſolum eximiis privilegiis auctus, ſed etiam multis ſacris Reliquiis ditatus, domum regreditur, & die 15. Octobris cultu debito Rhenaugiæ excipitur; qua die impoſterum ſolemnis commemoratio ſacrarum Reliquiarum de *Faventia*, usque ad elapſum Sæculum celebrari conſuevit, utique in grati animi ſignificationem pro tantis gratiis ope Divina impetratis. Eodemque anno ad finem vergente ad cœleſtem patriam apulit Abbas Burchardus hujus nominis ſecundus ac primus Princeps.

HERMANNUS,

ABBAS XXVI.

Ad initium anni 1242. præfuiſſe *Hermannum* Abbatem Rhenaugiæ, demonſtrat Charta Monaſterii Marbacenſis (q), qua Hermannus Dei gratia, ut ſemetipſum vocat Rinovigenſis electus in Abbatem & confirmatus, memorato Monaſterio in manus *Friderici* Abbatis, pro quadam pecuniæ ſumma, vendidit quasdam poſſeſſiones in Alſatia, ab antiquo ad Monaſterium Rinaugienſe pertinentes (r). Coactum ſe fatetur Abbas ad hanc venditionem peragendam, præhabito communi Capituli conſilio, ob expenſas, debita, & uſuras, quibus Eccleſia ipſius intolerabiliter onerabatur. Nec mirum, cum præter perſequutiones ab Advocatis de Crenkingen illatas, plurima a Prædeceſſore in expeditione Italica impenſa fuerint. Ad hoc onus igitur relevandum vendidit Hermannus Prædia ad Rhenaugiam pertinentia in Rubiaca ſeu *Rufach* Alſatiæ ſuperioris oppido, in terminis *Alſchweiler*, *Ober-Sultz*, *Bulvertheim*, *&* *Iſenheim*, retentis interim aliis ejusdem Alſatiæ pagi in Enſisheim & Herrenheim. Roborata fuit Charta non ſolum ſigillo ipſius Hermanni Abbatis, ſed etiam trium Epiſcoporum, utriusque videlicet Diœceſani, Conſtantienſis & Baſileenſis, Henrici de Pinu ſeu Tann, & Lutholdi de Novo Caſtro, nec non Advocati & Domini territorialis Marbacenſis

(q) Authographum in Archivo Epiſcopali Straſburgenſi, ex quo copiam fecit Eruditiſſ. D. Abbas de Grandidier.

(r) Fundationes horum bonorum videantur ſupra ad annum 1133.

censis Bertoldi de Teck Episcopi Strasburgensis. Apposuit denique sigillum suum Nobilis Vir Comes *Rudolphus de Habspurg* Landgravius Alsatiæ, qui Patruus fuit Rudolphi postea Romanorum Regis, sæpiusque in Chartis hujus ævi recurrit cum eodem titulo Landgravii Alsatiæ, *Taciturnus* dictus (s).

Huic unicæ Chartæ conservatum debemus nomen *Hermanni* Abbatis nostri (t), cujus regimen brevissimum intra unius anni spatium concludere cogimur, cum jam mense Martio subsequentis anni 1243. alius successor electus in nostris monumentis compareat. Procul dubio, ob discordias inter Pontificium & Imperium, etiam diversæ fuerunt electiones Abbatum nostrorum, & *Hermannus* quidem a partibus Pontificiis electus, utpote confirmatus, & a tribus Episcopis, qui communionem Sedis Apostolicæ habebant, susceptus; *Eberhardus* autem a Friderici Imperatoris fautoribus constitutus fuit, cum non perhibeatur confirmatus, coactusque tandem sit, locum cedere Rhenaugiæ Administratori a Summa Sede creato, prout mox videbimus.

EBERHARDUS I.

ABBAS XXVII.

Eberhardus hujus nominis primus Cæsareis fulfultus viribus, Bullam auream, quam Burchardus Abbas a Friderico II. obtinuerat, contra Nobiles de Crenckingen, olim Advocatos intrusos, exequutioni mandare, atque bona rapta, & in Diplomate expressa, Monasterio vindicare conatus est. Licet autem duo Diethelmi Pater & Filius, cum altero filio Wernero, juxta pacta Faventiæ conclusa Monasterio cederent, *Henricus* tamen ejusdem Familiæ, qui bona quædam Rhenaugiæ restituenda possidebat, vehementer obstitit, immo Abbati & Monasterio plurima mala & damna intulit, nec per censuras & proscriptiones (favente nobis Conrado Friderici Filio, & tunc Alemanniæ Rectore) ad meliorem frugem reduci potuit. Accidit autem mense Majo anni 1243. ut idem persequutor ab inimicis peremptus, ob proscriptionem Ecclesiastica sepultura privatus esset. Quapropter Soror ejus *Chunegundis*, Filiusque ejusdem nominis *Henricus* supplices Eberhardo Abbati fuerunt, ut injurias remitteret, satisfactionem

(s) Videatur Herrgott in Geneal. Diplomat. Lib. IV. Tom. I.

(t) Unde fallitur Gallia Christiana, dum hunc contractum attribuit successori Eberhardo I. Tom. V. Col. 1006.

nem susciperet, atque absolutum more Christiano sepeliri permitteret. Concordia igitur ab utrisque partibus inita est, & Charta desuper conscripta, ut pro compensatione damnorum sexdecim marcæ argenti redderentur, quarum medietas persolvenda esset dominica secunda post Festum Paschæ, altera vero post Solemnitatem Ascensionis Domini, Defunctus denique conderetur in sepulchro Familiæ quod in Monasterio Rhenaugiensi extabat. Si vero alio in loco sepultura eligeretur, ipsa die depositionis aliæ viginti marcæ argenti traderentur Abbati. Obsides usque ad deletionem totius summæ Monasterio interim dati C. & B. seu Conradus & Bertoldus dicti Steingolt, & C. seu Conradus Miles de Truillikon, qui cum iisdem Henricis de Crenkingen in pluribus monumentis comparet. Hi in arce *Seglingen* ad Rhenum ex adverso Eglisovæ tamdiu detineantur, donec stipulata pecunia XXXVI. Marcharum juxta condictum persoluta fuerit. Hæc porro Charta data est Rhenaugiæ IV. Idus Martii dicto anno 1243. subscriptis, præter memoratum Conradum de Truillikon, Nobilibus Viris Rudolpho & Henrico de Berge, & Ulrico de Balbe. Præsentes actui fuere præfatus Dominus Abbas Eberhardus, Henricus Prior, Conradus de Nuwenhusen, Eberhardus de Altikon, Albertus de Lapide, Ulricus de Yberg, Conradus Cellarius, & Rudolphus Beclarius Fratres dicti loci. Præterea Bertoldus Scultetus Rhenaugiæ, Wilhamus Plebanus ibidem, Conradus Advocatus seu Officialis Monasterii, qui Jurisdictionem nomine Abbatis administrabat, cum aliis pluribus. Porro de *Henrico Juniore de Crenckingen* memorandum, eum Patre haud meliorem, Monasterio S. Blasii rapinis & incendiis damnum octoginta Marcharum argenti intulisse, cui, debitorum pondere pressus, cedere tandem pro compensatione Villam Betmaringen coactus fuit. Ex recensione Confratrum nostrorum in memorata Charta, sicut & aliis subsequentibus constat, Eos ex Nobilium familiis fuisse ortos, quorum ritu, non hic duntaxat, sed etiam alibi ex cognomine potius Gentilitio vocari solebant.

Inter hæc defuncto Romæ Gregorio IX. post breve regimen Cœlestini IV. & diuturniorem vacationem Sedis Apostolicæ, electus fuit Summus Pontifex anno 1243. Innocentius IV. qui post frustra tentatam pacem cum Friderico II. Lugdunum se contulit, illo tempore Episcopo proprio subjectam civitatem, convocato ad Concilium Generale toto orbe Christiano; ubi XVIII. Kalendas Augusti anno 1245. iterum privatus Communione & Regno Fridericus fuit, Germanis ad novum Regem eligendum excitatis (u). Eligitur itaque Francofurti die 25. Julii anno

(u) Sigonius pag. 64.

anno proximo Cæfar Henricus VII. Comes Turingiæ, qui die quinta Augufti Conradum Friderici filium acie fuperat, & in Longobardiam avertit. Hac occafione plerosque Imperii Principes, præfertim Ecclefiafticos, ad partes Pontificias declinaffe, fertur. Certe Henricus Epifcopus Conftantienfis interpellavit Innocentium IV. pro Clero Turicenfi, qui urbe exeffe juffus fuerat, obtinuitque facultatem, ut ibi commorari poffet (x). Walterus Abbas S. Galli, qui fuppetias Conrado tulerat, refignavit, facto tranfitu ad Prædicatorum ordinem. Simile fatum fubiiffe videtur Abbas nofter Eberhardus, qui cum fcribatur folum *Electus*, fortaffe confirmationem nunquam obtinuit, quod ab adhærentibus Friderico Imperatori creatus fuerit.

HENRICUS III. de THANNEGG,

EPISCOPUS CONSTANTIENSIS ABBAS XXVIII.

Ceffit igitur anno 1246. Eberhardus *Henrico de Tann feu Tannegge* Epifcopo Conftantienfi, cui Innocentius IV. Summus Pontifex certis fub conditionibus ad tempus Rhenaugiam commendavit. Fuit *optimus Princeps*, ut vocatur in monumentis noftris, qui tam zelo fuo, quam potentia abigere poffet Nobiles de Crenckingen Monafterii invafores, ex quibus nuper Henricum excommunicationis pœna affecerat. Interea Henricus novus Rex in obfidione Ulmæ fagitta trajectus interiit; cui fuffectus Wilhelmus Holandiæ Comes. In S. Gallo Succeffor Walteri Bertholdus de Falkenftein, ope Henrici noftri Abbatis & Epifcopi Conftantienfis, nec non Hartmanni Senioris Comitis de Kiburg oppidum Wil obfidione cinxit, & in deditionem accepit, Comite de Toggenburg, ejusque adjutoribus, magna ftrage affectis. Ex Caftro vero Turicenfi Fridericus Imperator univerfum Clerum exterminari fecit, eoquod Romanæ Ecclefiæ ut capiti membrum adhæreret (y); caufa denuo per Henricum Epifcopum ad Innocentium Papam delata. Inter hos labores laudatiffimus Princeps *Henricus* anno 1248. menfe Augufto vitam cum meliore commutavit (z), poftquam Epifcopatui annis ferme quindecim præfuiffet, Monafterio vero noftro annis duntaxat duobus. Electus Conftantiæ Succeffor Eberhardus de Waldburg, qui Abbatiam Rhenaugienfem, quafi Epifcopatui annexam, poffidere cupiens, multam defuper litem deinceps movit.

BERTOL-

(x) Charta apud Tfchudium hoc anno.
(y) Charta in ejusdem Tfchudii Chronico.
(z) De die obitus variant Chronica Tfchudii & Mannlii.

BERTOLDUS de FALCKENSTEIN,

ABBAS S. GALLI, RHENAUGIENSIS XXIX.

Verum Innocentius IV. Summus Pontifex mox interpellatus a *Bertoldo de Falckenstein*, Abbate S. Galli, eidem die 7. Septembris anno sexto Pontificatus sui, hoc est 1248. vix mortuo Henrico Episcopo Constantiensi Rhenaugiense Monasterium gubernandum commisit, secundum formam, ut ait, qua ipsum dicto Episcopo olim commendaverat, ne scilicet Rheuaugia ullum in bonis suis detrimentum pateretur. Quo autem certius Bertoldus possessionem Monasterii nostri obtineret, Pontifex non solum Breve Apostolicum ad dictum Abbatem direxit, sed etiam alterum ad Monachos Rhenaugienses, quo præcipit, ut prædictum Abbatem suscipiant, eique obedientiam exhibeant; immo & tertium ad Abbatem Einsidlensem Anselmum a Schwanden, quem exequutorem suæ dispositionis constituit. Id re ipsa factum testatur Pontifex in aliis litteris (a) ad Abbatem Fabariensem Rudolphum de Bernang datis die III. Kal. Junii anno septimo sui Pontificatus, quibus prædictam provisionem confirmat, mandans, ut Bertoldum non permittat super his contra confirmationis suæ tenorem molestari, adhibitis, si opus fuerit, censuris Ecclesiasticis.

Sed enim Eberhardus Constantiensis Episcopus non continuo cessit Bertoldo; quin potius ob hanc aliasque caussas acre bellum eidem intulit. Ope namque Comitis Toggenburgici terras sangallenses ad usque Abbatis Cellam ferro ignique vastavit (b). Neque segnior Bertoldus accitis in subsidium Helvetiis, atque Hartmanno Seniore Kiburgi Comite, Constantiam ipsam obsedit, Ermandingen aliisque Villis concrematis. Tandem pax aliqua sancita est ad Episcopi Cellam, qua partes convenere, controversias non armis, sed jure & per arbitros decidendas esse. Sequenti anno 1250. Conradus Friderici Imperatoris Filius ex Italia in Sueviam atque Alsatiam venit, terras avitas occupaturus. Verum ab Episcopo Argentinensi profligatus, Italiam repetiit, cum mortuus renuntiaretur ejus Pater Fridericus, qui obiit die sanctæ Luciæ ab Archiepiscopo Palermitano reconciliatus, & in ejus urbis Ecclesia tumulatus (c).

Anno

(a) Omnes quatuor Chartæ ex Archivo Principalis Monasterii S. Galli.
(b) Tschudius in Chronico hoc anno.
(c) Albertus Stadensis in Chronico ad hunc annum. Paris. pag. 777.

Anno 1251. inter Eberhardum Episcopum Constantiensem & Henricum Nobilem de Lupfen controversiae quaedam compositae fuerunt, quarum una concernebat Advocatiam seu Praefecturam Praedii in *Dangstetten* Monasterii Rhenaugiensis feudalem. Henricus Eberhardi Praedecessor Episcopus Constantiensis detinebat Castrum *Cussenberg*, quod a Comite Henrico ejus nominis ultimo pignoris loco acceperat. At Henricus de Lupfen ex praedicti Comitis de Cussaberg sorore liberos procreaverat, quorum nomine, post avunculi mortem, haereditatem repetens, litem Episcopo movit. Etiam armis, pro more illius temporis, aliquamdiu pugnatum est; tandem controversia per arbitros composita. inter quos Nobilis Hugo de Offtringen, his praeprimis conditionibus, ut nempe Lupfius omni jure cederet in Castrum *Cussenberg*, reciperet autem vicissim feudi nomine ab Episcopo Castrum *Stühlingen*, unacum duodecim marcis argenti, & Advocatiam in *Dangstetten*, si haec feudalis esset Monasterii Rhenaugiensis, prout praeclarum monumentum authographum, inter prima publica teutonice scripta testatur (d). Pertinuisse porro ad Monasterium Rhenaugiense jam a Saeculo nono Praefecturam illam, unacum aliis, ex donatione Gozberti II. Abbatis & Comitis; constat ex libro feudali antiquissimo, aliisque monumentis. Verum accidit, ut quae in feudum olim collata sunt, successu temporis a Vasallis plerumque proprio jure usurparentur.

Memoratus Henricus Comes de *Cussaberg* uxorem duxerat ex Comitibus de *Habspurg*, sororem Rudolphi postea Romanorum Regis (e), de qua accolae narrant, quod censum annuum avenae remiserit colonis in Villa Untereggingen, alias ad Castrum Cussaberg solvendum. Haec mortuo marito nupsit Ottoni de Ochsenstein, ex qua Comites de Ochsenstein & Strasberg prodiere (f). Occurrunt quidam ex Comitibus de Cussaberg in Chartis, veluti *Henricus* in tribus Diplomatibus Conradi III. Imperatoris, quorum primo anno 1141. (g) componitur lis inter Episcopum Basileensem & Monasterium S. Blasii de Advocatia, cui subscribitur *Henricus de Cussaberg* cum Alvico Comite de Sultz. Alterum anno 1144.

(d) Ex Archivo Thiengensi: „Umbi die Vogtaine des Hoves zi Dangstettin, ist gelozin an den Hern Hugo Von offtringen. . . Zervarin uf ir ait hixan zi dem Palmitage. Ist diu Vogtaie des Lehins von Rinowe, so belibts dem Lupfer; ob des niut ist, so bihebts dir Bischoff.

(e) Annales Dominic. apud Urstis. Part. II. pag. 37.

(f) Albertus Argent. ibidem pag. 95. & 99.

(g) Apud Herrgott Num. 220.

1144. (h) quo ponuntur limites inter Suitenses & Monasterium Einsidlense, inter testes numerat eundem Henricum de Cussaberg cum Conrado de Crenckingen, Hugone de Tuffen, Henrico de Rinova, Conrado de Schwarzenberg, aliisque. Tertium denique de anno 1250. (i) quo mons Stauffen adjudicatur S. Blasio, exhibet eundem Henricum cum Marquardo de Lauchringen, Gunthero de Beringen, Eberhardo & Erckinboldo de Lienheim. Eodem Sæculo anno 1170. *Wernerus de Cussaberg* fuit Abbas S. Blasii (k). Ultimus porro *Henricus* ejusque frater *Udalricus* jam occurrit anno 1228. in Charta Comitis Rudolphi Senioris de Habspurg data in gratiam Monasterii Capellensis Ordinis Cisterciensis (l). Idem Henricus Comes de Cussaberg scribitur sequenti anno 1229. in Charta Conradi Episcopi Constantiensis, unacum Abbate nostro Rhenaugiensi, & Wl. seu Waltero de Lupsen (m). Anno 1250. quo obiit sæpe dictus Henricus Comes de Cussaberg, adhuc reperitur in Charta quadam Monasterii Vallis S. Catharinæ prope Diessenhovium (n) die 4. Jan. data.

Comitatus *Sthülingensis* primitus habuit proprios ejus nominis Comites, ex quibus in Charta Schaffhusiana ad annum 1081. (o) & Rhenaugiensi de anno 1098. memoratur *Gerungus Comes de Stuolingen;* cui in altera Rhenaugiensi anno 1124. additur ejus Frater *Liutoldus*. Sæculo XIII. ad Comites de Fürstenberg eum Comitatum pertinuisse tradit Bucelinus, donec anno 1251. ut vidimus, *Henricus I. de Lupfen* per transactionem ab Eberhardo Episcopo Constantiensi feudi loco Castrum *Sthülingen* obtineret. Antecessores antiquissimæ *Lupodunensis* seu Lupfensis familiæ recensentur a laudato Bucelino & Crusio; nos eorum successionem ex monumentis authenticis breviter damus, qui Comitatum vicinum Rhenaugiæ & Cleggoviæ per tria Sæcula possederunt.

Igitur *Henricus I. de Lupfen* ex sorore Comitis Henrici de Cussaberg plures suscepit liberos, prout in Charta transactionis narratur; ex quibus *Eberhardus I.* jam anno 1256. vocatur Præfectus Provincialis Sthülingæ (p), in Charta, qua distinguuntur fines Dynastiæ Lenzkirchensis cum Comite Egone de Fürstenberg (q).

 Idem

(h) Apud Herrgott Num. 223.
(i) & Num. 227.
(k) Epitom. Histor. S. Blasii Msc.
(l) Ex Scrinio Ecclesiæ Barensis inter Monumenta Zurlaubiana.
(m) Apud Herrgott Num. 289.
(n) hoc anno.
(o) Apud Rieger in Chron. Msc.
(p) Landvogt.
(q) Omnes Chartæ ex Collectione Msc. Actorum Lupfensium.

Idem occurrit in plurium annorum Chartis; ac tandem, cum divisus fuisset Comitatus in duas partes, anno 1294. a nepote suo *Henrico II.* de Lupfen emit alteram quoque partem castri, urbis & comitatus in Sthülingen, cum arce Almuth, Villa Aicheim & Advocatia Ecclesiæ in Lottstetten Cleggoviæ. Unde anno 1296. vocatur *Landgravius in Sthülingen* in conventione facta cum Egone de Fürstenberg ratione fundorum, quæ hic a Bertoldo Comite de Ura emerat. *Henricus II.* habebat filium ejusdem nominis Henricum, Decanum Ecclesiæ Cathedralis in Strasburg, qui cum Eberhardo I. ejusque filiis Eberhardo & Hugone anno 1302. Monasterio Monialium Offenhausen donaverunt Prædium & jus Patronatus in eodem loco. Illud Monasterium anno 1230. jussu Friderici II. Imp. pro 72. Monialibus fundaverant Nobiles de Lupfen Bertoldus & Eberhardus, haud procul Tubinga, postea dictum Gnadenzell, nunc Dominii Würtembergici.

Mortuo Eberhardo I. ejus Filii *Eberhardus II. & Hugo* anno 1312. vocantur Landgravii in Sthülingen in Charta Præpositi Augiensis de Ramstein, testibus Diethelmo & Liutholdo de Crenckingen Monachis seu Canonicis (r) in Augia, Walthero & Friderico de Erzingen, Hermanno de Staad, & Bernardo Amort Schaffhusianis. Iidem fratres sub eodem titulo comparent in Charta de anno 1321. Post duos annos autem solus *Hugo* Landgravius, qui ex Anna de Frauenberg genuit *Eberhardum III.* Hic duxit uxorem Chunegundam de Rosenegg anno 1341. & vocatur anno 1344. Landgravius Sthülingæ & Dominus in Lupfen.

Eberhardo III. erant Filii *Henricus III. & Eberhardus IV.* ex monumento anni 1367. Henricus cessit Fratri suo Eberhardo anno 1377. partem, quam possidebat in Castro Sthülingen. Eberhardus IV. ex Ursula de Hochenberg, vidua Wilhelmi Comitis de Montfort, procreavit filium *Joannem I.* testante Charta de anno 1380. qui jam anno 1388. vocatur Landgravius Sthülingæ; dum Joannes de Lupfen Canonicus & Cantor Strasburgensis in gratiam ejus renuntiavit juribus suis coram Magistratu Schaffhusiano. Joannes I. matrimonio sibi copulavit Herzelandam de Rapoldstein & Hochenach anno 1398. Dein anno 1401. a Ruperto Cæsare indultum obtinuit; ut Judicium provinciale Sthülingense ex duodecim Viris ejusdem Comitatus constituere posset. Eidem anno 1406. Duces Austriæ Leopoldus & Fridericus oppignorarunt oppidum Engen & Dynastiam Heven, quam tamen postea anno 1438. denuo redemerunt Nobiles de Heven

Joan-

(r) Chorherren.

Joannes, Fridericus, & Henricus Episcopus Constantiensis, postliminio Comitibus de Lupfen iterum restitutam. Joannem I. Landgravium Sthülingæ Catharina de Burgundia Ducissa Austriæ anno 1408. constituit Præfectum Provincialem Alsatiæ & Sungoviæ; Sigismundus vero Imperator anno 1411. in servitia sua suscepit, eidemque anno 1415. commisit, ut subditos Friderici Archiducis Austriæ proscripti in fidem Imperii susciperet. Secundis nuptiis Elisabetham de Rotenburg duxerat Joannes, cujus Frater Henricus in quadam Charta vocatur Magister Aulæ Tyrolensis.

Post mortem Joannis I. anno 1437. Sigismundus Imperator Landgraviatum Sthülingæ ejus Filiis in feudum tribuit *Eberhardo V. Henrico IV. Sigismundo I. & Joanni II.* anno autem 1442. Fridericus Cæsar solo Eberhardo V. idem feudum concessit, qui conjugio sibi junxerat Chunegundam filiam Eberhardi Comitis Nellenburgi. Mortuo Eberhardo V. ejus Fratres supradicti memoratum Landgraviatum a Friderico Cæsare denuo obtinuerunt anno 1448. Inter quos anno 1460. Joannes II. emit Dynastiam Bondorf. Anno 1462. adhuc tres dicti Fratres Landgravii Sthülingæ vocantur; ast anno 1474. duo tantum Sigismundus I. & Joannes II. Denique anno 1479. solus Sigismundus, ut Senior familiæ, investitus est ab eodem Imperatore. Hic Sigismundus duos habebat filios Sigismundum II. & Henricum V. qui anno 1488. a Nobili Ulrico de Rumlang emit Dynastiam Wutenthal, Villas scilicet Horheim, Eschingen, Schwerzen & Wilmendingen; quæ posteriores tres Villæ cum sitæ sint in Landgraviatu Cleggoviæ, eas memoratus Ulricus de Rumlang, inscio Comite Henrico de Sthülingen, etiam vendidit Alvico de Sultz Comiti Cleggoviæ. Unde gravis controversia exorta, ac tandem per arbitros decisa est, ut quæ essent in Comitatu Cleggoviæ, Lupfius teneretur vendere Comiti de Sultz. Hæc sententia non statim effectum sortita, sed primum post plures annos executioni mandata est.

Mortuo Sigismundo I. Feudum Landgraviatus Sthülingensis ejus Filiis *Sigismundo II.* & memorato *Henrico V.* a Maximiliano Imperatore anno 1495. concessum est. Henricus V. sequentes procreavit liberos: Joannem, Wolvenum, Eberhardum, Wilhelmum, Georgium, Sigismundum, & Christophorum, nec non Catharinam Buchaugiensis Parthenonis Canonissam (s) & Justinam Abbatissam Coloniæ. Inter Filios creatus fuit Episcopus Constantiensis Joannes anno 1535. Wilhelmus genuit Itelium Fridericum, & Julianam, Georgius vero Jochi-

 mum,

(s) Chorfrau.

mum, cum quibus expirat nostra Lupfensium Chartarum collectio. In hac tamen multi alii Laterales ejusdem prosapiæ de Lupfen recensentur, quos brevitatis causa præterivimus. Constat vero ex Charta quadam nostra Rhenaugiensi data anno 1537. Sigismundo II. & Henrico V. succesisse in Landgraviatu Sthüllingæ posterioris Filium *Christophorum*. Ultimus omnium totius familiæ Comes fuit *Henricus VI.* qui cum sine liberis anno 1582. obiisset, sæpe dictam provinciam reliquit *Conrado Comiti de Pappenheim;* licet hic post diutinam altercationem primum exspirante eodem Sæculo anno 1599. quietam possessionem adeptus fuerit. Sed neque hæc Familia diutius retinuit Landgraviatum Sthülingensem; quippe mortuo anno 1634. *Maximiliano* Conradi Filio, per ejus Filiam Maximilianam, cum hærede Masculo destitutus esset, conjugio copulatam Comiti *Rudolpho de Fürstenberg*, denuo rediit sæpe dictus Landgraviatus ad Domum Fürstenbergicam, cum ex illo matrimonio procreatus esset Maximilianus Proavus moderni Principis.

Verum ad nostra revertamur. Necdum cessabant diffidia inter Eberhardum Episcopum Constantiensem, & Bertoldum S. Galli & Rhenaugiæ Abbatem. S. Gallum tangebant jura quædam spiritualia; Rhenaugiam vexabant Bona quædam temporalia, ab Eberhardo Abbatiam ambiente, injuste ablata. Quas ob causas non solum diversæ suspensionis & excommunicationis in Abbatem & Episcopum, sed etiam beneficiorum privationis sententiæ in alios Clericos & Monachos, a diversis auctoribus prolatæ fuerunt. Ut autem tanta discordia Ecclesiasticos inter Principes tolleretur, Innocentius Papa haud parum solicitus erat; hinc Episcopo Metensi litteris Assisio datis III. Idus Maji anno undecimo Pontificatus sui seu 1254. totam causam cognoscendam commisit. Quantum vero Rhenaugiam attinebat, decrevit, ut Bertoldus Monasterium retineret, quamdiu Pontifici visum fuerit, salvo tamen Episcopi jure Diœcesano; cæterum provideret, ut debitum Deo obsequium in eodem Monasterio exhiberetur, ejusque bona injuste (t) ablata restituerentur, & contradictores sub censuris compescerentur. Exequutoriales hujus sententiæ ab eodem Pontifice demandatæ fuerunt Scholastico Argentinensi V. Kalendas Junii; qui citato Episcopo, & non comparente, Witoduræ III. Kal. Octobris Bertoldum ab excommunicatione, ab Episcopo in ipsum lata, absolvit, eumque in possessione Monasterii Rhenaugiensis confirmavit.

Sed

(t) Breve Apostolicum ex Archivo S. Galli.

Sed enim cum eodem anno die 7. Decembris Innocentius Papa IV. diem ſupremum obiiſſet, ſuffecto die 21. ejusdem Alexandro IV. alius hoſtis acerrimus Bertoldo Abbati S. Galli ob commendatam Rhenaugienſem Abbatiam excitatus fuit. Erat is *Joannes Nobilis de Crenckingen*, quem Monachi noſtri non inviti Abbatem elegerunt, eo quod ope præpotentis ſuæ familiæ Abbatibus commendatariis reſiſtere, atque Monaſterium in priſtinam libertatem vindicare poſſet (u). Verum contra accidit, ut non ſolum lites & diſcordiæ non ſopirentur, ſed etiam Monaſterium tum per ipſum Joannem, tum per ejus conſanguineos pene ſpoliaretur; non enim Paſtorem, ſed Lupum in Joanne experiebatur. Id vel maxime factum anno 1257. cum Bertoldus Abbas unacum Eberhardo Epiſcopo Conſtantienſi longa legatione fungeretur in Hiſpaniam, quorſum deſtinatus fuerat a tribus Electoribus Moguntino, Bohemo, & Brandenburgico ad Regem Alphonſum, quem ad coronam Imperii vocaverant (x); dum interim reliqui Electores Richardo Angliæ Regis fratri adhærerent, poſtquam Wilhelmus Holandiæ Comes Rex Romanorum die 28. Decembris anno 1256. miſerabiliter a Friſonibus occiſus fuiſſet. Has inter turbas non ſolum Rhenaugia, ſed totum Romanum Imperium in partes miſere diviſum erat. Cum igitur cedes & rapinæ continuo invaleſcerent, Pagi Helvetiorum Urania, Schwizia & Subſilvania, Advocatum & Belliducem elegerunt Comitem manu perquam ſtrenuum *Rudolphum de Habſpurg*, Landgravium Alſatiæ, tandem Romanorum Regem, qui eos contra hoſtes impigre defendit.

Rhenaugienſes quoque, cum ruinam Monaſterii diutius ferre non poſſent, quidam Capitulares Bertoldi de Falckenſtein conſanguinei, adjunctis nobilibus Monaſterii Miniſterialibus, eundem Abbatem S. Galli implorarunt, ut regimen Rhenaugiæ reſumere, & contra invaſores de Creuckingen protegere dignaretur. Fecit id Abbas magnis laboribus & expenſis; cumque armis nihil proficeret, occulta machinatione, conſciis Fautoribus ſubſidium ferentibus, quadam nocte Joannem, qui ſe pro Abbate gerebat, in ipſo Monaſterio lecto incumbentem oppreſſurus advenit. Verum is, flumini potius quam hoſti ſe traditurus, per ſecretum cameræ locum in Rhenum ſe demiſit, atque natando manus inſequentium evaſit (y). Tum amicorum ſuorum armis adjutus, Bertoldum gravi ac diutino

(u) Hottinger Hiſtor. Eccleſ. Tom. IV. pag. 63.

(x) Ex Charta apud Hottinger, Scheuchzer & Lew.

(y) Ex Chriſtiano Kuchimeiſter cive oppidi S. Galli, qui Chronicon Mſc. ab anno 1230. usque ad ſua tempora, id eſt annum 1333. perduxit; ex quo Stumpfius Lib. V. Cap. 18. & Tſchudius ad hunc annum.

diutino bello petit; donec hic re ad Alexandrum IV. Summum Pontificem delata, obtineret, ut Joanne depoſito in Abbatiam Rhenaugienſem anno 1259. reſtitueretur. Mox Bertoldus res Monaſterii collapſas erigere conatus, civibus & ſubditis Rhenaugienſibus ordinem judiciarium præſcripſit; ne ſcilicet alibi, quam coram Abbate jus quærere præſumant, ipſius ſolius judicio ſtaturi; ne diſcedant, aut nubant, niſi ex præſcripto ordine &c. Piſcatoribus quoque certus cenſus piſcium imponitur, eorumque punitio, ubicunque in Rheno deliquerint, Abbati reſervatur, ſive Rhenaugiæ ſive alibi, ut in Riedlingen vel Ellicken domicilium habeant; denique ordo pro tempore capturæ ſalmonum ſtatuitur. Hoc porro mandatum non tam de novo factum, quam renovatum ac confirmatum declaratur.

Eodem anno cum *Udalricus de Wellenberg* Nobilis ex Turgovia gravia damna Tigurinis intuliſſet, captus ab iis, tandem vero reconciliatus fuit interventu Bertoldi, qui ſe in Charta Abbatem *tam Rhenaugienſem quam S. Galli* appellat (z), nec non Alberti de Ramſtein Augiæ Abbatis, quem eodem tempore ex Præpoſito S. Galli prædictæ Abbatiæ præfici curaverat, obnitente licet Eberhardo Epiſcopo Conſtantienſi, quem Augiæ Monachi reſignante Burchardo jam admiſerant. Erat porro prædictus Wellenbergius Miles & Miniſterialis Augiæ Divitis, atque utriusque nominati Abbatis conſanguineus. Anno ſequenti 1260. Eberhardus Epiſcopus a Dynaſtis de Crenckingen trecentis & quinquaginta marcis argenti emit Cleggoviæ oppidum *Neukirch* (a). Emit quoque *Zurzachium*, locum ob frequentes nundinas celebrem, ibique Canonicos conſtituit, ubi antea Monachi degebant, Augienſi Monaſterio ſubjecti. *Clingnovium* pariter emptione ad Epiſcopatum venit, cui Chartæ ſubſcripti Henricus & Conradus de Krenckingen.

Mortuo Alexandro IV. Summo Pontifice, ſuffectus eſt Urbanus IV. *Bertoldus* vero Abbas novo, eoque infelici bello implicitus fuit anno 1261. Cum enim Rudolphus Comes Raperſchwilæ obiiſſet unica filia relicta, Abbas feuda S. Galli tanquam caduca repetiit, atque Duce Wolframo Comite de Weringen invaſit. At vero Vidua Mechtildis, cum gravida eſſet, enixura Rudolphum, ultimum ejus ſtemmatis Comitem, ope amicorum Suitenſium atque Glaronenſium (b) hoſtes repulit, atque haud exigua clade affecit. Has inter turbas Joan-

(z) Charta edita ab Hottinger & Schenchzer. Item Leo in Lexico Helvet.

(a) Mangold in Chronico Conſtant. Mſc.

(b) Tſchudius ad an. 1261. & 1269.

Joannes de Crenkingen, olim electus Abbas, resumpsit animum, atque acerrime pugnans, ut monumentum quoddam testatur, Bertoldum de Falckenstein fugavit, ac pene delevit, adeo ut deinceps Monasterium, armis occupatum, ipsi cedere ex integro cogeretur. Is vero ad pristinum genium rediens, neglecta disciplina Monastica, turbato totius Imperii statu, bona Monasterii Familiæ suæ ferme communia fecit, tyrannico more cuncta disponens.

JOANNES de CRENKINGEN,

ABBAS XXX.

Rhenaugiæ status sub Barone de Crenkingen erat miserrimus; licet Illustrissimi nominis viri Monasticæ vitæ se devovissent (c). Nati in perniciem Monasteriorum hoc tempore Crenkingenses videbantur; nam & Henricus ex veteri Crenkingen Alpegoviæ, ut alibi notavimus, persequutor Monasterii S. Blasii exstitit, qui anno 1262. ab Eberhardo Episcopo Constantiensi oppidum *Thiengen*, Cleggoviæ Comitum postea sedem, in feudum accepit (d). Memoratus vero Episcopus Præfecturam in *Rheinheim*, quæ cum illa in *Dangstetten* in unam eandemque coalescit, hoc tempore usurpasse videtur, cum tamen ad Monasterium Rhenaugiense pertinuerit, prout anno 1251. monuimus. Hanc enim Eberhardus anno 1265. vendidit Comiti in Sthülingen Eberhardo de Lupfen (e); restitutam tamen postliminio suo loco videbimus. Tanta porro Præfectorum seu Advocatorum, qui singulis Villis Monasterii præficiebantur, arrogantia fuit, ut non solum sibi potestatem fere omnem vendicarent, sed etiam miseros colonos graviter affligerent, & spoliarent, ut necesse fuerit, speciali & antiquissima lege eorum rapacitati modum ponere (f).

Inter

(c) Bucelinus in Chron. Const. ad annum 1264. Statum Monasterii nostri non plane assequutus scribit: Rhenaugiæ sub Barone de Crenkingen res prosperæ, Illustrissimi nominis Viris certatim in variis Monasteriis Monasticæ vitæ se devoventibus.

(d) Monumenta Thiengensia.

(e) Merk pag. 178. Mannlius p. 67. scribit Reutheim loco Reinheim.

(f) Ex Urbario antiquissimo: Item es soll ein jeder Vogtherr, wer der je die Vogtteyen in des Gottzhus Dirfferen inne hat, die armen lüt kainerlai nit beschweren, steigen, noch zwingen, allwegen hierinen ainem Herren und Gotzhus zu Rynow alle sine Fryheiten und Rechtungen vorbehalten. pag. 40.

Inter hæc cum Richardus in Regem Romanorum electus occubuisset, Conradinus Conradi filius, Nepos Friderici II. Sueviæ Ducatum recuperavit, Imperii solio per decennium omnino vacuo permanente. At Clemens IV. Pontifex ejus loco Carolum Andegavensem Regem Siciliæ creavit, qui occiso Manfredo Friderici Notho, Regnoque occupato, Conradinum in fuga interceptum, ultimum Suevici stemmatis florem, unacum Friderico Badensi, Austriæ Ducatus participe anno 1267. Neapoli publice capite plexum extinxit. *Bertoldus* vero Abbas Sangallensis, & quondam Rhenaugiensis, postquam multa bella cum diversis gesserat, ad ultimum a Lindaugiensibus captus, dimissusque, in gravem morbum incidit, ex quo circa Pentecosten anno 1271. obiit; Necrologio nostro Rhenaugiensi insertus, non addita tamen Rhenaugiæ mentione, cujus Abbatiam jam dudum amiserat. In S. Gallo electi fuerunt Henricus de Wartenberg, & Udalricus de Guttingen, qui priori prævaluit (g).

Anno 1273. monitu Gregorii X. tandem convenientes Francofurti Electores Imperii die ultima Septembris *Rudolphum Comitem de Habspurg*, Landgravium Alsatiæ, tunc Basileam obsidentem, Romanorum Regem crearunt. Sequenti vero anno cum Eberhardus de Waldburg Episcopus Constantiensis die 19. Februarii obiisset, concordibus votis electus est *Rudolphus* Romanorum Regis patruelis & Præpositus Basileensis. Erat is Rudolphi Taciturni Comitis de Habspurg in Lauffenburg filius; cujus frater Albertus Regem prædictum genuerat. Fratres Constantiensis Episcopi Eberhardus & Gottfridus duas ejusdem stemmatis lineas constituerunt; & Eberhardus quidem posterioribus Kiburgi Comitibus nomen dedit; Gottfridus autem prosapiam Lauffenburgo-Habspurgicam propagavit; qui cum jam anno 1271. obiisset, duos filios Rudolphum & Gottfridum II. sub tutela fratris tunc Præpositi Basileensis reliquit (h). Plerique hujus Prosapiæ Advocatiam Rhenaugiæ adepti sunt, frequentius in historia Monasterii nostri producendi.

Interim *Joannes de Crenkingen*, abutens titulo Abbatis, pessumdare Monasterium, usque ad finem Sæculi ab ejus fundatione quinti non destitit, quin omnia susque deque vertit, bonis temporalibus in familiares divisis, & contra mentem Fundatorum consumptis, atque regulari disciplina penitus destructa. Cum enim Monasticus Ordo, ut loquitur Trithemius (i), per totum orbem Christianum

(g) Tschudius in Annalibus Helveticis.

(h) De his videatur Herrgott Geneal. Diplom. Tom. I. Lib. IV. a pag. 230.

(i) In Chron. fusiori Hirsaug. pag. 545.

num hoc tempore a primævo inſtitutionis fervore tepuiſſet, multo magis id accidit in Monaſterio, cujus Rector non tam Paſtorem quam raptorem ſe exhibebat. Floruit adhucdum ſub initium hujus Sæculi obſervantia Regulæ, pluribusque annis perſeveravit. Exſtant labores Monachorum in Codicibus pulchro charactere conſcriptis; parumque nocuit Diſciplinæ externa pſeudo-advocatorum perſequutio. At ubi Crenkingenſis nomen Abbatis aſſumpſit, peſtis in viſcera ſerpſit, & ipſi diſciplinæ exitium attulit. Scholæ, quas Monachi curabant, jam Clericis relictæ, ſicut & alii labores monaſtici; Monachis ex ſtemmate nobili prognatis ad mundanos mores declinantibus. Magno, immo aliquot Sæculorum intervallo opus erat, donec Ordo Monaſticus in integrum reſtitueretur; licet res œconomicæ ſequenti Sæculo non nihil reſtauratæ viderentur.

SÆCULUM MONASTERII RHENAUGIENSIS *SEXTUM.*

Hartmannus ſenior Comes de Kiburg Moniales, quæ dicuntur Ordinis *ſancti Damiani*, eoquod S. Clara primitus hujus Sancti Eccleſiam Aſſiſii inhabitaverit, ab urbe Conſtantia anno 1253. transtulerat in locum Rhenaugia ſesqui hora diſtantem, qui a Rivo, ibidem ſe in Rhenum præcipitante, *Schwarza* dicebatur (a); ubi anno 992. Abbatem noſtrum Adelbertum cum aliis Nobilibus occiſum retulimus: quorum cladem *Paradyſi* nomen loco dediſſe, nonnulli autumant; verius tamen illud Moniales ex Suburbio Conſtantiæ, ubi prius habitabant, ſecum transtulerunt. Præeſt hac ætate huic Parthenoni magna cum laude Abbatiſſa *Maria Thereſia* unica filia Comitis de *Roſt*, quæ ſpretis mundi opibus, vitam Chriſti pauperem præelegit. Laudatus Comes de Kiburg anno 1258. alia latifundia huic Cœnobio contulit, redempto nexu feudali a Conſanguineo ſuo *Eberhardo de Lupphe*, Rudolpho de Winterberche, & Friderico de Randerburche, in præſentia Gottfridi Comitis de Lauffenberche, Hugonis de Oſſtringe, & Bertoldi Abbatis, tunc noſtri, aliorumque plurium (b). At præſenti anno 1278. *Joannes de Crenkingen*, qui forſitan idem erat cum eo, qui ſub nomine Abbatis Monaſterium noſtrum præmebat, unacum Conrado & Henrico de Winterſtetten,

 Pere-

(a) Charta apud Herrgott Num. 377.
(b) Ibidem Num. 420.

Peregrino de Stofflen, & Eberhardo de Büſingen, fundos illos Monialium armis invadere atque vaſtare eſt auſus, adeo, ut neceſſe fuerit, Nicolai III. Summi Pontificis auctoritate eum a nefario propoſito deterrere (c).

Nihilominus idem Joannes de Crenkingen anno 1280. ſe ipſum vocat *Dei gratia Abbatem Rinaugenſem* in quadam Charta, qua Henrico Vallaſſer facultatem tribuit bona quædam in Wilach, hodie *Bülach*, Monaſterio Rutinenſi, prope Turegum, tradendi, quæ a Burchardo Rinower Monaſterii noſtri Vaſallo emerat, ſub annuo tamen duorum denariorum cenſu (d). Ex dicta familia *Rinower* jam ſupra produximus quendam Henricum ad annum 1144. (e) In Monaſterio autem Fiſchingenſi claruit quidam Abbas Diethmarus de Rinow ad annum 1209.

Anno tandem ſequenti 1281. per *Rudolphum Cæſarem* liberata fuit Rhenaugia a diuturna Crenkingenſium oppreſſione. Cum enim, conventu Principum Francofurti coacto, multa ſalubriter contra latronum arces & latibula decreta fuiſſent (f), Rex ad ſuperiorem Rhenum exercitum movens, inter alias arces præcipue *Weiſſenburgum* infra Schaffhuſium in Cleggovia ſitum, poſt longam ſex ſeptimanarum obſidionem funditus evertit (g). Fertur Rudolphum monitum, cur ante arcem exiguam tamdiu hæreret, reſpondiſſe: ſe malle Caſtrum tardius demoliri cum ſalute corporum pugnatorum, a quibus ipſius virtus & gloria penderet, quam breviori temporis ſpacio cum eorum diſcrimine, & vitæ periculo triumphare (h). Erat porro non unum, ſed dupplex munimentum, ut ex ruderibus hodieque diſcernitur; quorum prius præcipitio impoſitum *Weiſſenburgum* dicebatur, alterum vero foſſa disjunctum, Nobiles illi raptores ex gentilitio nomine *Novam Crenkingen* vocitabant.

Cæterum deſtructis hiſce arcibus pax integra Rhenaugiæ reddita eſt. Nec ulla amplius *Joannis de Crenkingen*, Abbatiæ uſurpatoris, in monumentis noſtris occurrit mentio; cujus Familia deinceps a priſtino divitiarum ac honoris culmine

---

(c) Chron. Schaffhuſ. Mſc. pag. m. 290.

(d) Ex Codice Diplomatico Rütinenſi pag. 476.

(e) Apud Herrgott Num. 223.

(f) Trithem. in Chron. Hirſ. ad hunc annum.

(g) Hartmann in Chron. Einſidl. anno 1281. Fuggerus pag. 109. Martinus Gerbert Princeps S. Blaſii in Faſtis Rudolphi I. pag. CXXII.

(h) Jo. Wittodur. apud Eggard T. I. Col. 1750. & 1756. Stumpf. T. I. Lib. IV. Cap. 51.

mine nimium quantum defecit. Plura enim fucceffu temporis latifundia Crenkingenfes in utroque Pago Cleggoviæ & Alpegoviæ alienarunt; prout anno 1299. Alberto Cæfari vendiderunt Dynaftiam Crenkingen, quæ pignoris loco anno 1324. data eft Comitibus de Lauffenburg (i). Anno 1361. alteram Dynaftiam in Wutenthal (k) & anno 1371. Villam Wilchlingen Schaffhufiani compararunt (l), anno 1413. oppidum Thingen ad Dominum directum Epifcopum Conftantienfem rediit (m). Poftremo ex vicinia noftra expulfi, Dynaftiam Roggenbach ad breve tempus poffederunt; donec prorfus exfpirarent in Friderico de Crenkingen dicto de Weiffenburg circa annum 1470. (n)

CONRADUS II. ab HERTEN,

ABBAS XXXI.

Electus igitur a Fratribus Abbas *Conradus ab Herten*, ut tutum redderet ab invaforibus Monafterium, Advocatum expetiit Illuftrem Comitem *Eberhardum de Habfpurg*, Romanorum Regis patruelem, qui nomine uxoris Elifabethæ, filiæ Hartmanni Junioris Comitis de Kiburg, Comitatum Dunenfem & Burchtorfenfem obtinuerat, derivatum ex Anna matre Hartmanni forore Bertoldi V. Ducis Zaringenfis (o), unde ipfius pofteri nomen Kiburgicum adoptarunt, atque etiam nomine Landgraviorum Burgundiæ veniunt. Ipfam tamen Kiburgi arcem cum veteri Comitatu, & Turgoviæ provincia, Rudolphus nondum Cæfar occupaverat, poft mortem videlicet Hartmanni Senioris, qui ultimus ex ea profapia deceffit, cujus foror Hedwigis Mater laudati Cæfaris fuit.

Eodem anno 1281. Rudolphus ingenti mœrore affectus fuit ex naufragio *Hartmanni* filii fui fecundo geniti, quod Rhenaugiæ contigit (p), dum fecundo

 Rheno

(i) Herrgott Geneal. Diplom. Tom. I. Cap. 12. & 14.
(k) Ex Archivo Thiengenfi.
(l) Chron. Schaffhuf. pag. 356.
(m) Ex cit. Archivo Thiengenfi.
(n) Ex Recenfione Mfc. Nobilium de Crenkingen Eruditiff. de Koller Directoris quondam Regiminis Cleggoviæ.
(o) Guiliman. Lib. VII. Herrgott Tom. I. pag. 55. & 57.
(p) Annales Domin. Colmar. ad an. 1282. Albertus Argent. apud Urft. T. II. pag. 105. Vitus Arenbekius apud Bez. T. II. Col. 1229. Monafterium noftrum intelligunt Gerardus Roo p. 33. Latius p. 492. Wurftif. Chron. Baf. ad a. 1280.

Rheno descenderet, ad Patrem in Alsatiam profecturus (q). Conspicuum est monumentum in Basilica nostra, in cujus lapide sepulchrali sub Geroldo II. Abbate de Zurlauben sequentia leguntur incisa: *Viscera Hartmanni Principis Austriaci anno* 1281. *ad pontem Rheni submersi, condita.*

Anno 1282. cum *Eberhardus Comes de Habspurg*, pro more Advocatorum, inhabitaret arcem Rhenaugiæ ad superiorem portam oppidi, facultatem dedit Joanni de Eiche, quosdam fundos vendendi Monasterio Montis Angelorum (r). Ejus vero Frater Rudolphus Episcopus Constantiensis die 11. Maii Nobili Ministeriali suo Bertoldo Militi auf der Höri consensum præbuit vendendi aream in *Grünenberg* Religiosis Fratribus Wernero & Conrado Eremitis (s). Post quorum decessum pia Virgo *Elisabetha*, quam ex stirpe Habspurgica progenitam tradunt, cum quibusdam aliis ex Ratoldi Cella, Monasterium condere cœpit, in quo hactenus sorores juxta Regulam S. Francisci religiose vivunt. Laudata *Elisabetha* sanctitatis fama claret, cujus exuviæ anno 1631. cum honore elevatæ fuerunt. Habuit Eberhardus Advocatus noster filiam Elisabetham ejusdem Ordinis sororem, quæ tamen Friburgi Nuitonum sepulta dicitur (t). *Maria Theresia* Augustissima Romanorum Imperatrix eidem Grünenbergæ Cœnobio in memoriam Gentis Habspurgicæ quindecim modios tritici annuatim, quamdiu Ipsa viveret, dari constituit.

Anno 1284. virtuosus ille Comes *Eberhardus* (ut scribitur in Annalibus Colmariensibus (u) ante tempus obiit, Frater Episcopi Constantiensis, & Gottfridi Comitis quondam de Lauffenburg. Tutelam liberorum Eberhardi & Hartmanni in se suscepit *Rudolphus* Episcopus, atque simul Advocatiam Rhenaugiæ; ubi deinceps sæpius moram duxisse deprehenditur. Anno 1286. *Conradus* Abbas noster feudum quoddam in Buchberg & Riedlingen contulit cuidam dicto Sumenfro.

(q) Errant, qui hoc naufragium ponunt ad Confluentias vulgo Coblenz infra Zurzachium, vel ad oppidum *Rinow* prope Strasburgum, ut Tschudius. Quidam Anonymus tunc ex Gallia Regi Angliæ scripsit: Naufragio periisse Hartmannum, ipsius futurum generum, cum ex Brisaco Rhenum transmearet. Exstat ibi viculus sub nomine *Rinow*, ab utroque oppido distinctus. Videatur Gerbert Princeps S. Blasii in Topograph. pag. 103. & in Fastis Rudolphi I. pag. CXXV. & CLXXVIII.

(r) Apud Herrgott pag. 603.

(s) Ex Charta ejusdem Parthenonis.

(t) Guillimannus Habspurg. pag. 338.

(u) Apud Urstis. ad hunc annum.

menfro. Adminiftrator vero Advocatiæ Epifcopus in arce Rhenaugienfi confirmavit emptionem quandam pro Monafterio Rütienfi, haud procul Turego ad lacum fito, quæ facta eft die 14. Octobris Raperswilæ ab Elifabetha uxore Ludovici Comitis de Homburg; quem Contractum Epifcopo Rhenaugiæ confirmandum obtulit die 18. ejusdem menfis. Proximis annis plures recurrunt Chartæ itidem Rhenaugiæ a Rudolpho Epifcopo fignatæ. Nam die 16. Februarii anno 1287. fcripta eft Charta nomine Pupillorum ab Eberhardo relictorum in gratiam Monafterii S. Urbani. Die 5. Junii Epifcopus Rhenaugiæ adhuc degebat, quando ratam habuit aliam venditionem factam Monafterio Wettingenfi (w). Anno 1288. die 18. Novembris Rhenaugiæ confirmavit Indulgentias quasdam altari S. Catharinæ Turegi in Grofs Münfter a Conrado Epifcopo Lavantino conceffas (x). Anno 1289. die 7. Martii facultatem tribuit Monafterio S. Joannis in Valle Thuræ, vendendi quædam bona immobilia Monafterio Petri Domus. Eödem anno die 11. Julii confirmavit quoddam inftrumentum Ecclefiæ in Altorff Uraniorum (y). Hæ Chartæ omnes Rhenaugiæ ab *Epifcopo Rudolpho* fubfcriptæ, luculento teftimonio funt, quanta cura nomine Nepotum fuorum, qui procul dubio Rhenaugiæ educabantur, Advocatiam Monafterii noftri adminiftraverit, atque Conrado Abbati noftro familiaris exftiterit.

Eodem anno *Conradus Divina permiffione Abbas Monafterii Renaugenfis*, ut fe in litteris vocat, tanquam unicus Judex a Sede Apoftolica delegatus, citavit ad Monafterium fuum quendam Petrum Clericum ex Neopurgo, cum Cunone cive Solodorenfi & filio ejus Henrico, ex nobili familia de Grans (z), ut poft feftum S. Hilarii inftantis anni caufam coram fe dicerent. Ex qua Charta pendet figillum oblongum, quod exhibet Abbatem tonfum, & ftola amictum, qui dextra baculum paftoralem, finiftra librum tenet, cum fequenti infcriptione: *Sig. Conradi Renaugenfis Ecclefiæ Abbatis.*

Anno nonagefimo primo fupra millefimum & ducentefimum *Domino Henrico de Prasberg* Monacho Rhenaugienfi, & Ecclefiæ Cuftodi, totique Conventui Vir Nobilis *Lutholdus de Regenfperg* Senior, Dominus in Balm, vendidit prædium quod-

(w) Chartæ apud Herrgott Num. 641. 643. & 653.
(x) Ex Archivo Turicenfi apud Dürfteler Mfc.
(y) Ibidem pag. 113.
(z) Ex Archivo Capituli Solodorenfis, & Monumentis Illuftriffimi Baronis Fidelis Antonii de Zurlauben Tom. VIII.

quoddam in villa *Nack* Cleggoviæ, in vigilia S. Jacobi in dicta arce Balm, seu Palp, diverso enim modo scribitur. Sequenti vero die festivo solemnis traditio subsequuta est ad summum altare Basilicæ nostræ, in præsentia Abbatis Conradi, Dominorum de Conventu, & civium Rhenaugiensium. Litteræ tandem feria sexta post dictum festum signatæ sigillis utriusque Lutholdi de Regensperg Senioris & Junioris, qui illius ex fratre nepos erat, nec non *Rudolphi Comitis de Habspurg*, filii Gottfridi. Memorati Monachi ex familia de Prasberg calicem pro sacrificiis argenteum auro tectum formæ antiquæ conservat sacra suppellex nostra, in cujus pede sequentia insculpta leguntur: *Dedit hunc calicem Tibi Christe Heinricus Monachus de Prasberc hujus Claviger Ecclesie.*

Eodem anno die ultima Septembris mortuo Rudolpho Romanorum Rege electus a potiore Principum Electorum parte Adolphus Nassoviensis, cui inter alios homagium præstitere tres Helvetiorum Pagi Urania, Suizia & Subsilvania. Hinc Alberti Austriæ Ducis, filii Rudolphi, in eos iræ, qui coronam Imperii non minus ambiebat. Is Rudolphum Episcopum Constantiensem, licet cognatum suum, armis persequi cœpit, ob tutelam in filios Eberhardi & Gottfridi Comitum de Habspurg, atque ob Advocatiam Rhenaugiæ, quam Episcopus in se susceperat. Restitit tamen ille Duci constanter ad mortem usque (a); adlectis in fœdus Tigurinis, Wilhelmo Abbate S. Galli, aliisque pluribus, quorum ope oppidum Buchorn occupavit, & querelas ad Regem Adolphum detulit, quo bello memorabilis cædes Tigurinorum contigit in obsidione Witoduri; cum Episcopus, fraude præventus, copias suas illis nondum conjunxisset. Tandem idem Venerabilis Episcopus (b) die 3. Aprilis anno nongentesimo tertio in prandio vitam finivit. Ei suffectus est Henricus de Clingenberg, antehac Rudolphi Cæsaris Cancellarius. In Necrologio Monasterii S. Galli III. Nonas Aprilis post Pirtilonem Abbatem Rhenaugiensem leguntur sequentia: *Rudolphus Episcopus Constantiensis, Comes de Habspurg, S. Galli quondam Monachus.*

Anno 1294. Lutholdus de Regensperg Senior Castrum & Dynastiam Balbe *Rudolpho Comiti de Habspurg*, Gottfridi filio, pro mille sexcentis & triginta quatuor marcis argenti vendidit. Contractus celebratus fuit in ipso Monasterio Rhenaugiensi, præsentibus Abbate Conrado, Henrico de Prasberg Custode, nec non

(a) Mannlius. Tschudius ad hunc annum, & pag. 223.

(b) Mannlius. Annales Colmar.

non Cellario, atque Camerario Monachis (c), Conrodo Parocho ad ſanctum Nicolaum, Wernero & Henrico de Uſtetten, Hermanno Ling, Joanne Huſer, & Rudolpho Haudknab, civibus Rhenaugiæ, aliisque pluribus. Eodem tempore cum Eberhardus & Hartmannus (Eberhardi de Habſpurg, & quondam Advocati Rhenaugienſis filii) hæreditarias ex Matre ſua Anna, ultima Kiburgici ſtemmatis ſobole, poſſeſſiones in Burgundia adiiſſent, in Thun & Burgdorff deinceps ſedem fixuri; memoratus *Rudolphus* eorum Patruelis, Comes in Lauffenburg, potentia non minus quam humanitate celebris, præmortuo ipſius fratre Gottfrido hujus nominis ſecundo, electus eſt Advocatus Rhenaugienſis Monaſterii, ſub cujus tutela haud modicum incrementum ſumpſit. Idem Comes & Advocatus ſequenti anno præſens erat in Monaſterio noſtro die prima Auguſti; cum ſæpe dictus Lutholdus Senior de Regenſperg curiam in Eſchingen vendidit Monaſterio S. Blaſii; cui Chartæ Conradus Abbas noſter & Diethelmus de Crenckingen (d) ad petitionem partium contrahentium, & memoriam rei ſic geſtæ, ſigilla ſua appenderunt. Erant porro præter Rudolphum de Habſpurg *Domicellum* præſentes Milites Eberhardus de Rote, & alius dictus Schwager. Regenſpergii quondam potentiſſimi per bella, quæ infelici marte geſſerant cum Tigurinis, & Rudolpho, antequam Rex Romanorum eligeretur, compulſi pleraque latifundia alienarunt; nam & oppidum Kaiſerſtuhl a cognomine familiæ ad eos derivatum, cum proxima Rheno arce Rötelen Epiſcopo Conſtantienſi Henrico de Clingenberg pro octo millibus argenti marcis anno 1298 vendiderunt. (e)

Interea Laudatus Epiſcopus inter inſignes Monaſterii noſtri Benefactores meruit cooptari. Cum enim ex Nobilium de Crenckingen oppreſſione nondum ſatis emergere potuiſſent Monachi noſtri, ita ut defectum intolerabilem temporalium paterentur, ut loquitur in Charta Epiſcopus, compaſſionis oculis intuens Abbatem & Fratres, qui labore diei & æſtus ſub diſciplina Monaſticæ Religionis Domino jugiter famulabantur, tractatu ſolemni præhabito, & Capituli communicato conſilio, ipſiusque conſenſu obtento, Eccleſiam Parochialem S. Nicolai in Monte & oppido Rhenaugienſi, cujus Patronatus jam ad Monaſterium perti-

(c) Charta apud Herrgott Num. 672.
(d) Ibidem Charta 674.
(e) Bucelin. Conſt. Chron. ad an. 1298.

pertinebat, menſæ & uſibus Abbatis & Conventus anno 1296. dedit, ac liberaliter donavit, aſſignata Presbytero ſæculari tanquam Vicario perpetuo congrua ſuſtentatione. Chartæ appenſa fuerunt ſigilla tam Epiſcopi quam Capituli Cathedralis. Erant illo tempore duæ Rhenaugiæ Parochiales Eccleſiæ, una memorata S. Nicolai in oppido, altera SS. Felicis & Regulæ in Monaſterii Inſula, quæ per Monachum, qui & cuſtos Baſilicæ erat, adminiſtrabatur. Prior illa plures ſub ſe numerabat Eccleſias filiales tam ex una quam ex altera Rheni parte, nempe Martelen, Ellikon, Benken, Altenburgum, aliasque. Præterea Rhenaugiæ major pars civium ad illam S. Nicolai pertinebat, quæ ſuperiori oppido incluſa erat, ac muro diſtinguebatur a reliqua parte oppidi inferioris, ubi Parochiani Monaſteriales domicilia ſua habebant. Enim vero cum ſuperior pars per Comites de Lenzburg ſuperiori Sæculo in Caſtrum excreviſſet, plerique civium (ut exprimitur in Charta) cauſa muniendi ſemetipſos, atque in tutum collocandi in ſuperius oppidum migrarunt; unde evenit, ut Parochia Inſulana SS. Felicis & Regulæ ferme deſolata relinqueretur.

Cum porro per hanc Epiſcopi diſpoſitionem huic malo nondum ſufficiens remedium fuiſſet paratum, Abbas & Conventus iterum ſupplicarunt Epiſcopo, qui pia ſolicitudine condolens novo indulto conceſſit, ut & ſuperior Eccleſia Parochialis S. Nicolai tota Regularis efficeretur, atque per Monachum adminiſtrari poſſet, cedentibus aut decedentibus ſæcularibus Presbyteris Plebano & *Incurato*, ſeu Sacellano curam habente. Data eſt deſuper altera Charta cum ſigillo Epiſcopi, de mandato quidem ipſius, in ejus tamen abſentia, per vices gerentes Canonicos Cathedrales Magiſtrum Waltherum Scholaſticum, & Conradum Pfefferhart Præpoſitum S. Joannis, ex cujus proſapia anno 1346. Udalricus III. Epiſcopus Conſtantienſis prodiit. Hoc ipſo porro tempore, quo ſignata eſt Charta, nempe die 28. Julii anno 1298. Benefactor noſter Henricus Epiſcopus degebat in Caſtris *Alberti* Ducis Auſtriæ, mox futuri Romanorum Regis, cujus partibus una cum Abbate noſtro favebat. Cœpit enim Albertus, diverſis in Adolphum Naſſavienſem Cæſarem querelis motis, ad Imperium ardentius aſpirare, effecitque, ut eodem anno a quinque Electoribus, refragante Trevirenſi & Palatino, ipſi deferretur corona Imperii. Utrinque arma ſumpta, & auxilia comparata; inter quæ ex vicinia noſtra plerique Nobilium cum Henrico Epiſcopo Conſtantienſi adhæſere Alberto. Wilhelmus tamen Abbas S. Galli ſuppetias Adolpho adduxerat, tribus Helvetiorum pagis, indignante Alberto, arma conti-

continentibus. Mox ex utraque Rheni ripa infesti exercitus descendunt, cæsoque die secunda Julii apud Rosenthal, inter Spiram & Wormatiam, Adolpho, Albertus denuo a cunctis Electoribus Rex salutatur, nulla interposita mora Aquisgrani coronatus. Tum is superiorem Rhenum relegens, amicos magnis muneribus affecit, collata Henrico Episcopo Augiæ Abbatia, quæ tunc opportune vacabat; qua quidem modeste usus est Episcopus, cum Monasterii bonis insigniter auctis, post aliquot annorum intervallum, sponte resignans passus est Monachum eligi Præsulem.

Sensit quoque munificentiam novi Regis Rhenaugia; nam Diplomate die sexta Novembris signato, Abbati ac Conventui nostro *Vallem Flacensem*, ad latus Kiburgici Comitatus, & Andolphingensis Dynastiæ sitam, cum Villis *Flach & Volken* concessit, jure Præfecturæ adnexo, quo, quidquid ad sanguinem & mortem malefactorum non spectat, judicio Monasterii subiicitur (f). Merito igitur inter Benefactores nostros locum sibi vindicat *Albertus Cæsar*, quem licet quidam nimiæ cupiditatis bonorum temporalium insimulent, munificum tamen erga Ecclesias fuisse, etiam minime partiales tradunt (g). Cæterum licet Albertus hoc in Diplomate Rhenaugiam suum Monasterium vocet (h), id tamen suprema Imperii auctoritate, non autem Advocatiæ titulo factum fuisse, constat, quam hoc ævo tenuere Comites Lauffenburgo-Habspurgici. Recensetur Rhenaugia inter Monasteria, quorum Advocatias involarit Albertus (i); verum de particularibus prædiorum Advocatiis seu præfecturis, in territorio ipsius existentibus duntaxat id intelligendum esse, ex mox dicendis constabit.

Etenim anno proximo 1299. sæpe laudatus Cæsar Albertus a Nobilibus de Crenkingen plura latifundia in Cleggovia coëmit; inter quæ fuere quædam Advocatiæ a Monasterio nostro Rhenaugiensi derivatæ, quas Crenkingenses usurparunt. Exstat *Urbarium Ducum Austriæ* (k) omnes proventus eorundem in superiori Germania continens, quod primitus jubente Cæsare Alberto anno tertio

 supra

(f) Fuslin Staatsbeschreibung Tom. I. pag. 155.
(g) Tschudius Annal. hoc anno.
(h) Dem Würdigen und Ersamen unsers Closters Rinow Abt und Convent.
(i) Tschudius ibidem pag. 223.
(k) Tschudius ex Authographo Badenæ descripsit, transumptum ex Monasterio Engelbergensi mihi communicatum. Excerpta habent Schœpflinus & Herrgottus Geneal. Dipl. Tom. II. Num. 687. pag. 566.

ſupra milleſimum & trecenteſimum a Magiſtro Burchardo Frick confectum, anno autem nono poſt Patris obitum ex mandato Filiorum Auſtriæ Ducum ab eodem reviſum & perfectum eſt. Ex eo liquet, eosdem Duces ſe *Dominos in Crenkingen* nominaſſe, non quod ea familia tunc expiraſſet, prout exiſtimabat Tſchudius, ſed quod multa ex eorum dominio per emptionem obtinuiſſent.

Notantur in hoc Urbario Prædia in *Lauchringen* ad Rhenaugiam ſpectantia (l) cum quibusdam præſtationibus annuis Advocatiæ nomine Domui Auſtriacæ ſolvendis. Multo autem plura ſubjiciuntur *Erzingæ*, ex quibus ultra triginta modii tritici eodem jure debeantur (m) cum medietate Juriſdictionis tam in Erzingen, quam in *Rechberg*, quæ alias integra in antiquiſſimis Urbariis noſtris Monaſterio adſcribitur, ſolo Jurisdictionis exercitio Advocatis competente. In prædiis *Wiſswila* ſitis tum integra tum media Advocatia, cum emolumentis inde provenientibus iisdem Ducibus abſcribitur, prout etiam in *Mettingen* & in *Utenhoven*, quæ numerantur inter poſſeſſiones Rhenaugiæ proprias, Præfecturam vero olim Henricus de Tengen Alberto de Clingenberg, & hic Alberto Cæſari vendiderat. In Comitatu Kiburgico, ſeu ad Præfecturam Dieſſenhovenſem, notantur prædia quædam in *in Trüllikon, Mörla, Wilgisbuch, Rode, Andenſingen,* alibique Advocatiæ cenſita. Denique piſcationis in *Rudiſar* Advocatia prætenditur ſub annua præſtatione unius piſcis ſalmonis, quem uno anno Præfecto in Dieſſenhoven, altero in Crenkingen piſcatores teneantur. Hunc piſcem annuatim præſtant piſcatores, alias Rhenaugiæ ſubjecti, Monaſterio Creützlingano eodem titulo Advocatiæ, qui per emptionem unacum Præfectura in Trullikon ad illud Monaſterium pervenit, ſalvo nexu feudali, quo Rhenaugiæ obligatur. Eodem modo aliis, ad quos Jurisdictio emptione aut alio titulo in memoratis Prædiis hactenus pervenit, dantur præſtationes annuæ nomine Advocatiæ.

Annum

(l) Ze oberlochingen iſt ein hofe, und zwei ſchupos, die hörend gen Rinowe, die geltend ze Vogtrecht VI. Viertel Roggen II. mut haber.

(m) Ze Erzingen ligend huben, Schupos, und Hofſtett, die des Gottzhus von Rinow eigen ſint, die gend der Herſchaſſt ze Vogtrechte XXXI. mut und IIII. Viertel kernen. Die Herrſchafft hat ze Erzingen und ze Rechberg den halben teil Zwing und Bannes, und den halben teil ze richten düb und frevel. Sic de aliis ſequentibus, cum in ſingulis ferme Villis ſpeciales Advocati eſſent, qui nomine Monaſterii jurisdictionem in ejus prædia exercebant, & hinc quasdam præſtationes *Vogt ſtuck ſeu Vogt recht* ex ipſis prædiis accipiebant.

Annum millesimum supra trecentesimum Bonifacius VIII. Pontifex Max. primo Jubilæo memorabilem fecit. Rhenaugiæ autem novi Benefactores ex Argovia prodiere *Jacobus dictus Nenno & Adelheit ipsius uxor Cellaria de Lenginanck;* qui pro salute animarum suarum libere donaverunt curiam suam mediam sitam in *Küllinwangen*, & duas scoposas sitas in *Sulze* (n) Monasterio Beatæ Mariæ in Rinaugia. Facta est ista donatio in strata publica, qua itur ad Monasterium, præsentibus Conrado Abbate, Henrico Cellario dicto de Eitlingen, Echo Scholastico, Henrico dicto an der Lewe, Ravelino, Hermanno dicto Ling, Joanne de Trullikon, Rudolpho dicto Handknabe, Conrado dicto Fürst, ejusque filio Ulrico, Henrico Eppico, & Hugone famulo Domini Abbatis, coram Domino Conrado dicto in Clivo inferiori, sigillum suum appendente *Henrico Nobili de Radegge*, qui & ipse Rhenaugiæ incola Benefactor evasit. Ultimum hoc monumentum est *Conradi ab Herten* Abbatis nostri, qui rebus bene gestis die vigesima tertia Octobris hoc ipso anno obiisse traditur.

HENRICUS IV. de EITLINGEN,

ABBAS XXXII.

Successit in Abbatiali dignitate Conrado prælaudatus Cellarius *Henricus de Eitlingen*, cujus nomen occurrit in monumento quodam (o), cui auctoritate sua publicam fidem fecit, de immissione in bona Materna a Lutholdo Juniore de Regensperg, filio Udalrici, & Adelhaidis de Pfirt, obtenta per Fridericum Ducem, Alberti Regis filium, Hermannum de Sultz Judicem Aulicum, & Nicolaum de Wartenfels itidem Alberti Regis Judicem, ubi se Henricus noster vocat *Dei ordinatione Abbatem Monasterii Renaugensis*, & Abbatiale Secretum appendit, quod ante annum 1303. vix contingere potuit. Die ultima ejusdem anni *Ulricus & Walterus de Altenklingen* cesserunt Rhenaugiæ Decimas quasdam in Benken, quas Rudolphus Brunsi feudi loco possidebat, appenso Ulrici sigillo. Walterus Ducum Austriæ Præfectus evasit.

Anno 1304. Albertus Rex tribus Communitatibus Helvetiæ Præfectos suo & Imperii nomine dedit, Suitiæ & Uraniæ Geslerum Equitem, Silvaniæ Beringerum a Landenberg; quibus præcepit, ut eas præfecturas modeste & æquiter habe-

(n) Küllîwangen in Comitatu Badensi haud procul Wettinga.

(o) Charta ex Archivo Oenipontano Cæsareo apud Herrgottum Num. 692. ad an. 1300. melius reponenda ad annum 1303.

haberent, nec ultra earum privilegia præmerent (p). Necessarium illud monitum erat, quamvis apud istos frustraneum; cum Præfecti, alia mercede destituti, non solum ex mulctis subjectorum necessaria quærere, sed etiam ditescere cuperent.

Anno sequenti 1305. cum nonnulli de Alsatia jura quædam obtenderent in prædium Nakense, quod Custos Ecclesiæ Henricus de Brasberg anno 1291. emerat; effecit Abbas, ut illi sponte cederent, nimirum Wetlicus Rector in Münchwiler, Nicolaus, & Adelhaidis soror ejus, Lotfridus, Catharina & Walterus. Data est Charta die 15. Septembris in *Etonis* Monasterio, cum ejusdem Abbatis *Nicolai* appenso sigillo. Nobiles de Kenried Gerungi pater & filius medietatem filiorum Adelhaidis uxoris Conradi de Wissweil liberaliter donarunt. Similis cessio facta est Rhenaugiæ anno 1306. a Nobili Domina *Ita* vidua relicta Rudolphi de *Griesstheim*. Cum enim iidem pii conjuges jam sub Bertoldo Abbate Monasterio Rhenaugiæ dedissent decimam Huobam & Silvam in *Rechberg*, Scoposas in *Griesstheim*, alteramque cum pratis & silvis in *Riederen*, memorata Domina Ita post mortem Mariti eosdem fundos cum pensione in Rheinheim precario hactenus possidebat. Verum die 15. Junii hujus anni cuncta hæc sponte resignavit in manus Abbatis Henrici, recepta in vicem ad dies vitæ pensione ex decimis in Martelen, quæ deinceps Rhenaugiæ ipsi præstanda foret. Testes huic Chartæ adscribuntur *Joannes de Trüllikon dictus Schwager*, Bertoldus de Balbe, Otto & Lutholdus de Ulingen fratres, Heinricus an dem Lewe, Petrus Doctor puerorum Monasterii Rhenaugiensis, Albertus Scultetus, & Rudolphus dictus Wotulgos. Memorantur ibidem duo in Abbatia Rhenaugiensi Prædecessores Bertoldus & Conradus, omisso Joanne de Crenl ingen, quod ob tyrannidem memorandus non videretur. Eodem anno pie obiit eximius Benefactor noster *Henricus de Clingenberg* Episcopus Constantiensis, & quondam Frisingensis, Scriptor cujusdam Chronici Habspurgici (q), cui a Pontifice suffectus Gerardus de Benar Avenionensis.

Anno 1307. *Bertoldus Schöbeli civis in Gravenhusin*, servus Monasterii Rhenaugiensis, bonum aliquod in *Mettingen*, quod a Sancti-Monialibus ejusdem loci Gravenhausen, Abbati omnium Sanctorum Schaffhusii subjectis, pecunia certa numero & pondere persoluta comparavit, Rhenaugiæ cessit in redemptionem juris

(p) Hartmann in Chron. Einsidl. pag. 278.
(q) Mannlius in Chron. Const. pag. 674.

fis fpolii omnium rerum tam mobilium quam immobilium, quod bonum annuatim folvit duos modios tritici, & totidem avenæ, falvo tamen jure mortuarii, pro quo poft mortem ipfius folvenda una marcha argenti puri, unacum veftibus ejusdem Bertoldi. Neque tamen hoc contractu a dominio Monafterii abfolutus cenfeatur, fed quamdiu vixerit, fit omni fidelitate & obedientia obligatus. Litteræ expeditæ funt a *Conrado de Liebenfels* Abbate Schaffhufiano, cum confenfu Præpofiti Joannis de Witilo, & Monialium in Gravenhaufen. Ex quibus conjicere licet, quanti fuerit æftimatum illo ævo jus in ligios homines; quorum commutatio aliqua eodem anno occurrit cum *Bertoldo Abbate S. Blafii*, requifito utriusque conventus confenfu, & appenfo etiam noftri Rhenaugienfis Capituli figillo, quod hactenus ex ære fufum confervatur.

Ineunte anno fequenti 1308. Cæfarei Præfecti & Miniftri Imperiales, eorumque amici & fectatores a tribus Communitatibus Urania, Suitia & Subfilvania partim cæfi, partim ejecti funt; quia tyrannide & libidine debachabantur: arces Nobilium dirutæ, domus eorum everfæ; tribus Communitatibus ad decennium fibi mutuo fœderatis (r). „Ubi vero ea, quæ evenerant Cæfar co„gnovit, conventum Badenæ primo vere coegit, & de perfequendis illis confilia „iniit, Lucernenfibus, Tuginis, Glaronenfibus, & cæteris vicinis Auftriacæ „Domus fubditis, comeatuum ne copiam facerent, inhibuit, omnesque ad arma „cohortatus eft. Ipfe deinde Rhenofeldam ad Elifabetham Reginam profecturus, „cum trajectum Vindonicenfem cum Duce Joanne, ex Rudolpho fratre præ„mortuo nepote, & nobilibus Rudolpho de Warth, Walthero de Efchenbach, „& Udalrico de Balm transmififfet atque cum Equite de Caftell loqueretur, ab „eodem Joanne, qui Paternam hæreditatem, præfertim Comitatum Kiburgi & „Turgoviæ, contra fas detineri querebatur, Kalendis Maji interfectus eft. Ere„miticam vitam in eodem loco mox cum focio orditus eft Minifterialis Bertoldus „Strebel de Offteringen, donec infigne Monafterium utriusque fexus a Regio „Campo dictum conftrueretur“ (s). Corpus Regis principio Wettingæ in Monafterio Ciftercienfis Ordinis conditum fuit, ubi monumentum ex ingenti lapide hactenus vifitur; quousque Spiram poft annum & quatuor menfes defferretur. Eodem anno 1309. Rhenaugiæ nobili Viro de *Girfperg* bonum in Huckart feudi loco conceffum fuit.

At

(r) Hartmann in Chron. Einfidl. pag. 278.
(s) Tfchudius in Chron. Helvet. pag. 252.

At Henricus Abbas noſter ſe ſpecialiter devotum exhibuit erga *S. Blaſium* Epiſcopum & Martyrem, Patronum noſtrum præcipuum; ad cujus altare Capellaniam, amplis redditibus additis, fundavit, obſtricto Sacellano ſeu Sæculari ſeu Regulari, ut ſingulis diebus, una dumtaxat per hebdomadam excepta, ibi celebret, in animæ ſuæ remedium, & omnium fidelium defunctorum, maxime eorum, qui ad dictam fundationem aliquid contulerint. Acceſſit ad hanc ordinationem conſenſus Conventus, & confirmatio Epiſcopi Gerhardi die 6. Octobris anno 1310. Quo anno Rudolphus Comes de Habſpurg Advocatus noſter ab Henrico VII., quem Alberto Principes ex Comite Luzenburgi ſuffecerant, datus eſt quoque reliquis hiſce Regionibus ſuperioris Germaniæ Advocatus, cum ille ad coronam Imperii capeſſendam in Italiam proficiſceretur (t). Exſtant ejusdem Rudolphi litteræ, quibus in Balm filias Joannis Chuderer capaces reddit feudi maſculini, ſiti intra poſſeſſiones ad Monaſterium Rhenaugienſe pertinentes (u). Vocatur in illis Litteris Dominus *Raperſwilæ*, nimirum *Novæ*, quam adquiſierat per uxorem ſuam Eliſabetham, ultimam illius proſapiæ; nam *Vetus Raperſweil* ceſſerat ejus filio Wernero, quem pepererat primo Marito ſuo Ludovico Comiti Hombergenſi: verum extincto Wernero utrumque oppidum Raperſweil Habſpurgicis accrevit. Cæterum *Rudolphus Advocatus* Liberalem ſe exhibuit non ſolum Hoſpitali Schaffhuſiano, cui fundos quosdam in Lottſtetten donavit, ſed etiam Monaſterio Rhenaugienſi, cui ceſſit medietatem juris, quod habebat ſuper *Dominam Willeburgam* filiam Domini Lutholdi. Adelhaidi vero de Regenſperg, ejusque filio Lutholdo Juniori idem Comes Rudolphus Caſtrum *Balbæ* reſtituit, quod tamen poſt modicum tempus rediit ad Comites de Habſpurg (w).

Inter hæc cum Eliſabetha uxor Rudolphi Comitis de Habſpurg obiiſſet, relictis filiis Rudolpho & Joanne, Ille ſecundam duxit uxorem Mariam Comitiſſam de Oetingen, cui pro dotalitio & penſione conſtituit *Arcem Rhenaugienſem cum Advocatia Monaſterii*, prædio in Martelen, & nonnullis alibi ſitis. Fatetur autem in Charta, Advocatiam Rhenaugiæ feudum eſſe Imperii, cum juxta Diplomata noſtra Advocatus ab Abbate & Conventu electus Bannum Imperiale obtinere debeat. Eodem anno 1311. *Diethelmus de Crenkingen* dedit Monaſterio noſtro

(t) Tſchudius in Chron. Helvet. ad hunc annum.

(u) Apud Herrgott N. 712. & 7016. ubi vocatur Advocatus Provincialis.

(w) Ibidem N. 708. —9. —11. —15. —20.

noſtro Beatæ Virginis Mariæ Adelhaidem uxorem Conradi de Rieden; & *Conradus de Tengen* Sifridum Dörflinger. Proximo vero anno ſimilium hominum ligiorum commutationes factæ ſunt cum Eliſabetha Abbatiſſa Turicenſi, & alia Abbatiſſa in Othmarsheim, ac denique cum Henrico Abbate S. Trutperti, cujus ſigillum Chartæ adhæret. Advocatus vero noſter *Rudolphus de Habſpurg* quorundam factione, indignantibus Helvetiis, anno 1313. amotus fuit a Præfectura Provinciali (x); qui in Galliam receſſiſſe fertur. Mortuo quoque Henrico VII. in Schismate duo Cæſares electi fuerunt Fridericus Auſtriacus, filius Alberti, & Ludovicus Bavarus. Poſteriori adhæſerunt tres Helvetiorum pagi, reliquis in vicinia noſtra Auſtriaco adhærentibus.

Floruit nihilominus hoc tempore nonnihil Schola Rhenaugienſis, cui duos Magiſtros *Echonem & Petrum* Sacerdotes Sæculares præfuiſſe vidimus. Educatus in ea fuit *Rudolphus a Radegg*, & liberalibus diſciplinis apprime imbutus; cujus familiæ, inter Nobiles Schaffhuſianos haud ultimæ, duæ arces haud procul Rhenaugia exſtitiſſe feruntur, una in colle proximi montis Juraſſi, altera haud procul a Jeſtettenſi villa (y). Rudolphus igitur ſacris initiatus ob præclaram eruditionem Scholæ Monaſterii Einſidlenſis præfectus fuit. Ibi anno 1314. duram ſortem cum Monachis primæ Nobilitatis expertus, a Suitenſibus inſperato irruentibus captus, proprio experimento didicit, quæ poſtea duobus libris ligata oratione non ineleganter enarravit (z). Pro redemptione captivorum, præſertim filii ſui Monachi ſcripſit epiſtolam ad Suitenſes ex arce Balm, Rhenaugiæ proxima, Rutholdus de Regenſperg, & alteram *Rudolphus Comes de Habſpurg* Advocatus noſter, filius ſuperioris ejusdem nominis; in qua ſpecialiter intercedit pro Rudolpho Scholarum Magiſtro ſibi notiſſimo, & tum ex tutela Rhenaugienſi, tum jure proprietatis debito; erat enim ex Miniſterialibus Domus Habſpurgicæ natus (a). Libertas poſt undecim hebdomates captivis data eſt; Rudolphus vero reſumpto docendi munere ingenuos juvenes, factos poſtmodum Epiſcopos & Abbates, erudivit, in monumentis noſtris poſtliminio Benefactor reverſurus.

Anno

(x) Tſchudius hoc anno. Ejus mortem differt Herrgottus Tom. I. pag. 238.
(y) Stumpf. Lib. V. Cap. 36. Rüger in Chron. Schaffh. Mſc. pag. m. 337.
(z) Hartmann in Chron. Einſidl. hoc anno.
(a) Tſchudius utriusque litteras exhibet. Herrgott N. 718. ibi: Aber ſunderlich umb Meiſter Rudolph den Schulmeiſter, der uns von Eigenſchafft zuhört.

Anno 1315. Novus Advocatus Rhenaugiensis *Joannes I. Comes de Habspurg*, filius senioris, fraterque junioris Rudolphi, Badenæ coram Rege Friderico, die 7. Junii confirmavit pignus vitalitii, olim Novercæ suæ Mariæ de Oetingen concessi, in arcem & Advocatiam Rhenaugiensem, præsentibus Hartmanno Comite de Kiburg, & Lutholdo de Crenkingen (b). Quo eodem in loco post nudium tertium laudatus Rex Fridericus ratum habuit pactum mutuæ successionis Fratrum Uterinorum Werneri de Homberg, & Joannis de Habspurg; ubi specialiter exprimuntur Imperialia feuda, nempe Telonium in Flülon, hodie Flüelen ad ripam laci Uraniensis, & vicissim *Advocatia in Rinowe*, & Comitatus Cleggowe. Friderici Regis frater Leopoldus Bellicosus Dux Austriæ, hoc anno gravi clade affectus est a Fœderatis pagis Helvetiorum apud *Morgarten* die 16. Novembris, cum ille ulturus esset Suitensium invasionem in Monasterium Einsidlense, cujus Advocatus exstiterat. Fertur in illo prælio occubuisse Rudolphum Fratrem Joannis I. de Habspurg (c). Hoc denique anno Mechtildis Eberhardi cujusdam nobilis Viri filia Rhenaugiæ partem curtis in *Metmanhaslen* cessit, accepta vicissim quadam pecuniæ summa. Ejus Advocatus in hoc contractu fuit Rudolphus nobilis de Otwile, seu de Otwilare Tigurinus, ex cujus familia quondam Abbas noster Diethelmus prodierat. Nomine Monasterii causam dixit Albertus Scultetus Rhenaugiensis; Judex denique fuit Rudolphus de Linkhoven Consul Tigurinus. In alteram quoque prædicti Prædii partem jus suum cessit pro stipulata pecunia Vir nobilis Udalricus de Niderhasla, mediantibus Henrico de Rümlang, Gerhardo de Tüffen, Henrico de Freienstein, aliisque Equestris Ordinis.

Anno 1317. Nobiles de *Tannegge*, ex quorum antecessoribus administrator Abbatiæ nostræ fuit Henricus Episcopus Constantiensis, Hugo, Gertrudis, & Agnes fundum quendam in *Munolfingen* dictum in Turna Rhenaugiæ donaverunt pro anniversario celebrando intuitu eorum Fratris Germani Nicolai de Tannegge (d) tunc Domini Conventus seu Monachi Rhenaugiæ. Sequenti anno 1318. mortuo Gerhardo Episcopo successit Constantiæ Rudolphus de Montfort. Abbas vero noster Henricus de Eitlingen gravem litem evicit contra *Lutholdum de Regensperg*,

(b) Apud Herrgott Chart. 720. & 721. Item Charta 808. ubi præponitur Rhenaugia Cleggoviæ: Die Statt Rinow, und die Herrschafft in Cleggow, mit allem &c.

(c) Tschudius in Chron. Helvet. pag. 273. Colum. 1. Hartmannus in Chron. Einsidl. hoc anno.

(d) Des herrn Niclaus von Tannegge Closterherren ze Rinowe. Muolfingen ad Danubium in pago Badensi.

sperg, qui anno 1319. adhuc possidebat Dynastiam in Balm Rheno adjacentem; quapropter Rhenum ipsum cum jure piscandi, saltem quoad medietatem exigebat, ab influxu torrentis Folkenbach in Rhenum, usque ad locum, qui Werth dicebatur. Res commissa Judicibus Arbitrariis, & Abbas quidem elegit Eppium de Schwandegg, & Wenceslaum de Goldenberg; Regenspergius autem Conradum de Tengen, & Eberhardum Schwager de Schaffhusia; quibus additus est quintus arbiter Conradus Schultetus oppidi Badensis. Hi omnes controversiam deciderunt pro Abbate & Monasterio Rhenaugiensi, cui jam a Ludovico Rege Germaniæ Sæculo IX. totus & integer Rhenus per illum tractum attributus fuerat. Testes huic decisioni adhibiti fuerunt: Henricus de Tengen, Henricus de Freienstein, Joannes Truchsesius de Diessenhoven, Nobilis de Randegg, Fridericus Schultetus de Schaffhusa, Nobilis de Ulma, Rudolphus de Wasserstelzon, Nobilis de Balbe, Udalricus & Henricus de Manndach, Lutholdus de Ulingen, Eppius Schultetus de Rinaugia, Marquardus & Hartmannus de Jestetten, Datæ sunt litteræ prædicto anno 1319. die Mercurii post festum S. Michaelis, appenso sigillo Schulteti Badensis.

Anno 1320. cum Rhenaugiæ degeret Advocatus noster *Joannes Comes de Habspurg*, obtulit Abbati divisionem filiorum Dominæ Willeburgis, cujus medietatem olim Pater ejus Rudolphus Monasterio donaverat, optionem relinquens Abbati. Pariter Nobilis Vidua Domina Guta Bürin Equitis filia donavit Annam Bürstin de Bondorf cum quatuor liberis, sub sigillo *Diethelmi de Crenkingen*, cujus & ipsa Guta propria erat. Rudolphus vero de Monfort Episcopus Constantiensis Præfecturam in *Benken*, quam Jacobus de Warth feudi loco a Monasterio Rhenaugiensi acceperat, proprio motu usurpavit, spondens, se per Villam *Rorbas* damnum compensaturum. Fuit memoratus Jacobus de Warth Tutor Werneri Junioris Comitis de Homberg, cujus nomine anno 1321. quædam pacta cum Joanne Comite de Habspurg iniit. Pacta ejusdem Joannis olim inita cum Patre memorati Werneri Rex Fridericus de novo confirmavit (e).

Eodem anno ordinatio inter Abbatem & Conventum nostrum facta fuit ratione debitorum, quæ nonnulli de Conventu post mortem subinde relinquebant. Dabatur illo ævo (relaxata per Joannem de Crenckingen disciplina, ut supra vidimus) singulis Dominis, ut vocabantur, abs Abbate annuatim præter victum certa pecuniæ summa, ultra anniversariorum stipendia in singulos distribuenda.

 Habe-

(e) Apud Herrgott Chart. 729. 731. 734.

Habebant non raro & ſua vitalitia, ſeu annuas penſiones a ſuis parentibus & amicis; hiſce tamen proventibus quandoque haud contenti, æs inſuper alienum non raro contrahebant. Convenit igitur inter utramque partem, ut deinceps ſtipendia unius anni, unacum ſuppellectili creditoribus, ſi qui eſſent, permitterentur poſt cujusque conventualis obitum. Signata eſt Charta utriusque contrahentium partis majori ſigillo. Anno ſequenti 1322. cum Monaſterium *S. Blaſii* ſub Abbate Udalrico de Veldkirch flammis abſumptum fuiſſet, quidam inde Religioſi per aliquod tempus Rhenaugiæ hoſpitati ſunt. Eodem tempore Abbas noſter conſenſit in dotationem Altaris S. Othmaris & S. Catharinæ in *Bülach*, ubi non ſolum bona, ſed etiam Advocatiam feudali nexu dependentem habebat.

Anno 1325. Vir nobilis *Henricus de Freienſtein*, de quo ſuperius facta eſt mentio, arcem ſuam prope Haſela, haud procul Bülacho ſitam, tradidit Rhenaugiæ ſub pacto, ut filiis ſuis mox titulo feudi reſtitueretur, cum onere ſingulis annis duos obulos Monaſterio ad ſolemnitatem S. Mauritii perſolvendi. Donavit ſimul proprium hominem Joannem Amman. Charta fuit data Rhenaugiæ in præſentia Abbatis Henrici ac Dominorum de Conventu Udalrici Cellerarii, & Conradi Cuſtodis, quorum hic ex familia Brumſi, ille de Balm oriundus erat, nec non Conradi Camerarii, Bertoldi Scholaſtici, Officialium & Sacerdotum Monaſterii, item Joannis Militis ſeu Equitis de Manndach, aliorumque Civium oppidi noſtri. Caſtrum Freienſtein paulo poſt a Tigurinis, qui Ludovico Bavaro adhæſerant, cum a Pontifice proſcripti fuiſſent, anno 1334. occupatum, ac denique anno 1343. penitus deſtructum fuit (f). Interea Dynaſtia Balmenſis iterum ad Habſpurgios a Regenſpergiis rediit; nam eodem anno prædium quoddam in Geisberg dictum, aliosque fundos in eodem diſtrictu ſitos, Joannes Comes de Habſpurg Hoſpitali S. Spiritus Schaffhuſiæ ceſſit (g); ubi Landgravius Cleggoviæ dicitur.

Anno 1327. *Rudolphus de Radegg* Scholaſticus Einſidlenſis, patria Rhenaugienſis, de quo ad annum 1314. nonnulla retulimus, ratam habuit atque inſtauravit fundationem Anniverſarii, quod Pater ejus, itidem Rudolphus nomine, in Monaſterio noſtro conſtituerat, attributis cenſibus annuis tam pro pauperibus, quam pro Religioſis, nec non domo propria cum pomario, quæ Monaſterio, intrantibus Inſulam, a ſiniſtris adſita erant, retinuitque ad hodiernam usque

(f) Bullinger Chron. Tigur. Mſc. pag. m. 114. Tſchudius pag. 334.
(g) Apud Herrgott Charta 751.

usque diem locus nomen gentilitium *de Radegg*. Data est hæc Charta Einfidlæ, atque appenſione ſigilli Abbatis Joannis roborata. Occurrit in monumentis noſtris ad annum 1338, *Rudolphus Ludi Moderator*, qui forte idem eſt cum Radeggio in patriam reverſo. Alius *Radeggius* hoc ipſo anno decimas quasdam in *Benken* feudales obtinuit; unde annuum penſum ſacrario noſtro unius libræ ex cera ſolvere tenebatur.

Anno proximo 1328. *Diethelmus & Conradus de Crenkingen dicti de Weiſſenburg* partem aliquam decimarum in *Erzingen* exigebant a Joanne de Eitlingen nepote Abbatis noſtri, cui titulo Rectoratus ſeu Parochiæ tertia pars decimarum ibidem competebat. Lis tandem ſopita, conventione facta, ut memoratis Nobilibus de Crenkingen pars illa ad proximos quinque annos fruenda relinqueretur; quo proniores eſſent ad defendendum dictum Rectorem in Eccleſiæ ſuæ juribus, in poſterum autem ab exactione prætenſa prorſus abſtinerent. Anno 1329. die 13. Januarii *Fridericus III.* Auſtriacus Romanorum Rex obiit, qui ab æmulo ſuo Ludovico Bavaro aliquando captus, titulum tamen Regis cum eo communem retinuerat. Neque diutius vixit Wernerus Junior de Homberg, cujus pleraque latifundia ex pacto ad Joannem de Habſpurg Advocatum noſtrum devenere. Circa idem tempus, incerta tamen die, laudabile regimen Monaſterii morte concluſit Abbas noſter *Henricus de Eitlingen*, cujus ſtemmatis plures ſurculi in monumentis noſtris occurrunt.

HENRICUS V. de NEWENBURG,

ABBAS XXXIII.

Anno trigeſimo ſupra Milleſimum & trecenteſimum jam regebat Monaſterium Rhenaugienſe alius *Henricus* hujus nominis quintus ex Illuſtri familia de *Newenburg*, cujus arx gentilitia poſtmodum emptione acceſſit Rhenaugiæ. Ei negotium movit quidam nobilis Vaſallus *Conradus Brümſi* ob jurisdictionem in prædium *Mannhuſen*, cauſamque detulit ad *Udalricum de Clingen* Præfectum Turgoviæ nomine Domus Auſtriacæ, ac præſertim Ottonis Ducis, qui poſt mortem Fratris ſui Friderici Cæſaris his ſuperioribus Germaniæ partibus dominabatur. Verum Cellerarius noſter Dominus *Udalricus de Balbe* demonſtravit, cauſam illam ad forum Monaſterii ſpectare; effecitque, ut res tota Judicio Abbatis Henrici remitteretur.

Idem

Idem Abbas, cum Vasallis *feuda* a Monasterio dependentia sub initium regiminis conferret, illa in librum specialem membranaceum conscribi jussit. Comparent in fronte præclari istius monumenti duodecim *Domus Equestres* dictæ, quæ Nobilibus Familiis in oppido Rhenaugiæ conferebantur, cum onere, inter alias obligationes, Abbatem proficiscentem cum singulis famulis & duobus equis comitandi. Familiæ porro, quibus tunc Abbas Domos istas contulerat, sequentes erant:

De Müllinen.	De Eitlingen.
De Mandach.	Brümsi.
Im Winkel.	De Griesheim.
De Henkart.	De Orth.
Essler.	De Jestetten.
De Diessbach.	De Albis.

Extra oppidum Rhenaugiense plurima Bona, pro more illorum temporum, feudi nomine distributa fuerunt; in quibus comparent præcipue Advocatiæ seu Præfecturæ pagorum, ubi per hujusmodi Vasallos Jurisdictio administrabatur. Sic Advocatia in Valle Flacensi Comitibus *de Sultz Rudolpho & Ottoni* fratribus commissa fuit. Cæterum multæ quidem ex iis Præfecturis hactenus Monasterio jure directo subjectæ perstiterunt; plurimæ autem per negligentiam nostrorum, & Nobilium arrogantiam a Vasallis proprio jure usurpatæ sunt. Juvat hic saltem pro notitia publica ex memorato Libro Feudali nomina præcipuarum Familiarum attexere, quæ hac ætate Feuda Monasterii possidebant.

Balm.	Schultheis.
Castell.	Jünteler.
Späth.	Trullickon.
Meckingen.	Schwager.
Gachnang.	Schnezer.
Warth.	Am Staad.
Mörler.	Keller.
Radegg.	Fridbold.
Landenberg.	Lew.
Liebenfels.	Schitterberg.
Im Thurn.	Urzach.
Wellenberg.	Lang.

Hoppe-

Hoppeler.	Eckbrecht.
Tengen.	Buoch.
Fulach.	Hettlingen.
Münchingen.	Alshuser.
Randegg.	Steiner.
Goldenberg.	Ochan.
Ulm	Scheveli.
Immendingen.	Fridrich.
Wessenberg.	Buri.
Gechlingen.	Endinger.
Aich.	Hübscher.
Ensberg.	Münzer.
Alser.	Dorfflinger.
Ulingen.	Girsperg.

Westenbach Truchsesii in Diessenhosen.
Wartenfels & Wasserstelz de Tengen.

Successu temporis pleraque Feuda ad alias devenere Familias, quarum aliquas adjicimus, quæ ad initium sequentis Sæculi in sæpe dicto Feudali Libro leguntur.

Hödorff.	Trüllerey.
Aecher.	Hunenberg.
Hochen-Landenberg.	Lib.
Waldsperg.	Stein.
Waldkirch.	Hegenzer.
Zuningen.	Mörlan.
Rossberg.	Buman.
Bettmaringen.	Cron.
Winkelheim.	Mor.
Payer.	Steiger.
Rink.	Schwend.
Reichenbach.	Hegner.
Grottburg.	Albrecht.

Giel de Gielsperg &c.

Huic

Huic Feudorum Libro Abbas noster Henricus de Newenburg alterum addidit anno sequenti 1331. pariter pergamenum, quem *Urbarium* dicunt, utpote singulos proventus Monasterii, ex 50. circiter pagis seu vicis colligendos, continentem, & ob antiquitatem venerandus. Exstat autem multo antiquior, sed non nihil læsus, ad quem se memoratus liber refert, sub Abbate Conrado de Herten scriptus. Hos codices primarios subsequuntur plura Urbaria, hoc & sequenti Sæculo identidem renovata.

Eodem anno Vir Nobilis *Jacobus de Warth* Præfecturam in *Benken* Rhenaugiæ restituit, quam Rudolphus de Montfort Episcopus Constantiensis ademerat, promissa damni compensatione & commutatione pagi *Rorbis;* verum cum promissum non adimplesset, atque in excommunicatione, quod Ludovico Bavaro adhæreret, obiisset, dictus Vir Nobilis, conscientiæ stimulis impulsus, pristino Domino, nempe Monasterio Præfecturam reddidit, ac redditam de novo in feudum recepit. Data est Charta die Veneris post festum S. Galli anno 1331. Constantiæ vero successit in Episcopatu *Nicolaus de Frauenfeld* a Pontifice Joanne XXII. confirmatus; contra quem Rudolphus de Hochenegg Comes arma convertit, eo quod filius ejus Rudolphus, Canonicus ejusdem Ecclesiæ, in electione præteritus fuisset; atque ope Ludovici Cæsaris oppidum Mörspurg, quamquam inani opera, obsedit. Decessor tamen Episcopus *Rudolphus de Montfort* viginti post obitum annis Ecclesiastica sepultura donatus est, quod de reconciliatione ejus ante mortem constaret (h).

Proximo anno 1332. *Ludovicus Bavarus*, pace cum Ducibus Austriæ firmata, per Diploma Cæsareum cum sigillo Majestatico, facultatem impertiit, in oppido Rhenaugiensi, ut Nundinas hebdomadarias diebus sabbathinis cives celebrare possent, additis iisdem juribus, immunitatibus & privilegiis, quibus fruitur oppidum Schaffhusianum. Datum est Diploma Ravenspurgi, ubi unus Filiorum ejus Ducatui Sueviæ præerat, die Mercurii ante Pentecosten. Schaffhusium unacum Rhenofelda, nec non Turego & S. Gallo oppignoraverat Ludovicus Ducibus Austriæ Alberto & Ottoni, Fratribus Friderici, & Filiis Alberti, quondam Regum Romanorum; ex hoc tamen pignore mox liberatum fuit Turegum cum S. Gallo, substitutis eorum loco oppidis ad Rhenum Brisaco & Neopurgo.

(h) De anno obitus Rudolphi Episcopi non conveniunt scriptores. Videantur Vitoduranus Edit. Eggardi Colum. 1798. 1809. 1810. Hottinger Hist. Eccl. Tom. II. pag. 151. Manlius, Tschudius &c.

purgo. Iisdem porro Ducibus hoc tempore subtractum fuit oppidum Lucernense, ab Helvetiorum Pagis Urania, Suitia, & Subsilvania in societatem admissum; quod olim Monasterio Murbacensi subjectum, contra sponsionem Austriacæ Dominationi traditum fuisset (i).

Anno 1334. mortuo Joanne XXII. Avenione in Summum Pontificem electus fuit *Benedictus XII.* antehac Monachus Cisterciensis, qui relaxatam Monasticam Disciplinam restauraturus, pro Nigris Monachis Ordinis S. Benedicti prolixam constitutionem edidit anno 1336. quæ Benedictina vocatur, & incipit: *Summi Magistri dignatio;* in qua renovat Decretum Concilii Generalis Lateranensis sub Innocentio III. celebrati, & promulgatum paulo post per Honorium III. Canone *In singulis: de statu Monachorum;* quo præcipitur, ut communia Abbatum capitula in singulis Regnis & Provinciis de triennio in triennium instituantur. Qui mos a Cistertiensibus primum cœptus, etiam ad alia Monasteria antiquæ observantiæ Benedictinæ propagatus fuerat. Quod de Anglia testatur Clemens Reineccius (k) & de Germania Trithemius (l) qui speciale post Concilium illud Lateranense refert capitulum ab Abbatibus Erfordiæ celebratum anno 1259. ubi Præsides & Visitatores electi. Quin imo ipsi Episcopi urgebant ejusmodi capitula, ut constat ex Recessu Concilii provincialis Coloniensis anno 1260. & alterius Salzburgensis ad initium hujus Sæculi. (m)

Memoratu digna est convocatio omnium Germaniæ Abbatum facta anno 1292. ad capitulum generale *Fuldæ* instituendum ab *Henrico* ejusdem Monasterii Abbate, & Primate per Germaniam & Galliam (n), cujus exemplar exhibet Schannatus in Codice Probationum (o). Annuerunt inter alios Abbates ex Suevia, qui in Monasterio *Zwifaltensi* congregati litteris datis eodem anno in crastino Joannis Baptistæ rogaverunt Fuldensem, ut tam salubre opus pro reparanda disciplina urgere, & quantocyus diem pro tali capitulo assignare dignaretur. Convenerunt itaque die prima Maji sequentis anni 1293. prout colligitur ex

(i) Tschudius in Annalibus Helveticis.

(k) Secretarius Congregationis Anglicanæ in Apostolatu Benedictino Anglicano Part. II. pag. 94.

(l) In Chron. Hirsaug. ad an. 1203. & 1259.

(m) Videantur Concilia Germaniæ Harzheimii.

(n) Fridericus Schannatus in Historia Fuldensi pag. 212.

(o) Idem pag. 218.

ex Charta, qua nonnulli Abbates testantur, quod habita conventione *omnium Abbatum Alemanniæ* in Fulda, concesserint Abbati S. Petri in Erfordia plenam confraternitatem tam pro ipso quam pro ejus Conventu, & Benefactoribus (p). Reliqua ejus capituli acta perierunt. Cæterum *Abbas Fuldensis*, licet nuper ad Episcopalem Ordinem sublimatus, institutum tamen Benedictinum non deseruit, & adhucdum gloriatur titulo Primatis inter Germaniæ & Galliæ Abbates. Certe ipse Celsissimus modernus Princeps *Henricus de Bibra* anno 1779. die 14. Novembris renovavit professionem suam Monasticam, quam ante 50. annos juxta Regulam S. Benedicti ediderat, cum Millenarium Fuldæ celebraretur a morte S. Sturmii ejusdem Monasterii primi Abbatis, cujus vitam hac occasione edidit eruditissimus P. Sturmius Bruns.

Eodem anno, quo convocatio Abbatum ad Fuldense Monasterium facta est, habitum fuit Provinciale *Concilium Moguntiæ*, in quo plures Abbates nostri Ordinis convenientes, statuta quædam salubria condiderunt (q). Idem mos antiquissimus in Germania erat jam a tempore Francorum Regum & Imperatorum, & per plura Sæcula continuatus, ut nempe in Conciliis Nationalibus, quæ sub *Carolo Magno*, *Ludovico Pio*, *Ludovico Germanico*, & Successoribus fere singulis annis celebrabantur, convenirent Abbates seorsim, & prolata Regula S. Benedicti, constitutiones pro servanda disciplina conderent, prout Capitularia Regum Francorum testantur (r), ut proinde alii Abbatum conventus non essent necessarii. Celebris præ aliis fuit conventus Abbatum *Aquisgrani* anno 817. jussu Ludovici Pii institutus, in quo omnes ferme Abbates totius Regni comparuerunt, quibus Præses datus est S. Benedictus Abbas Ananiensis, suo tempore Restaurator Disciplinæ in toto Ordine celeberrimus (s). Statim namque *Visitatio* singulorum Monasteriorum subsequuta est, prout post alia hujusmodi Concilia per Missos Regios, inter quos plerumque Abbas quidam erat, fieri consuevit (t).

Cum posterioribus Sæculis sensim deficerent ejusmodi comitia, simul corruit Disciplina Monastica; quam restauraturi Summi Pontifices *Innocentius III.* &

(p) Fridericus Schannatus in Historia Fuldensi pag. 218.
(q) Inter Concilia Germaniæ.
(r) Apud Balutium. Annales Francici anno 802. apud Martene & Durandum. Eginhardus anno 794. Mabill. an. 779.
(s) Mabill. in præfat. Sæc. IV. Act. SS. pag. XXXI.
(t) Idem in Annal. an. 789. 790. Pezius Anecdot. to. II. part. III. col. 374.

& *Honorius III.* Sæculo XIII. specialia Ordinis capitula, ut vidimus, celebrari jusserunt. Quod decretum *Clemens V.* in Concilio Generali Viennensi anno 1311. in canone *Ne in agro* renovavit, ac tandem hoc anno 1336. *Benedictus XII.* non solum sub severissimis pœnis confirmavit, sed etiam singulas Provincias per totum orbem distinxit, in quibus Abbates de triennio in triennium convenirent (u). Numerantur sex supra triginta Provinciæ, quarum in Germania prima est Moguntinensis cum Episcopatu Bambergensi, secunda Coloniensis & Trevirensis, tertia Bremensis & Magdeburgensis, quarta Salzburgensis cum Bavaria, quinta denique Rigensis. Decreta hujus Bullæ Benedictinæ novem & triginta capitibus continentur, in quibus agitur de forma celebrandi ipsa capitula, de visitationibus, de cura temporalium, de capitulis Regularibus, de esu carnium saltem aliquibus diebus interdicto, de studio litterarum, de habitu Monastico, de Beneficiis, de translatione Monachorum ex Monasteriis collapsis, & de aliis hujusmodi necessariis & utilibus. Post hanc constitutionem celebrata fuisse capitula testatur Trithemius (w) his verbis: „Eodem tempore mandato Romani „Pontificis Capitula in Ordine nostro Provincialia seu Generalia per totam Eu„ropam studiose celebrabantur; quæ tamen successu temporis intermissa usque ad „Constantiense Concilium in multis defecerunt." Hucusque Trithemius. Sane modicum fructum illo adhuc tempore quoad Disciplinam Regularem in Monasterium nostrum inde derivatum fuisse, fateri cogimur; quod amplitudini Provinciarum adscribendum esse credimus.

Anno 1337. Advocatus Monasterii Rhenaugiensis *Joannes I. Comes de Habspurg* in defensione Castri sui Grinow, contra Diethelmum Comitem de Doggenburg, forti animo pugnans, capto adversario, demum a Tigurinis prælium restaurantibus, multis vulneribus confossus interimitur die 21. Septembris, postea ab Uxore Agnete ad sepulturam Wettingensis Monasterii delatus (x). Advocatiam Rhenaugiæ susceperunt relicti tres Filii *Joannes*, *Rudolphus*, & *Gottfridus*, ac postea ibidem Anniversarium pro Parente fundarunt. Eodem anno Abbas noster dictus de *Newenburg* emit a nobili Viro Sigefrido de *Griesheim* ligiam mulierem Hedinun, ejusque filium Itun. In *Erzingen* vero quosdam refractarios, decimas Monasterio præstare recusantes, interminata proscriptionis

 senten-

(u) In Bullario Cherubini Monachi Casinens. pag. 241.
(w) In Chron. Hirsaug. ad annum 1340.
(x) Vitoduranus colum. 1828.

fententia compulit ad parendum. Anno fequenti 1338. exorta lite inter Præpofituram *Riederen* & Monafterium noftrum, Arbitri pro Rhenaugia pronuntiarunt, quod a ducentis annis fubditi Rhenaugiæ in *Willer* nunquam decimas Præpofituræ præftiterint. Arbitri erant Parochus in Griesfheim Rudolphus de Gehelingen Decanus, Udalricus Parochus in Erzingen, Rudolphus Ludimagifter Rhenaugienfis, cum Decano in Waldshut, & Cuftode Ecclefiæ Collegiatæ in Zurzach. Nomine Monafterii caufam dixit Dominus Henricus de Eitlingen Cellerarius, ac poftmodum Abbas hujus ftemmatis fecundus.

Proximo anno 1339. *Albertus Dux Auftriæ*, defuncto fratre Ottone, cum fuperioribus hisce Regionibus jus diceret, per litteras patentes Monafterium Rhenaugienfe in protectionem fufcepit, mandavitque Confuli in Waldshut, tunc temporis Præfidi Argoviæ atque Turgoviæ, ut immunitates Monafterii inviolabiliter fervare atque cuftodire procuret, admiffo Monafterio in jus municipale oppidorum Scaffhufii, & Waldshuti. Anno 1340. *Diethelmus de Crenkingen dictus de Weiffenburg* divifionem octo ligiorum hominum in *Buckenried* fecit cum Abbate & Conventu Rhenaugienfi; ex oppido *Thiengen* vero infignis Benefactor prodiit Dominus *Joannes in dem Bach* Sacellanus ad S. Michaelem. Hic cum forore fua Religiofa Virgine *Anna* pro remedio animarum fuarum, Majorumque fuorum Monafterio Rhenaugienfi liberaliter dedit medium prædium fitum in *Dangfletten*, & cenfum annuum pecuniarium ex ejusdem prædii frumento folvendum; vineam quoque fitam in *Valle Rhenana* prope *Küfnach*, atque dimidium modium tritici ex fcopofa ejusdem loci, cum decimis in *Omenriiti*, ad eandem fcopofam fpectantibus, quas hactenus feudales a Monafterio tenuerant. Firmata fuit donatio auctoritate Domini *Joannis de Fridingen* Equitis & Præfecti in Kusfaberg, nec non *Henrici de Immendingen* nomine Religiofæ Sororis Annæ, quam Beginis eo tempore frequentibus adfcribimus; acceptata a Domino Henrico de Eitlingen Monafterii Cellerario, in præfentia Conradi Officialis (y), qui proventus Rhenaugiæ in Rheinheim & circumpofitis locis curabat. Eodem anno *Joannes II. Comes de Habfpurg* novus Advocatus nofter facultatem dedit Andreæ Hoppler Vittodurano oppignorandi bonum feudale pro dotalitio unius & triginta Marcharum argenti Filiæ Conradi Grunis de Rinowe (z).

Simi-

(y) Vocatur Ambtmann.

(z) Apud Herrgott N. 785.

Similiter Abbas noster Henricus Equiti nobili *Henrico de Tengen* anno 1343. Monasterii Vasallo concessit, ut Uxori suae *Catharinae de Montfort* pro viginti & una Marcis argenti oppignorare posset bonum in *Recken* seu Reckingen, unacum feudalibus decimis. Eodem anno *Joannes Waninger*, dictus Waldshuter, donavit Rhenaugiae ad manus Domini Henrici de Eitlingen Cellerarii quatuor annuos tritici modios ex omnibus bonis suis, quae tam *Rheinheimii*, quam *Dangstettae possidebat*, sub cautela tamen, ut *ob supervenientiam insperatam liberorum* duos tantum modios reliquis servatis, ipse atque ipsius Hæredes præstare teneantur. Ratam pariter hanc donationem habuit supra laudatus *Joannes de Fridingen* in arce Kussaberg Præfectus. Roboratus his beneficiis Henricus Abbas forti animo sustinuit impetum *Rheni*, qui hoc anno ob imbrium redundantiam adeo excrevit, ut alias nunquam; domos enim ripæ contiguas & mœnia civitatum, cum omnibus pontibus a Schaffhusia Argentinam usque dejecit; proinde & Rhenaugienses utrosque pontes diruit, & ipsi Monasterio aquis immerso non minora damna intulit, quam arci in Rheinfelden scopulis innixae (a).

Anno 1344. obiit *Nicolaus de Frauenfeld* Episcopus Constantiensis (b) lachrymis pauperum, quorum in extrema annonæ penuria Pater erat, elatus, nactus Successorem Udalricum Pfefferhart patria Constantiensem. Hic Episcopus commutationem fecit cum Monasterio nostro; dedit namque Annam filiam Jacobi Schulteti de *Kussaberg* pro Anna filia Henrici Friesen de Rheinheim, appenso Chartæ sigillo Capituli Cathedralis. Abbas vero noster composuit negotium, concernens prædium censuale, jure directo ad Monasterium spectans vulgo *Wittum* in villa *Berg* Montis Jurassi, valli Flacensi imminente. Inter hæc perpetuæ in Imperio turbæ ob Ludovicum Bavarum Romanorum Regem, qui licet omnibus adhibitis mediis, absolutionem tamen a Pontificibus Avenione residentibus obtinere non potuit. Unde interdictis in Germania Ecclesiis, Officia Divina a quibusdam intermissa, ab aliis aut sponte aut coacte celebrabantur. Restauravit Ludovicus Bavarus Monasterium *Ethal* Ordinis nostri Benedictini, quod primitus a Guelphis fundatum fertur. Successorem habuit Carolum IV. Lucenburgensem Joannis Regis Bohemiæ filium anno 1347.

Anno quadragesimo octavo supra millesimum & trecentesimum tota Familia *Habspurgica* degebat in arce nostra Rhenaugiensi; ubi Domina *Agnes* relicta

(a) Vitoduranus columna 1876.
(b) Ibidem col. 1901.

Vidua Joannis I. unacum Filiis *Joanne*, *Rudolpho*, & *Gottfrido*, perpetuum Anniversarium in Monasterio celebrandum fundavit pro omnibus Antecessoribus Habspurgicis, specialiter autem pro anima Mariti in prælio Grinaugiensi occisi: addito etiam altero Anniversario pro ipsa Matre Agnete eo pacto, ut quamdiu ipsa viveret, loco Missæ pro Defunctis, haberetur Votiva de B. V. Maria post festum sancti Mauritii. Sigilla singulorum huic Chartæ appensa, quæ data est Rhenaugiæ die 28. Novembris anno memorato (c). *Joannes II.* inter illos Comites natu major anno 1350. dum Nobiles Tigurinos a plebe ejectos, & ad eum Raperswilam confugientes, restituere in civitatem occulta quadam machinatione conaretur, re prodita Tiguri captus fuit, ac diutina custodia detentus, oppido Raperswilano interim a Tigurinis expugnato atque destructo; qui & ipsi fœdus perpetuum ierunt cum Lucernensibus, Uraniis, Suitiis, & Subsilvanis; quibus haud diu post accessere Tugienses, Glaronenses, & Bernates.

Anno 1351. altefata Comitissa *Agnes* Habspurgica lineæ Lauffenburgicæ, filia quondam Simonis Alsatiæ Inferioris Landgravii, mortem oppetiit; cujus Exequiæ, ac deinde annua dies ritu Defunctorum Rhenaugiæ celebrabantur. Obiit quoque Abbas noster *Henricus de Newenburg* die nobis incomperta ob sæpe dicta & deplorata Necrologia, quæ injuria temporum aut perierunt, aut non nisi curta & manca remanserunt. Ad eundem annum refertur tractatus, cum consensu Monasterii celebratus, quo Comites *de Sulz Rudolphus & Otto* Advocatiam seu Præfecturam Vallis Flacensis, ad Rhenaugiam jure directo spectantem, Nobili Viro *Waltero de Gachnang*, filio Hartmanni de Goldenberg vendiderunt. Ex quibus liquet, Nobiles subinde nomen Gentilitium ex possessione diversorum Castrorum mutasse.

HENRICUS VI. de EITLINGEN II.

ABBAS XXXIV.

Nobilis Familia *de Eitlingen*, diuturno Rhenaugiæ incolatu clara, secundum nobis dedit Abbatem, itidem *Henricum* dictum hujus nominis sextum. Erat is Pronepos primi Abbatis ejusdem prosapiæ ex fratre Hugone, natus patre Henri-

(c) Herrgott Charta 797. & Tom. 1. pag. 242. ubi hæc scribit: Agnes Joannis I. Uxor Sacra expiatoria annuatim facienda in Monasterio Rhinoviensi pro Augustissima Gente Habspurgica instituit.

Henrico; cujus ex altero filio Joanne duo exſtitere nepotes; Conradus Schultetus Rhenaugiæ, Pater Joannis ibidem Monachi, & Fridericus Parens alterius Joannis Presbyteri. Hæc de Eitlingiorum genere in monumentis noſtris occurrunt; in quibus Abbas iſte ut egregius Oeconomus, dum Cellerarium ageret, jam ſæpius comparuit. Anno quinquageſimo ſecundo ſupra mileſſimum & trecenteſimum emit Henricus a nobili Matrona *Catharina de Crenkingen*, dicta de Weiſſenburg, Filia Diethelmi jam ſæpius nominati, & Uxore Rudolphi de *Tengen*, Advocatiam ſeu Jurisdictionem in *Altenburg* quinquaginta tribus marcis argenti. Confirmatus fuit contractus Schaffhuſii coram Magiſtratu cum ſigillo civitatis & Conſulis Friderici de Randenburg. Verum Abbas mox dictam Præfecturam Fratri ſuo Joanni feudi loco conceſſit, quæ eadem via aliquando a Monaſterio abſciſſa fuerat. Eodem anno occurrit Charta *Joannis Abbatis in Valle Thuræ*, ejusque Conventus, cum duplici ſigillo, qua quidam homines Ligii commutantur. Interea Joannes II. Comes de Habſpurg adhuc Turegi detentus, agente fratre Rudolpho atque Gottfrido e cuſtodia liberatur. At Conſtantiæ mortuo Udalrico Pfefferhart ſucceſſit Joannes de Wildeck Schaffhuſianus, Ducis Alberti Cancellarius.

Anno ſequenti 1353. Abbas noſter Henricus alteram emptionem fecit, qua a nobilibus fratribus de *Jeſtetten Henrico & Joanne* prædium *Altunhuſen* dictum cum jure piſcandi acquiſivit. Cum autem jus directum ejusdem prædii ad Nobiles de *Tengen* ſpectaret; iidem hoc remiſſo aliud ex Monaſterii feudis in compenſationem acceperunt. Sunt porro omnino ſex Nobiles de Tengen, qui huic contractui conſenſum præſtiterunt, ſingulorum ſigillis appoſitis, quorum primum eſt Conradi Præpoſiti Embracenſis Eccleſiæ haud procul Rhenaugia diſtantis.

Similem ceſſionem fecere anno 1354. Advocati noſtri Comites *de Habſpurg Joannes, Rudolphus, & Gottfridus* in prædium ſitum in villa Martelen, quod a nexu feudali penitus liberarunt, accepto tamen alio fundo a *Rudolpho de Adlikon* inſigni Benefactore noſtro, qui prædium illud, unacum cenſu annuo, pro emolumento animæ ſuæ Monaſterio donavit. Appenſa ſunt Chartæ ſingulorum Comitum atque ipſius Equitis ſigilla. Verum eodem anno ſæpe laudati Comites, cum bonorum diviſionem inter ſe feciſſent (d), ſolus *Gottfridus* deinceps Advocatus Rhenaugiæ perſtitit; cui illa in partem hæreditatis, unacum Cleggoviæ

Comi-

(d) Charta 808. apud Herrgott, ibi: Di Statt ze Rinow, und di Graffſchafft in dem Klettgew. Item Charta 804. & 812.

Comitatu, obvenit. Veterem Raperswilam poſtea vendidit Alberto Auſtriæ Duci, qui reliquias novæ Raperswilæ pariter a Joanne coemerat, atque pontem illum prælongum ſuper lacum Tigurinum pro commodo peregrinantium ad S. Eremum fieri curaverat. Rudolphus Comitatum Lauffenbergæ cum Sisgovia retinuit, cum onere tamen annuam penſionem Sorori *Agneti* Religioſæ Dominæ in Seggingen tribuendi.

Anno 1356. *Joannes de Windegg* Epiſcopus Conſtantienſis die S. Agnetis dum cœnæ accumberet, a Walthero & Bertoldo de Stofflen, aliisque conjuratis proditorie occiditur (e). Is paulo ante in feſto SS. Innocentium Rhenaugiæ in Eccleſia Parochiali S. Nicolai dedicaverat Altare B. V. Mariæ, exiſtente Plebano iſtius Eccleſiæ ſeu Vicario Domino Joanne de Dieſſenhoven. Poſt necem Epiſcopi electus quidem fuit Udalricus de Fridingen; eo tamen abdicante ſucceſſit *Henricus de Brandis* Abbas Eremitanus. Eodem anno ingenti terræ motu quaſſata tota noſtra fuit vicinia; multis ſubſidentibus arcibus tam in Conſtantienſi Diœceſi, quam in Baſileenſi. Præſertim vero memoratu digna eſt Baſileæ ruina; ubi in Eccleſia Cathedrali corruiſſe feruntur Monumenta *Annæ* Uxoris Rudolphi Cæſaris, ejusque filii *Hartmanni*. Utriusque oſſa ſub unum lapidem recollecta fuiſſe nupera inquiſitio patefecit, quando cum aliis Auguſtæ gentis exuviis fuere ad Principale *S. Blaſii* Monaſterium translata. Cæterum deplorandum Baſileæ fatum in quodam Codice noſtro Manuſcripto his licet nutantibus verſibus notatum reperitur.

M. C. ter ducto, ſimul L. ſextoque reducto
Anno carnati Chriſti, Mundo quoque nati,
October diras Domini monſtraverat iras,
de quibus horruimus merito, nunc cum caro ſimus,
In Lucæ feſto, cujus crebro memor eſto,
quam datur ignotus tantus terræ fore motus,
qui male contrivit urbes, & ſternere quivit,
caſtra, ſimul muros tam fortes, tam quoque duros,
quod Baſilea ſatis gemit imparibus quoque muris,
verſaque coæquata ſunt terræ culmina grata.

Albertus Dux Auſtriæ eo ipſo tempore erat cum Baſileenſibus bello implicitus; verum percuſſis a Deo ipſe ſubſidia præbuit. Deceſſit is anno 1358. cui in regendis

(e) Manulius pag. 679. Bucelinus hoc anno.

gendis superioris Germaniæ provinciis successit filius *Rudolphus*. Anno proximo, cum *Henricus* Episcopus Constantiensis per primas preces quendam Craftonem, filium Peregrini, dictum *de Ebnet* armigerum, Monasterio nostro in Monachum Conventualem obtrudere niteretur; Abbas demonstravit, nec ipsi nec Antecessoribus ipsius id juris competiisse; unde per Notarium Badenæ publicum instrumentum, ipsius Episcopi sigillo munitum, exaratum fuit, quo & Successores edocerentur, hujusmodi postulationem nullius fore roboris.

Anno hujus Sæculi sexagesimo *Rudolphus Comes de Habspurg* a Carolo IV. Imperatore Diploma impetravit, quo confirmatur alia Charta a Friderico Rege Romanorum data in favorem mutuæ successionis inter Wernerum Comitem de Homburg, & Joannem I. de Habspurg Patrem istius Rudolphi (f). Advocatia Rhenaugiensis unacum Comitatu Cleggoviæ iterum inter feuda Imperia.ia recensetur, quæ tamen nunquam ad Homburgios, Wernero sine liberis mortuo, pervenit. Eodem anno *Rudolphus de Tengen* dictus *de Wasserstelzen* in feudum ab Abbate obtinuit decimas in *Regen;* alter vero Joannes de Tengen, qui dicitur de *Wartenfels* simili pacto recepit bona in *Einsisheim.* Anno 1361. Abbas noster jurisdictionem in Rheinheimensi Valle vindicare aggressus, quam Episcopi Constantienses empta arce *Kussaberg* usurpaverant, invictis rationibus demonstravit, eam jam ab anno 892. ex fundatione Gozberti II. Abbatis & Comitis ad Rhenaugiam pertinuisse. Obtinuit ergo ab Henrico Episcopo, ut Monasterium in pristinam possessionem restitueretur; ita saltem, ut bis in quolibet anno mense Majo atque Septembri Judicium Cellariatus, ut vocant, extra causam sanguinis, institui posset, tertia duntaxat mulctarum parte Episcopo reservata, quam Possessores arcis Cussaberg titulo Advocatiæ sibi arrogabant; testimonio evidenti, per Advocatias tam generales quam particulares, quarum tamen collatio ab ovo libera erat, plerisque in locis jurisdictionem intercisam fuisse. Data fuit Charta in arce Gottlieben in Vigilia S. Jacobi, appenso Episcopi secreto.

Anno sequenti 1362. *Henricus de Eitlingen* Parens Abbatis, qui Equestrem domum Monasterii feudalem Rhenaugiæ inhabitabat, liberaliter tradidit

(f) Ex Collectione Glafeji pag. 290 — 295. multo auctiori Herrgottiana Num. 816. Vid. supra an. 1315.

dit Molendinum suum cum omnibus juribus, situm in *Martelen*; cujus cum jus directum spectaret ad *Comites de Habspurg*, sæpe laudati tres Germani Dominium suum sponte cesserunt, nullo alio fundo in compensationem recepto, sed ob amorem & amicitiam, ut inquiunt, qua erga Monasterium devincti erant. Exarata Charta fuit sub sigillis singulorum Comitum; licet enim solus Gottfridus tunc Monasterii Advocatus existeret, conventum tamen erat in hæreditatis divisione, ut jura feudalia omnium trium simul consensu expedirentur (g). Cæterum solus *Gottfridus* in litteris publicis hoc & sequenti anno datis vocatur *Landgravius Cleggoviæ* (h), quibus in gratiam *Friderici de Rot* nobilis Ministerialis ex Gravenhausen quamdam causam pertractat, ubi inter alios Testes adfuerunt Joannes de Crenkingen, & Hugo atque Hermannus Equites de Griessheim.

Anno sexagesimo tertio cum Austriæ *Dux Rudolphus* Schaffhusiæ diverteret, eidem Abbas noster Henricus supplex fuit, ut privilegia & immunitates ab ipsius Patre Rhenaugiæ concessas confirmare dignaretur; quod etiam obtinuit Diplomate dato die 28. Augusti, cum Ducali secreto, & subscriptione Joannis Episcopi Gurzensis, Ducis Cancellarii. Erat Rudolphus *Ingeniosus* quidem, sed pacis admodum amans, quam pepigit cum Fœderatis Helvetiis, sub pacto, ut Tugium & Glarona nomine Domus Austriacæ a Tigurinis & Suitensibus regeretur (i). Instante anno 1364. Abbas noster de Eitlingen, ex cognata Familiæ devotione, Altare *S. Blasii*, cujus Capellaniam Antecessor ejus & Propatruus fundaverat, ex priori loco ad decentiorem transtulit, propter honorem & decorem Monasterii, illudque a Domino *Fratre Petro* Ordinis Prædicatorum Episcopo Citoniensi, qui forte primus inter *Vicarios in Pontificalibus* Episcopi Constantiensis comparet, dedicari curavit. Fecit quoque commutationem octo ligiorum hominum in *Rheinheim* cum *Henrico Abbate S. Blasii*, sigillo ejusdem Conventus munitam. Rudolpho autem & Friderico Nobilibus *de Tengen* facultatem impertiit, ut Decimas in *Reckingen* Monasterii feudales vendere possent. Denique Conrado de *Aicheim* Cantori

(g) Apud Herrgott Charta 808.

(h) Ibidem Num. 821. & 824.

(i) Bullinger Chron. Msc. pag m. 214.

Cantori Præpofituræ in *Zurzach* ipfe vendidit Decimas in *Baldingen* pro centum & feptuaginta duobus aureis.

Anno 1365. *Rudolphus Comes de Habfpurg* a Fratre Gottfrido cum Advocatia Rhenaugiæ obtinuit Comitatum Cleggoviæ (k). Erat jam tunc Advocatus S. Galli (l). Is exorta quadam lite inter Abbatem & Conventum noftrum, quod Ille præbendas conftitutas fingulis haud integre præftitiffe videretur, concordiam inter utramque partem reftituit, ftabilita conventione, ut præter menfam communem Abbas fingulis de Conventu Presbyteris annuatim præbere teneatur feptem dolia vini, duodecim modios tritici, ac totidem libras monetæ Schaffhufianæ, duodecim denique ligni combuftibilis carros (m). Ita nempe tempora ac mores a Monaftico ritu declives ferebant. Eodem anno Altero *Rudolpho Duce Auftriæ* in flore juventutis Mediolani mortuo, cum liberos nullos ex Catharina filia Caroli IV. Imperatoris reliquiffet, provincias has fuperiores communi poteftate regendas fufceperunt ejusdem Germani Fratres *Albertus* dictus cum *tica*, & *Leopoldus Probus*. Eorundem Ducum nomine anno fequenti Joannes Comes de Froburg Præfes provincialis commutationem cujusdam hominis ligii in *Baldingen* cum Abbate noftro Henrico fecit; ibidemque altera facta eft cum infigni Parthenone Dominarum Turegi (n). Rhenaugiæ vero inter Benefactores cooptari meruit *Udalricus Vitulgos*, ejusque uxor *Elifabetha* cum liberis; quas litteras Abbas per Schultetum Rhenaugienfem Nicolaum Kunolf figillo communitatis fignari juffit. Anno 1368. Abbas quendam hominem proprium cum corpore & bonis emit ab Epone de Efpenftein, & Rudolpho Alfer de Wile. Sequenti vero anno Epifcopo Conftantienfi præfentavit Curatum Ludovicum de Clingnove ad Parochiam in *Rheinheim* in locum defuncti Joannis Bogner de Stockach.

Anno 1371. altefati Duces Auftriæ *Albertus & Leopoldus* Prædium Monafterii feudale in majori *Andelfingen*, numeratis quingentis & fexaginta flo-

Hhh 2 renis

(k) Herrgotti Charta 830.
(l) Tfchud. in Chron. Tom. 1. pag. 370.
(m) Confer Herrgotti Chartam N. 830.
(n) Ex Codice Diplomat. Dürfteleri.

renis a Domina Elisabetha vidua Truchsesii de Diessenhoven compararunt. *Rudolphus* vero Advocatus noster *Gottfridum* Germanum suum Comitem *de Habspurg* captivitate liberavit, in quam ob quasdam controversias devenerat, dum ad sacram Eremum peregrinaretur (o). Proximo anno Henricus Abbas facultatem impertiit Joanni Schnezer Schaffhusiano, ut pro septuaginta & quinque marcis argenti uxori suæ Margarithæ in pignus dare valeret Decimas in *Riederen* feudales Monasterii. Feudum vero jurisdictionis in *Riedlingen*, *Buchberg & Eliken* contulit Joanni de *Fulach* ejusque filio cognomini, quod emerant a Conrado de Lowe pariter Nobili Schaffhusiano, postmodum anno 1509. ab Anna de Fulach venditum Joanni Trüllerey.

Anno 1374. solicitus Abbas Henricus de conservandis juribus & privilegiis Monasterii, convenit Nobilem Virum *Joannem de Rosenegg*, qui tunc nomine Ducum Austriæ Turgoviæ præerat, ab eoque obtinuit, ut in Comitiis provincialibus pleraque Diplomata, præsertim Bulla aurea Friderici II. Imperatoris, alteraque Honorii II. Papæ, rata haberentur, atque per *Vidimus*, ut vocant, agnoscerentur. Vocatur statim in ingressu hujus Instrumenti Abbas noster *Reverendissimus Princeps* (p), declaraturque ex adductis Diplomatibus aperte constare, Dominio prædicti Abbatis subesse civitatem Rhenaugiæ, aliosque pagos seu vicos & villas, cum omnibus judiciis, venationibus, Moneta, Foro, Telonio, cum cunctis Præfecturis, hominibus, & bonis; posseque super ea jus dicere, atque constituere, & destituere Judices, Advocatos & Præfectos, pro suo arbitrio; pœna in contradictores statuta centum librarum auri (q). Appensum est Instrumento sigillum provinciale, datumque die Veneris ante Festum S. Jacobi. Neque deest huic Chartæ suprema auctoritas, quam de verbo ad verbum descriptam hactenus con-

(o) Herrgotti Charta 837.

(p) Der Hochwürdig Fürst Abt Heinrich des Gottzhus ze Rinow.

(q) Das der Abte des Egenanten Gottzhus ze Rinow, dieselb sin Gottzhus, und die Stat ze Rinow, und andere sin Güter und Dörfer, mit allen Gerichten, Zwingen und Bennen, Wildbennen, Münzen, Markten, Zöllen, mit Vogtejen, mit Lüten, und Güter, und mit aller Zugehörde innhaben, und würklich niessen, und darüber richten soll; und das er auch darzu Vögte nemmen, sezen, und endsezen soll, wie dick er will.

confirmarunt Auguftiffimi Imperatores, Ipfeque gloriofiffime regnans Jofephus II. anno 1777.

Cum porro controverfia enata effet, ratione fori competentis in bonis quibusdam, fitis in *Wilgisbuch*, laudatus Ducum Auftriæ Præfes *de Rofenegg* conformiter Inftrumento mox allato, eam adjudicavit Abbati noftro, quem etiam in hac Charta *Principem* vocat (r).

Anno fequenti 1375. cum alter Sereniffimorum Ducum Auftriæ *Leopoldus* Schaffhufium adveniffet; Abbas nofter eum adiit, humiliter petens, ut Monafterium cum bonis fub ejus dominatu fitis in fpecialem fuam tutelam recipere dignaretur. Opportune accidit, ut eodem tempore Advocatus nofter *Rudolphus Comes de Habfpurg*, nomine Ducum Auftriæ Sueviam, Alfatiamque regeret. Huic ergo Cognato fuo, aliisque per Turgoviam & Argoviam Officialibus per fpeciale præceptum Leopoldus injunxit, ut Monafterium Rhenaugienfe in protectionem fufceptum, quandocunque opus effet, defenderent, atque jura ipfius ac privilegia farta tecta confervarent. Subfcriptus *Dominus Dux per fe* (s), Schaffhufii die 28. Augufti a. 1375. Eodem anno obiit *Gottfridus Comes de Habfpurg*, nullis relictis liberis, Frater Rudolphi, quondam Advocatus Rhenaugiæ. Henricus vero Abbas fundum quendam ceffit apud vicum *Bühl* Sifrido de Gachtlingen pro alio fundo fito ad pifcinam *Novæ Crenkingen*, quæ imminet prædicto vico. Facultatem quoque dedit Domino *Friderico de Erzingen* Monacho & Camerario Rhenaugiæ emendi Decimas quasdam pro fexaginta libris ab Henrico Rüfli ex familia Rhenaugiæ perantiqua.

In prædicto loco *Bühl* cum anno proximo 1376. Dominus Joannes Ernft Parochus patria Rhenaugienfis obiiffet, Henricus Wetlich Presbyter itidem de Rhenaugia gratiam expectativam a Gregorio XI. Summo Pontifice obtinuit, obnitente licet Abbate, cum illud Beneficium jugiter pro Regulari habitum fuerit, ex *Præpofitura* in Parochiam commutatum. Vocatur in hoc

Hhh 3 Brevi

(r) Dem Fürft Heinrich.

(s) In aliis Diplomatibus legitur: Dominus Dux in confilio.

Brevi Apoſtolico *Monaſterium S. Fintani*, cujus feſtum a tempore Præpoſituræ eodem in loco ſpeciali cultu celebrabatur. Admiſſus tandem ægre ſupra dictus Wetlicus, conditionibus tamen iisdem adjectis, quibus ejus Prædeceſſor hanc Parochiam adminiſtraverat.

Anno ſeptuageſimo ſeptimo memoratus Pontifex ad inſtantiam Abbatis noſtri cauſam quandam commiſit Abbati *Domus Petri* Conſtantiæ decidendam contra prætenſum vitalitium Eliſabethæ Beutinger Schaffhuſianæ. Anno vero ſequenti defuncto eodem Pontifice Gregorio XI. electus Urbanus VI. qui ſimilem *gratiam expectativam* conceſſit Henrico Pfiſter de Veringen in Beneficium quodcunque proxime vacans Monaſterii Rhenaugienſis; quam proviſionem Epiſcopus Conſtantienſis ſignificavit Henrico Abbati noſtro atque Capitulo. Et hoc eſt ultimum monumentum, in quo occurrit Henricus Abbas ex ſtemmate Eitlingiorum ſecundus, & finem imponit Sæculo noſtro Rhenaugienſi ſexto. Nuper ex Necrologio Sanblaſiano, quod Joanness de Ochſenhauſen Cellerarius & Monachus S. Blaſii anno 1376. ſcribere inchoaverat, ſequentia communicata fuerunt: *Anno Domini MCCCLXXX. VI. Nonas Maii obiit Heinricus Abbas Rinaugienſis dictus de Eitlingen.*

III.

III.

CODEX DIPLOMATICUS

AD

HISTORIAM

MONASTERII RHENAUGIENSIS.

I.

ANNO 855.

Traditio Meginhart Presbyteri.

Ex Chartulario.

In Dei nomine. Ego *Meginhart* (a) indignus Presbyter Divina gratia compunctus, verba Redemptoris horrens, quæ suis discipulis innuit, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ideo namque complacuit mihi ejus esse discipulum, & quidquid in termino *Mettingen* (b) de hereditate materna habere visus sum, tam terris, ædificiis, campis, silvis, aquis, pascuis, mobilibus & immobilibus, mancipiis, præter IIII. his nominibus: Gozzo, Engilbert, Gerlinth, Uotha; aliud totum atque integrum ad Monasterium, quod vocatur *Rinaugia*, quod constructum est in honore *Beatæ Mariæ & S. Petri* tradere. Idcirco libuit cum Advocato meo Anno pro æterna retributione animæ meæ, & pro remedio animæ Patris & Matris meæ, Fratris & Sororum mearum, hoc totum supra dictum trado atque transfundo, ut ibi fulgeat, quamdiu mundus stat. Tantum in eam videlicet rationem, ut ibi locum meum & nutrimentum habeam, quamdiu vivam, sine ullius inarratione (c). Actum ad Mettingen, in ipsa curte, quam tradidi XII. Kal. Sept. Regnante Rege Hludevico. Anno I. Benedicti PP. III. (d)

II.

(a) Meginhartum Rhenaugiæ Monachum fuisse factum, liquet ex libro Fratrum Conscriptorum Monasterii S. Galli, ubi inter Rhenaugienses legitur *Meginhart Presbyter*.

(b) Villa Pagi Alpegovensis.

(c) Quin ullius narratione perturber; vulgo: ohne Einred.

(d) Scriptor Chartularii Chartis annos Pontificios addere consuevit. Benedictus III. anno 855. die 21. Julii electus fuit. Facta est igitur hæc donatio eodem anno die 21. Augusti.

II.

Traditio Cellæ Albæ a Sigemaro Viro Nobili Rhenaugiæ facta.

Ex Chartulario ad annum 856. (e)

In Nomine Dei Summi (f). Vir quidam Nobilis nomine *Sigemar* (g) ſub confirmatione (h) tradidit ad Monaſterium *Rinaugia* Cellam, quæ dicitur *Alba* (i) quæ ſita eſt in pago Alpigowe, ad ſtabiliendum inibi ſervitium *S. Mariæ*, pro ſemetipſo, & filio ſuo nomine *Liuthere* (k) annuente Domino *Wolvene* (l) ejusdem loci hereditario Tutore. Sub Rege Ludovico, anno I. Nicolai Papæ (m).

III.

Alia ejusdem Traditionis Notitia.

Ex Manuſcripto Sæculi XI. (n)

Alba Cella, quæ nunc dicitur *S. Blaſii* (o) propria fuit cujusdam Nobilis Viri nomine *Sigimar;* quam pro ſemetipſo & filio ſuo, cui nomen *Liuthere* Monacho, ſub

---

(e) Extat Diploma hoc in Schöpflini Alſatia Diplomatica P. I. pag. 88.

(f) Initium cum fine demonſtrat Notitiam ſeu Chartam publicam.

(g) *Sigemar*, cujus nomen legitur inter Monachos Rhenaugienſes hujus temporis in Catalogo Fratrum Conſcriptorum Monaſterii S. Galli.

(h) Confirmavit hanc traditionem *Ludovicus Rex Germaniæ* per Diploma editum Francofurti 12. Aprilis anno 858. ubi inter alias Rhenaugiæ poſſeſſiones exprimitur *Cella in Alpigowe, quæ dicitur Alba.*

(i) Monaſteriola Majoribus ſubjecta vocabantur *Cellæ*. Du Cang. Verbo Cellæ. Porro hæc ipſa Cella poſtea vocabatur S. Blaſii, poſtquam circa annum 866. illinc translatæ fuerunt ex Rhenaugia *Reliquiæ S. Blaſii*, ut palam fit ex ſequenti Charta, Vita S. Fintani, Annalibus Mabill. ad an. 963. Boland Tom. I. Feb. p. 333.

(k) *Luitker* Rhenaugiæ Monachus fuit, cujus nomen, unacum Patris nomine, continetur in ſupra dicto Catalogo.

(l) *Wolvenus* ex Gente Guelfica Reſtaurator Rhenaugiæ, ex Italia domum anno 856. reverſus, Roma attulit Reliquias S. Blaſii. Vita S. Fint. cum Diplomate Ludovici de anno 858.

(m) Hæc igitur Charta primum conſcripta fuit anno 858. qui annus eſt primus Nicolai Papæ, licet traditio ipſa Cellæ Albæ præceſſerit jam anno 856. Chartas autem ſæpe diu poſt traditiones conſcriptas fuiſſe, tradunt Beſelius in Chronico Gottwicenſi parte I. pag. 186. Patres S. Mauri in Opere Diplomatico Tom. I. pag. 60. in notis. & liquet ex pluribus collectionis noſtræ Chartis.

(n) Vide Schœpflin loc. cit.

(o) Eadem igitur eſt Cella, quæ etiam in poſterioribus monumentis promiſcue vocabatur ſubinde *Cella Alba, & Cella S. Blaſii*, ut in Actis Murenſibus: *Wernerus Comes pergens ad ſupradictam Cellam Albam* &c.

ſub confirmatione tradidit Renaugiæ (p) ad ſtabiliendum ſervitium S. Mariæ, annuente Domno Wolvene ejusdem loci hereditario Tutore.

IV.

ANNO 862.

Traditio facta in Alpegowe a Nanger & Adalnui.

Ex Chartulario.

Ego itaque *Nanger* in Dei nomine ſeu uxor mea *Adalnui* cogitantes tractavimus, ut aliquam rem de hereditate noſtra, pro remedio animæ meæ, & pro Dei amore ad Monaſterium *Wolveni* (q) quod nominatur *Renaugia*, quod conſtructum eſt in honore Beatæ Mariæ ſemper Virginis, aliorumque innumerabilium ibidem requieſcentium (r) ipſam rem tradimus atque transfundimus ad ipſum locum prædeſtinatum perpetualiter poſſidendam. Hoc eſt tertia pars, quæ nobis contingit in ſilvis, quæ jacent in duabus marchis, quæ ambo nominantur *ad Alapſin* (s); & de terra pars una, quæ jacet inter noſtras terras; & in alio loco de terra jugera XII. Si quis vero ego ipſe, quod abſit, aut alius quilibet, iſtam traditionem, quam ego *Nanger*, & uxor mea *Adalnui* donavimus, frangere, vel irrumpere voluerit, nullo modo poſſit, ſed ſit culpabilis, in erarium Regis auri uncias V. & argenti pondera VII. coactus perſolvat, & ipſa tra-

(p) Monaſterium S. Blaſii a Rhenaugia ſeparatum fuit poſt vaſtationem Hungarorum Sæculo X. quando teſte Ekardo Juniori S. Gallenſi apug Goldaſtum Rerum Aleman. T. I. pag. 29. ſaltum *Schwarzwalde* pervagarunt, aliis eorum ſociis ex altera parte Rheni per Hirmingerum in Friconia anno 925. internecione deletis. *Reginbertus* inter Monachos Rhenaugienſes Catalogo S. Galli, non inter converſos Sæculi XI. ſed ut Presbyter manu Sœculi X. recta linea adſcriptus, primus ibi denuo habitare cœpit, & pro libertate S. Blaſii Ottonem I. anno 962. ſolicitavit, impetravitque adnitente *S. Conrado* Epiſcopo Conſtantienſi, qui eo tempore Abbatiam Rhenaugienſem adminiſtrabat, accedente poſtmodum anno 983. Diplomate Ottonis II. Sequenti Sæculo XI. per *Henricum de Seldenbüren* auctis inſigniter S. Blaſii rebus, primus conſtituitur Abbas *Beringerus*, ut nobis quidem veriſimilius videtur, aliis Beringerum ad ſuperius Sæculum collocantibus.

(q) Dicebatur Monaſterium *Wolſeni*, quia illud reſtauraverat, a Fundatoribus genitus, Abbas ſimul & Fundator.

(r) Wolfenus Rhenaugiæ, prout in Diplomate anni 858 narratur, plurimas Sanctorum Reliquias condiderat; inter quas & illas S. Blaſii Roma attulit.

(s) Duo loca eiusdem nominis Alpſen in Alpegowe haud procul diſſita adhuc extant.

traditio nihilominus firma permaneat. Actum in Villa Loucheringen (t) coram testibus idoneis, anno XX. Hludewici Regis. Anno III. Nicolai Papæ (u).

V.

ANNO 870.

Diploma Ludovici Regis, quo Cleggoviæ Rhenique tractum donat Rhenaugiæ.

Ex Autographo.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hludowicus Divina favente clementia Rex. Oportet igitur Nos, quia Divino sumus munere quodamodo præ ceteris mortalibus sublimati, ejus in omnibus parere præceptis cujus clementia prælati sumus, atque cujus præcellimus munere, loca utique sibi sacrata nostro relevari juvamine, atque Regali tueri munimine, quoniam id nobis & ad mortalem vitam temporaliter transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam liquido credimus profuturum. Quapropter comperiat omnium præsentium scilicet & futurorum solertia, qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum, & pro remedio animæ Domni Avi ac Genitoris Nostri (w), nec non pro salute dilectæ Conjugis nostræ, ac carissima Prole, concessimus quasdam res proprietatis nostræ ad Monasterium, quod vocatur *Rinhowa*: id est illam proprietatem, quam *Uoillioz* (x) habuit in locis subnotatis: *Gahtelinga*, *Sibelinga*, *Hovestat*, *Hiedestatt*, *Altunburg*, *Palba*, *Suabowa*, *Raffa*, *Welvenesriuti*, *Wilehinga*, *Haselacha*, *Arzinga*, *Wizwila*, *Loucheringa* (y). Cum Ecclesiis cunctisque Ecclesiasticis

---

(t) In Cleggowe, ad fines Alpegowe.

(u) Annus XX. Ludovici a pace Virdunensi est Christi 862. sed Pontificius a Scriptore Chartularii additus non nihil fallit.

(w) Caroli Magni & Ludovici Pii.

(x) *Uodillioz* in Chartulario scribitur *Uodilloz*, in Catalogo vero S. Gallensi inter Monachos Rhenaugienses *Adilleoz*, in altero demum duplicato Diplomate *Odilleoz*; qui primus inter Cleggoviæ Dynastas occurrit, & dum Rhenaugiæ Monasticem amplexus est, procul dubio Regi Ludovico auctor fuit, ut possessiones, quas in beneficium obtinuerat, alias ad proprietatem Regis redituras, Monasterio donaret.

(y) Loca ista Cleggoviæ nunc dicuntur: Gächlingen, Siblingen, Hoffstetten, Jestetten, Altenburg, Balm, Swaben, Rafftz, Reuti, Wilchlingen, Haslach, Erzingen, Weisweil, Lauchringen. Hæc olim Comitatum Cleggoviæ constituisse feruntur.

ſticis rebus, & mancipiis utriusque ſexus, curtilibus, ædificiis, terris cultis & incultis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, omnibusque ad eadem loca jure legitimo pertinentibus (z) ut perpetualiter permaneant ad Monaſterium præſcriptum *Rinhowa*, ubi nunc *Wolvine* Abbas eſſe dinoſcitur, quod volumus, ut ſit ſecuriter diebus vitæ ſuæ per hoc noſtræ auctoritatis præceptum. Inſuper etiam de loco *Lonſa* in omni quoque tempore tertia poſt biduum die vel nocte usque *Suabowa*, ab eodem autem omni tempore in utraque *Reni* parte, usque locum, qua *Tura* influit, ſine ullius contradictione piſcandi facultatem concedimus (a). Poſt obitum vero prædicti Abbatis prædicti Monaſterii Fratres licentiam habeant ſecundum Regulam S. Benedicti (b) Abbatem eligendi, quamdiu inter ſe poſſit inveniri; at ſi non poſſe contingat invicem reperiri, quod abſit, a quacunque Monachicæ profeſſionis Congregatione ſibi placeat, ſalva electione ſua ſibi Rectorem eligant, donec rurſus eorum aliquem Divina Clementia inibi votivum diſponet fieri diſpenſatorem. Et ut hæc noſtræ largitionis auctoritas in ſuccedentibus annis ab omnibus Dei fidelibus noſtris firmius habeatur, & diligentius obſervetur, noſtræ confirmationis præceptum conſcribi juſſimus, propriaque manu noſtra illud firmavimus, & annuli noſtri impreſſione ſigillari præcepimus. Signum Domni *Hludowici* Sereniſſimi Regis. *Heberhardus* Cancellarius ad vicem *Grimaldi* recognovi. Data XIII. Kal. Aprilis, anno XXXVII. Regni Domni Hludowici Sereniſſimi Regis in orientali Francia regnante. Indictione III. Actum Franconofurt, in Dei nomine feliciter Amen (c).

(z) Clauſulæ iſtæ ampliſſimæ, a ſummo Principe adjectæ territorium cum plena jurisdictione complectuntur, quam Advocati primo nomine Monaſterii, denique etiam proprio exercebant.

(a) Jus piſcandi in Rheno ad Regalia pertinens, duarum horarum tractu Rex Monaſterio conceſſit, quo adhuc fruitur.

(b) Regula S. Benedicti ab ovo illata eſt Monaſterio Rhenaugienſi, ex Capitularibus Caroli Magni apud Mabillonium in Annalib. ad annum 811.

(c) Annus ab orientali Francia, id eſt 832. cum Indictione III. deſignat annum 870.

Sub eodem dato extat alterum Diploma, pariter authographum, eundem ſenſum iisdem verbis exprimens, non nihil tamen abbreviatum. Docet enim Mabillonius de Re Diplomatica lib. I. cap. III. n. 5. Duplicia nonnunquam ejusdem rei exempla exarata fuiſſe; cum Inſtrumenta, ſi ad placita Comitum per diverſos Pagos deferrentur, non diu duratura eſſent. Similia habet Chronicon Gottwicenſe pag. 77.

VI.

Karoli Craſſi Charta Permutationis de Rebus Monaſterii & Comitis Gozperti anno 872.

Noverit omnium tam præſentium quam futurorum induſtria, quia Vir quidam Illuſtris (d) nomine *Wolvene* mihi *Karolo Hludewici* Sereniſſimi Regis filio de ſua proprietate conſtructum Monaſterium in jus proprium atque dominationem poſt ſuum obitum conceſſit habendum. Poſtea vero inter Ipſum & *Gozpertum* (e) fidelem Comitem noſtrum quandam commutationem pro utilitate ejusdem Monaſterii noſtri facere complacuit. Dedimus namque Ego, & idem *Wolvene* Fidelis Abba noſter de præfato Cœnobio quicquid in pago Turgowe in *Laufarro* (f) Marcho, in ſilvis, paſcuis, & in villulis *Langewiſa*, *Flurlingin*, *Moriswilare*, *Tachsheim* habuimus, & in pago *Cleggowe*, in Villa, quæ vocatur *Lozeſtettin*, & in *Raffo* tenuimus, tam terris, quam domibus, paſcuis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, cultis & incultis, & quicquid dici aut nominari poteſt. Et accepimus ab eodem Comite Gozperto, quicquid in pago Cleggowe in Villa, quæ dicitur *Arzingen* Baſilicam, ejusque Decimationem, cum cunctis appenditiis ſuis. Et in Villa, quæ vocatur *Balba* huobas, quas ibidem habuit, cum cunctis rebus ad easdem pertinentibus; talemque hereditatem, qualem apud *Richgerum* acquiſivit; & decimationem in *Jeſtettin*, & in *Houtſtettin*; in eadem commutatione partem, quam habuit in *Suabowa*, hoc eſt, tam terris, quam ædificiis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, vel quicquid dici aut nominari poteſt. In eam videlicet rationem, ut ego & prædictus Abba noſter, atque idem Comes noſter ſecundum præfixam commutationem ab hodierna die omni tempore habendi, tenendi, vel quicquid de ipſis rebus ad noſtram utilitatem cupimus, liberam in omnibus faciendi poteſtatem habeamus. Si quis vero, quod fieri non credimus, *nos ipſi*, aut ullus ſucceſſo-

(d) Illuſtris titulus eodem loco olim habebatur ac modo Sereniſſimus, nec niſi Abbatibus ſanguine claris hoc ævo a Regibus tribui cœpit. Mabill. de Re Diplom. L. II. c. 3. n. 4. Du Cange.

(e) Gozpertus Cleggoviæ Comes in arce Kuſſenberg ſedem habuiſſe creditur, poſtea Rhenaugiæ Abbas Monaſterio reſtituit, quæ per hanc commutationem acceperat.

(f) Bona igitur in Lauffen eique ſubjectis Vicis Langwiſen, Flurlingen, Mörlen, & Tachsheim, item & in Lottſtetten ad Monaſterium ſpectabant.

cessorum nostrorum, hanc commutationis Cartulam infringere temptaverit, sociante Fisco (g) multam componat, hoc est auri uncias X. argenti pondera totidem coactus persolvat, & insuper hæc commutatio stabilis, atque inconvulsa permaneat omni tempore. Actum in Villa *Aschinza* (h) Domno *Karolo* præcipiente, & per ejus Missum *Adilbertum* nos de eadem commutatione revestiente (i). Præsente Salomone Episcopo (k); anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXVI. Regni autem Hludewici Serenissimi Regis XXXVI. (l) Mense Aug. die Lunæ; anno IIII. Johannis Papæ VIII. coram idoneis testibus (m).

VII.

Traditio Winitheri.

ANNO 875.

Diversis Divinæ auctoritatis provocamur exemplis, transitorias rerum contempnere substantias & mansuros æternæ felicitatis desiderare thesauros, quos erugo & tinea demoliri nequeunt, nec fures effodere nec furari. Hæc ego *Winithere* (n) salutifera compunctione pertractans, trado omnem hereditatem meam ad Monasterium, quod dicitur *Renaugia*, & est constructum in honore sanctæ *Mariæ* semper Virginis, nec non S. *Petri* Principis Apostolorum, ubi *Wolfene* Fundator (o) loci illius Venerabilis Abba præesse dinoscitur. Et hoc est,

---

(g) Id est socio Fisco, ita ut medietas mulctæ Monasterio cederet. Notari quoque meretur, quod Karolus sibi ipsi, ac Successoribus suis potestatem adimat, hunc Contractum infringendi.

(h) Eschenz Vicus ad terminum Laci Veneti.

(i) Id est: in possessionem immitente; unde Investiturarum nomen.

(k) Salomon hujus nominis primus Episcopus Constantiensis obiit anno 873. unde hæc commutatio facta est anno 872. qui convenit cum anno 36. Ludovici Germanici Epocha ducta ab anno 827. qui primus fuit Bavariæ Regni.

(l) Charta hæc videtur scripta anno 876. qui convenit anno 4to Joannis Papæ VIII. Chartæ enim non semper eodem anno scribebantur, quando fiebant Contractus; unde hæc ipsa commutatio anno 878. per aliam Chartam confirmata est.

(m) Joannes VIII. electus anno 872.

(n) Winithere legitur in Catalogo S. Galli factus Rhenaugiæ Monachus.

(o) Seu Restaurator, Nepos primi Fundatoris.

eſt, quod trado: Quicquid in pago *Turgovenſi*, in Comitatu *Adilberti* Comitis, & in Villa Bazmundinga (p) habere viſus ſum, tam agris, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, mobilibus & immobilibus, cultis & incultis, vel quicquid dici aut nominari poteſt, præter unum Molendinum, vel unum jurnale, atque de pratis ad unam Garrandam (q), quæ ſita eſt ad orientalem partem fluminis, qui dicitur *Biberaha* (r). Hæc tantum diebus vitæ meæ habere deſidero, cætera omnia manu Advocati mei *Otharii* trado in jus & dominationem ſupradicti Monaſterii, in eam duntaxat rationem, ut quamdiu in ſæculo manere voluero, omnes res meas in mea habeam poteſtate: & quandocunque Dei inſpirante Clementia ſæculum relinquere, & in Monaſterio permanere placuerit, tunc in eodem Monaſterio duorum Fratrum annonam, nec non & indumenta, ſicut duo Fratres ſingulis annis accipere ſolent, mihi tribuantur. Inſuper & unius Canonici (s) tertia annona atque ejusdem indumenta mihi addantur. Et confeſtim, cum in ſupra memorato Monaſterio perſiſtere decrevero, ſuperius nominata proprii juris hereditas cum omni integritate ad jam ſæpe nominatum Cœnobium abſque ullius contradictione perpetualiter poſſidenda permaneant. Si quis vero, quod fieri non credo, Ego ipſe, aut ulla obpoſita perſona contra hanc traditionem venire, & eam frangere conatus fuerit, in erarium Regis multam componat, id eſt auri uncias X. argenti libras totidem coactus perſolvat; inſuper traditio hæc ſtabilis & inconvulſa permaneat. Actum in Villa *Trullinhovm* (t) coram frequentia populi & teſtibus. Anno XXXIII. Hludewici Regis, octavo idus octobris die Sabbati (u).

VIII.

Notitia Publica Traditionis Engilhart.

ANNO 876.

In Dei nomine. Notum ſit univerſis, qualiter *Engilhart* (w) ſuam hereditatem tradidit ad Monſterium *Rinowa*, quod conſtructum eſt in honore ſanctæ Mariæ ſemper

(p) Baſendingen. (q) Garranda, plauſtrum fœni.

(r) Influit in Rhenum infra oppidum Stein juxta Molendinum.

(s) Canonici dicebantur Clerici deſervientes Eccleſiæ. Du Cange. quales Rhenaugiæ præter Monachos alebantur.

(t) Trúlliken.

(u) Convenit a pace Virdunenſi cum littera Dominicali in annum 875. diem 8. Octobris.

(w) Engilhart inter Monachos Rhenaugiæ exſtat in Catalogo S. Galli.

semper Virginis, & sancti Petri Principis Apostolorum, ceterorumque Sanctorum, ubi *Wolvene* venerabilis Abba gregi Dei præesse dinoscitur. Et hoc est, quod tradidit: quicquid in Villa quæ vocatur *Hieroltenwilare* (x) habuit tam terris, quam ædificiis, vineis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, seu quicquid dici aut nominari potest, totum manu potestativa ad antedictum Monasterium tradidit. In eam videlicet rationem, ut *Adilgoz* frater ejus, & omnis procreatio ejus, eandem hereditatem teneant, censumque annis singulis ante Natale Domini inde persolvant, & ad Villam, quæ vocatur *Suarza* (y) deferant; hoc est situlas VI. (z) de vino, vel sex Maltera de grano, si autem census per III. annos dimissus fuerit, tunc ad prædictum Monasterium in perpetuum stet. Actum in Villa, quæ vocatur *Bazmundingen*, Anno XXXVI. Regni Hludewici (a) Regis, die Jovis, sub Comite Adilberto, præsentibus idoneis testibus quamplurimis.

IX.

Traditio Nobilis Matronæ Thieterat.

ANNO 876.

In Dei nomine. Notum sit multis, quia ego *Thieterat* tradidi hereditatem meam, cum manu Advocati mei *Ruotberti* pro remedio animæ Domini mei *Danchradi* (b), & animæ meæ requie, ad Monasterium *Rinaugia*, quod constructum est in honore sanctæ *Mariæ* semper Virginis, & sancti Petri Principis Apostolorum, ceterorumque Sanctorum, ubi moderno tempore *Wolvene*, Dominus ejusdem loci, gregi Dei præesse dinoscitur. Et hoc est, quod tradidi: quicquid in pago Turgowe, in locis, qui vocantur *Trullinhoven & Slate* (c), tam ex traditione

(x) Hodie Geroldsweiler in pago Zurigowe ad Limagum.

(y) Suarza olim vicus ad rivum cognominem, ubi nunc Partenon Paradysi.

(z) Situla idem quod amphora vulgo Eimer, cum triginta Garradam seu plaustrum efficiant. Du Cangius.

(a) Obiit Ludovicus Rex anno 876. die 28. Augusti; unde anni Regiminis hic desumendi sunt a morte patris Ludovici Pii, quæ accidit anno 840.

(b) Danchradi scilicet Mariti defuncti.

(c) Slat in plures vicos dividitur.

ditione Domini mei *Danchradi*, quam quicquid ibi acquisivimus, habere visa sum, tam terris quam ædificiis, mancipiis, silvis, pascuis, pratis, vineis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, seu quicquid dici aut nominari potest, totum manu potestativa ad antedictum Monasterium tradidi; in eam scilicet rationem, ut easdem res, & quicquid in eadem Villa ad illud Monasterium pertinet, tempore vitæ meæ habeam; post meum vero de hac luce discessum, ambæ res in omnibus melioratæ ad antedictum Monasterium redeant imperpetuum tenendæ. Si quis vero hanc traditionem a me legaliter factam infringere voluerit, hoc, quod inchoavit, perficere nequeat, & insuper in erarium Regis multam persolvat, hoc est auri uncias III. argenti pondera VI. & hæc traditio firma stabilisque permaneat stipulatione subnixa (d). Actum in Villa *Trullinhoven* coram idoneis testibus, anno, quo supra (e).

X.

Traditio Amilgeri.

ANNO 876.

In Dei nomine. Notum sit omnibus præsentibus & futuris, qualiter ego *Amilger*, pro remedio animæ meæ, tale do prædium, quale comparavi in Villa *Trullinhoven* a duobus Fratribus *Tanherado & Otachero* in proprietatem ad Monasterium, quod vocatur *Rinowa*, quod est constructum in honore sanctæ *Mariæ* semper Virginis, & sancti *Petri* Principis Apostolorum, aliorumque multorum, ea videlicet conventione, ut *Wichrammus* (f) frater meus habeat omnibus diebus vitæ suæ, Monachisque in Festivitate *S. Benedicti* (g) prandium singulis annis det. Post exitum vero Wichrammi filius meus *Amilger* habeat, ea denique pactione, ut hoc ipsum prædium, quod in marcha est, quæ vocatur *Trullinhoven*, & ad præfatum Monasterium pertinet, habeat omnibus diebus vitæ suæ. Post obitum

(d) Stipulatione subnixa, id est solemni actu per stipulam, aut subscriptione, vel legum dispositione; unde superius dixerat, traditionem legaliter factam fuisse.

(e) Scriptor Chartularii in superiori Charta, juxta ordinem suum posuerat annum 876. unde ad eundem reponenda est præsens.

(f) Wichrammus Monachus Rhenaugiæ, postea Abbas.

(g) Festivitas S. Benedicti illo ævo celebrabatur die 11. Julii impedita die 21. Martii ob quadragesimam.

obitum vero amborum, utraque pars prædii redeat ad prædictum Monasterium (h), & ad mensam Monachorum, sine ullius contradictione. Actum in *Rhenaugiensi Insula* (i) coram frequentia populi, & idoneis testibus, mense Martio, die Lunæ, anno, quo supra.

XI.

Traditio Othrami.
ANNO 876.

In Dei nomine. Notum sit multis, quia ego *Othram* tradidi hereditatem meam ad Monasterium *Rinouca*, quod constructum est in honore sanctæ *Mariæ* & sancti *Petri*, ubi *Wolvene* Dominus gregi Dei præesse cognoscitur. Et hoc est, quod tradidi: Quicquid in pago Cleggowe in locis nuncupatis *Wizwila & Arzingen* habere visus sum, tam terris, quam ædificiis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, seu quicquid dici aut nominari potest, totum ad antedictum tradidi Monasterium, in eam scilicet racionem, ut si de præsenti itinere reversus fuero (k), tunc quandocunque voluero, habeam potestatem, cum IIII. denariis inde redimendi (l). Si autem in hoc itinere defunctus fuero, tunc filii *Othardi* habeant potestatem infra IIII. annos cum IIII. libris redimere. Si autem ab illis in prædicto tempore redemptæ non fuerint, tunc ad prædictum Monasterium in perpetuum sint. Et ut hæc Charta firma stabilisque permaneat, manu propria eam confirmavi, & testes idoneos confirmare rogavi. Actum in eodem Monasterio, anno, quo supra, die Jovis, sub Comite *Uodalrico* (m), præsentibus idoneis testibus quamplurimis.

 XII.

(h) Trulliken ex fundatione Wolfeni pertinebat ad Monasterium, bona tamen particularia hic & alibi a Benefactoribus addebantur.

(i) Non solum nomen, sed etiam situs Monasterii exprimitur.

(k) Iter bene longum, fortasse in terram sanctam.

(l) Pacta reluitionis sæpe illo ævo donationibus minimo pretio addebantur; raro tamen teste Vadiano in opus redigebantur.

(m) Udalricus Comes sæpe in Chartis hujus temporis occurrit, aliquando etiam cum Adilberto Comite, ut ad annum 879. in Charta Herrgotti N. LXXX. sub Udalrico & Adalberto Comitibus. Argumento plures Comites ejusdem pagi interdum fuisse, prout olim Warinus & Rutardus, ac postea Bertholdus & Erchangerus eorundem pagorum simul Rectores fuerunt.

XII.

Confirmatio Concambii cum Gozperto Comite Præcipiente Karolo Rege facta.

ANNO 878.

Notum sit tam præsentibus quam futuris, quia præcipiente Domno *Karolo* Rege (n), Ego *Wolvene* humilis Abbas, cum consensu Fratrum meo regimini subjectorum, quondam Concambium cum *Gozperto* Comite fecimus (o). Dedimus namque prædicto Gozperto, quicquid in pago *Turgowe* in *Lauffaro* Marcho, in Villulis nuncupatis, id est *Langenwisa*, *Fluorlingen*, *Morawwilare*, & *Tachsheim* habuimus; cum ædificiis, terris, & silvis, exceptis veteribus agris, & pratis, quæ antea ad *Gehinhovin* & *Holzheim* pertinebant, & ea ratione ad *Louffin*, & illi veteres agri & prata, quæ in ista marcha jacent, & antea ad Lauffin, ad jam prædicta loca pertinebant, firmiter ad ea pertineant. Et in pago nuncupato *Chleggowe* quicquid in *Loteſtettin* & in *Roffo* habuimus, tam terris, quam domibus, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, seu quicquid dici aut nominari potest, exceptis veteribus agris & pratis, quæ antea ad *Balbo* pertinebant. Et accepimus ab eodem *Gozperto*, quicquid in pago *Chleggowe* habuit in Villa, quæ dicitur *Arzingen*, rem Ecclesiasticam & decimationis integritatatem, & illam etiam partem, quam idem Comes ab Episcopo *Salomone* Constantiensis Ecclesiæ cum prædiorum suorum commutatione acquisitam recepit (p). Talemque hereditatem, qualem apud *Rickerum* acquisivit in *Trasmundingen* & *Rechbergin*; & illam partem, quam in *Suabowa* habuit, & omnem Decimationem in *Jedeſtettin*, & in *Hoveſtettin*, excepta decima huoba, quæ ad *Lousin* pertinet; & in Villa, quæ vocatur *Balba*, huobas, quas ibidem habuit, cum cunctis rebus ad easdem pertinentibus, exceptis veteribus agris & pratis, quæ ante ad *Lozeſtettin* pertinebant. Cætera omnia, hoc est tam terris quam ædificiis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, cultis & incultis, seu quicquid dici aut nominari potest, ab

(n) Karolus Alemanniæ Rex, Filius Ludovici Germanici, postea Imperator dictus Crassus. Vid. Chart. n. XV.

(o) Decimarum pars Episcopo competens, utique quarta, tunc acquisita.

(p) Anni omnes conveniunt; nam Karolus a morte Patris secundo anno regnabat.

ab eodem in commutationem antedictarum rerum accepimus; in eam rationem, ut ego *Wolvene* Abba, & Fratres mihi subjecti, atque prædictus Comes *Gozpertus*, secundum præfixam commutationem ab hodierna die omni tempore habendi, tenendi, & quicquid de ipsis rebus ad nostram utilitatem cupimus, liberam in omnibus potestatem faciendi habeamus. Si quis vero, quod fieri non credimus, nos ipsi, aut ullus Successorum nostrorum, hanc commutationis Cartam infringere temptaverit, sociante Fisco multam imponat, hoc est auri uncias X. argenti pondera totidem coactus persolvat, & insuper hæc commutatio stabilis atque inconvulsa omni tempore permaneat. Actum in loco, qui vocatur *Hagin*. Anno ab Incarnatione Domini DCCCLXXVIII. anno V. Johannis Papæ VIII. Regni autem Domni *Karoli* Regis II. coram Adilberto misso Dominico, & multitudine populi, & idoneis testibus. Præsente *Salomone* Episcopo (q) & *Wolvene* Abbate, & *Gozperto* Comite, & Advocato *Liutone*, qui hanc commutationem inter se fecerunt.

XIII.

Catalogus Monachorum Rhenaugiensium ex Libro Fratrum Conscriptorum Monasterii S. Galli.

INSTRUMENTUM FRATERNITATIS.

ANNO 885.

Ex Monumentis Sangallensibus.

Anno ab Incarnatione Dominica DCCCLXXXV. Indictione III. Imperante Serenissimo Domno Karolo (r) Imperatore Augusto, facta est conventio salubris

 inter

(q) Cum Salomon anno 873. obierit, huic confirmationi præsens non fuit, sed ipsi contractui commutationis anno 872. celebrato; dicitur enim in ingressu hujus Chartæ: *Quondam*, id est, jam pridem concambium fuisse factum; confirmavit Karolus jam Rex, quod olim ut Protector Monasterii fecerat. Cæterum Contractus & Chartas diverso sæpe tempore factas fuisse testatur Chronicon Gottwicense Part. I. p. 186. Opus Diplomat. Congr. S. Mauri Tom. I. p 60. in notis.

(r) Carolus Crassus ab a. 880 Imperat. Edidit hoc Instrumentum cum quibusdam fragmentis subsequentis Catalogi Goldastus Rer. Aleman. Tom II. pag 141. Sed ita confuse atque mendose, ut ex ipso authographo S. Gallensi accuratam copiam substituere decreverimus.

inter Monasterium *S. Galli*, cui tunc Venerabilis Abba *Bernhardus* (s) præesse videbatur, & aliud Monasterium, quod *Rinowa* nominatur, ubi Wichrammus (t) præfuit ipso tempore, ea ratione videlicet, ut quandocunque de uno istorum Monasterio ad aliud Monasterium Defunctorum nomina pervenerint Fratrum, Plena Missarum & Vigiliarum, Psalmorumque & oblationum commemoratio peragatur, sicuti solent in utraque parte pro suo proprio agere Fratre.

XIV.

Nomina Fratrum de Monasterio Rinowa. (u)

ANNO 885.

Ex Authographo Libro S. Galli.

WICHRAM Abba. (w)
WOLVINE Abba.
ANTWART Abba.
ADALHART Presbyter.
PERAHTKER Presb.
THIOTINE Presb. (x)
LIUTHERI Presb.
OTHART Monachus.
ISANBRECHT Presb.
PALD Mon.
RICHKER Presb. (y)
ADILEOZ Diaconus. (z)
HUMBREHT Presb.
EGILGER Mon.

WOLF-

(s) Bernardus successit Hartmuoto anno 884. in S. Gallo.
(t) Et Wichrammus Wolveno Rhenaugiæ anno 878.
(u) Sic habet titulus in Codice isto antiquissimo Sangallensi coëvo.
(w) Inscribuntur Abbates & Monachi ordine retrogrado; priores enim sunt, qui tempore initæ Fraternitatis vixerunt, ut Wichram Abbas a. 885. Wolvine a. 878. Antwart a. 858. Gozpertus de a. 852. utpote ex S. Gallo postulatus omittitur.
(x) Multi ex his exprimuntur in Chartis, ut Thiotine anno 853. & Liutheri filius Sigemari a. 856.
(y) Richker a. 872.
(z) Adileoz a. 870.

WOLFHART Presb.
EGILHART Diac. (a)
ODALGER Presb.
CUNDHERE Subdiaconus.
PERINGER Presb.
ADALUNG Diac.
LIUTPRECHT Subd. (b)
WOLFDRIGE Presb.
OTHART Subd.
WOLFHART Subd.
OTINE Subd.
WINITHERE Cler. (c)
RUMOLF Presb. (d)
LOBEGIS Presb.
ODALHART Presb.
RICHPRECHT Presb.
WAGO Mon.
HERIMAR Presb.
FINDAN Mon. (e)
ENGILHART Presb.
EMICHO Presb.
SUAB Presb. (f)
NOTKER Mon.
LIUTO Subd.
MEGINHART Presb. (g)
FINDICAN Subd. (h)
WEIFHERE Presb.

HILTINE

(a) Egilhart a. 876.
(b) Liutprecht a. 892.
(c) Winithere a. 875.
(d) Rumolf cum reliquis ætate jam notatos præcessit, neque tempore initæ confraternitatis amplius vixit. Sic
(e) S. Fintanus obiit anno 878.
(f) Suab benefactor vixit a. 857.
(g) Meginhart item a. 855.
(h) Findican Scotus Scriptor vitæ S. Fintani.

HILTINE Presb.
TUNHAN Mon.
SIGIMAR Mon. (i)
THINGOLT Mon. (k)
REGIMBER Presb. (l)
WIPRACT Abba. (m)
SIGEHAST Abba. (n)
UODALKER.
MANAGOLD.
ALBERTH.
PERICHKER.
WODALHAST.
ENGILSKALCH.
. . . .
ADALBRACT Abba. (o)
. . . .
NOTKER Abba. (p)
ALBKER Presb.
. . . DELBERT Presb.
. . . TO Presb.
. . . DALHART Diac.
. . . NELGER Diac.
. . . EROLT Diac.

ALBER-

(i) Sigimar Vir nobilis a. 856. tradidit Rhenaugiæ Cellam Albam, & poſt filium ſuum etiam ſemetipſum.

(k) Hucusque omnes uno eodemque charactere anno 885. huic libro adſcripti fuere. Sequentes diverſa manu ſecundum ætatis differentiam inſcripti & interpolati fuerunt. In authographo ſequuntur alii multi, qui ad Rhenaugienſes non pertinent.

(l) Regimbertus extra ordinem ſcribitur Charactere Sæculi X. qui Reſtaurator Cellæ Albæ ſeu S. Blaſii creditur, inter Monachos Rhenaugienſes hoc locó relatus.

(m) Wipraſt ſeu Wipertus Abbas ad annum 975.

(n) Sigehaſt, ſeu Sigehardus præcedentis ſucceſſor.

(o) Adalbract ſeu Adelbertus Abbas Rhenaugienſis dicitur in Chronico vetuſtiſſimo Monaſt. Einſidlenſis a. 990. miſerabiliter occiſus.

(p) Notkerus ejus ſucceſſor cum toto conventu inſcribitur, ſed ſyllabæ anteriores nominum, lacerato folio, truncatæ ſunt.

ALBERTHELO.
. . . DELBERT.
. . . ERINGER.
. . . UOSTEIN.
. . . IPRACT.
. . . OLKELO.
. . . TO.
. . . SIGEBOTO.
. . . EIKHO.
WOLVENE Abb. (q)
OTTO Abb. (r)
ARNOLFUS.
SWIGGER.
BURCHARDUS.
ANNO.
LUITOLDUS.

Monachi. (s)

HEBERHARDUS.
LANPERTUS.
BERINGERUS.
RUODOLFUS.
ALBARN.
HEINRICUS.
DIETHELMUS.
RUOGERUS.
ARNOLDUS.
HERNEST.
CUONO. *Converſi.*

(q) Wolfenus hujus nominis ſecundus ponitur ad a. 1098.

(r) Ejus ſucceſſor Otto ex Monacho Hirſaugienſi poſtulatus Abbas Rhenaugienſis cum toto conventu adſcribitur.

(s) Superiores ſunt Monachi ſub Ottone Abbate viventes; ſequuntur converſi, ac denique Sorores ſeu Moniales, in ſpeciali clauſtro incluſæ. Hi porro omnes uno charactere, Sæculi XII. exarati ſunt, & omnes pariter in necrologiis Rhenaugienſibus manu ejuſdem ætatis ad dies emortuales notantur.

Converſi.

ITA.
MACHTHILT.
GUOTA.
MACHTHILT.
WARBURC.
RICHINZA.

Sorores.

DIEMAR Abb. (t)

XV.

Traditio Uodalgeri & Immæ ejus Conjugis.

ANNO 888.
Ex Chartulario.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Notum ſit tam præſentibus, quam pro longa ſuccedentia futuris, quia ego *Uodalger* manu poteſtativa, una cum conjuge mea *Imma*, trado hereditatem meam ad Monaſterium, quod *Rinaugia* dicitur, & eſt conſtructum in honore ſanctæ *Mariæ* ſemper Virginis, ubi modo *Gozpertus* (u) præeſſe dinoſcitur. Et hoc eſt, quod trado: quicquid in pago *Turgowe*, in villis Appillinhuſin, & *Zezinwilare* (w) in præſenti habere dinoſcor, excepto videlicet, quod in *Richelingen* habere videor; cum domibus aliisque ædificiis neceſſariis, pratis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, cultis & incultis, quæſitis & inquirendis, hæc omnia ad jam dictum condono Cœnobium, ea videlicet convenientia, ut illud beneficium, quod *Egino* in *Slate* tenet, & quicquid in Villa *Bazmundingen* inveſtita præfati Monaſterii hactenus fuit, in meam accipiam ſub uſufructuario proprietatem; & quando ſagina porcorum eveniat, XX. porci de parte loci ſupra nominati inſagientur; & ut

(t) Diemar Abbas ſucceſſor Ottonis ad annum 1125. omnium ultimus huic antiquiſſimo monumento adſcribitur.

(u) Gozpertus Comes, de quo in Chartis a. 72. & 78. ſucceſſit Antwarto Abbas quintus.

(w) Senſus eſt: præter ea, quæ dedit in Reichlingen, tradidiſſe in Appelhauſen & Ezweiler &c.

ut ego utrasque res diebus vitæ meæ sub censu unius denarii possideam, qui solvatur in Natali sancti Joannis Baptistæ. Quod si conjux mea me supervivat, censum eundem det, & res supra dictas sine ullius contradictione diebus vitæ suæ possideat. Post discessum amborum nostrorum cum omni integritate ad supra dictum Monasterium utræque res redeant jure possidendæ. Si quis hanc traditionem infringere voluerit, rerum multarum culpabilis existat, hoc est auri uncias III. argenti pondera V. coactus persolvat, & nihilominus firma stabilisque permaneat. Actum in loco, qui dicitur *Rinaugia* in Basilica ejusdem loci, coram Gozperto Comite (x) & idoneis testibus. Anno I. Arnolfi Regis. XV. Kal. Julii. Anno II. Stephani Papæ V. (y)

XVI.

Traditio Guoatheri.

ANNO 892.

Ex Chartulario.

In Dei nomine. Ego itaque *Guoathere* (z) trado hereditatem meam, quam a *Wicherio & Bertoldo & Nanggero* conquisivi. Et hoc est, quod trado: Casadam (a) legitimam sitam in *Mundichingen* (b) cum omnibus ad eandem Casadam pertinentibus, ædificiis, viis, pascuis, trado ad Monasterium, quod *Rinowa* dicitur, & est constructum in honore Dei Genitricis semperque Virginis *Mariæ*, ubi modo *Gozpertus* præest; ea videlicet ratione, ut sub censum unius denarii rem supradictam teneam, & quandocunque redimere voluero, ego vel legitimus heres meus, cum VI. denariis redimendi habeat potestatem. Actum

 in

(x) Videtur idem fuisse, qui Abbas.

(y) Cum exauctorato Karolo Crasso, Arnolfus fratris filius die 11. Nov. anno 887. subrogatus fuerit, sequitur, Chartam datam fuisse anno 888. Stephani V. anno IV. cum electus fuerit anno 885. mense Majo.

(z) Guoadhere idem quod vulgo Guet Herr, Bonus Dominus, quæ ethimologia aliis quoque similibus applicanda.

(a) Casada legitima, Domus ruralis cum agrorum numero, idem, quod Prædium.

(b) Wunderkingen dicitur in Charta apud Herrgott Geneal. Dipl. Num. CXIV. in pago Chletggowe situm.

in pago *Chleggowe*, in Villa *Altunburch* (c), coram Gozperto Comite, anno V. Regis *Arnolfi*, VI. autem Stephani Papæ V. idibus Februarii.

XVII.

Donatio Gozperti Comitis & Abbatis.

ANNO 892.

Ex Chartulario.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego itaque *Gozprecht* trado hereditatem meam pro remedio animæ meæ & Parentum meorum ad Monasterium, quod *Rinowa* nominatur, estque constructum in honore Dei Genitricis semper Virginis *Mariæ*, nec non sancti *Petri* Principis Apostolorum, ubi ego ipse licet indignuus Abba gregi Dei præesse videor (d). Et hoc est, quod trado: quicquid in pago *Turgowe*, in locis *Laufin*, & *Morinswilare*, & *in Fluorlingen* (e) in præsenti habere visus sum; in eam videlicet racionem, ut quandocunque voluero, cum uno solido redimendi habeam potestatem; & si a me redemptum non fuerit, tunc *Adilbertus* consobrinus meus (f), vel legitimus heres ejus, redimendi habeat potestatem cum duabus libris in duobus annis; & si a me, neque a supradictis personis redemptum non fuerit, tunc in potestate & dominatione præfati Cœnobii absque ullius contradictione in perpetuum stet. Trado etiam quicquid in *Ouwa* (g) habere visus sum, eo scilicet pacto, ut sub censu II. denariorum habeam singulis annis inde solvendum, & quandocunque velim, inde cum I. solido redimendi habeam potestatem; & si ego inde non redemero, *Rinloz* redimat cum X. solidis; & si a neutro nostro redemptum non erit, tunc perpetualiter stet ad jus præfati Monasterii. Trado quoque quicquid in pago *Hegowe*,

(c) Altenburg haud procul Rhenaugia, in fundo Cleggoviæ, ubi Comites ejusdem pagi sedes suas habuisse volunt Ægidius Tschudius Galliæ comatæ pag. 266. & Clariss. Rustenus Heer Anonym. Murens. pag. 337.

(d) Gozpertus quondam Comes, nunc Abbas.

(e) Receperat quondam hæc loca per commutationem a Wolveno & Karolo Crasso, prout in Chartis de annis 872. & 878. habetur, quæ per præsentem Chartam restituit.

(f) Adilbertus Comes consobrinus Gozperti, & cognatus Wolveni dicitur junior ad distinctionem senioris. Videatur Charta XCVI. apud Herrgott Geneal. Diplom.

(g) Ouwa hodie Eglisau. Tschudius Chron. Helvet. Tom. I. pag. 151. Herrgott in prologo pag. LIV.

Hegowe, in villa, quæ dicitur *Buoetingen* (h) in præsenti habere visus sum, ea videlicet racione, ut quandocunque cum uno denario redimendi habeam potestatem; & si a me redemptum non fuerit, tunc *Folkere* (i) filius meus similiter redimendi potestatem habeat, & si a neutro nostrum redemptum non erit, tunc in potestate ac dominatione præfati Cœnobii absque ullius contradictione imperpetuum stet. Trado etiam, quicquid in *Rinheim* (k) hactenus habere visus sum, ea videlicet convenientia, ut quandocunque voluero cum I. solido redimendi habeam potestatem; & si a me redemptum non fuerit, tunc in potestate ac dominatione ejusdem Monasterii perpetualiter possidendum perseveret. Quicquid igitur in prædictis locis hactenus habui, tam terris, quam domibus, Basilicis, & rebus Ecclesiasticis, cassadibus, mancipiis, vineis, pomariis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, silvis, cultis & incultis, mobilibus & immobilibus, exitibus & regressibus, vel quicquid dici aut nominari potest (l), totum trado in jus & proprietatem præfati Monasterii. Si quis vero, quod minime credo, contra hanc traditionem, quam manu potestativa peregi, venire, & eam subvertere conatus fuerit, in erarium Regis auri uncias III. argenti pondera V. coactus persolvat (m), & nihilominus hæc traditio firma stabilisque permaneat. Actum in pago *Turgowe*, in silva, quæ dicitur *Huonresloh*, coram multitudine populi, & testibus idoneis (n). Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCII. anno Regis *Arnolfi* V. anno autem I. Formosi Papæ. XIIII. Kal. Julii, die Dominico (o).

XVIII.

Alia ejusdem Gozperti Donationis Charta.

ANNO 892.

Ex Authographo.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego itaque *Gozprett* trado hereditatem

(h) Hodie Bietingen ad Danubium.
(i) Folkerus filius Gozperti factus est Rhenaugiæ Monachus, ut Msc. antiquissima perhibent.
(k) Rheinheim haud procul arce Küssenberg adhuc possidetur a Monasterio; unde adjecta pacta reluitionis nunquam in opus redacta sunt.
(l) Amplissimæ clausulæ, cum Comes etiam jurisdictionalia possedisse, indubitatum sit.
(m) Pœna pro singulis hujus traditionis partibus intelligenda est.
(n) Testium nomina in sequenti authographo proferuntur.
(o) Concordant omnia etiam littera Dominicalis B. A.

ditatem meam, pro remedio animæ meæ, Parentumque meorum ad Monasterium, quod *Rinova* nominatur, estque constructum in honore Dei Genitricis semperque Virginis *Mariæ*, nec non Beati *Petri* Principis Apostolorum, aliorumque Sanctorum quam plurimorum, ubi ego ipse licet indignus Abba gregi Dei præesse videor. Et hoc est, quod trado: quicquid in pago *Hegave* in Villa, quæ dicitur *Puatinga* (p) in præsenti habere visus sum, tam terris quam domibus, casadibus, mancipiis, pomariis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, exitibus & regressibus, vel quicquid dici aut nominari potest, totum trado atque transfundo in jus & proprietatem præfati Cœnobii; ea videlicet ratione, ut quandocunque voluerim, cum I. denario redimendi habeam potestatem. Et si a me redemptum non fuerit, tunc *Folkero* filius meus similiter redimendi potestatem habeat; & si a neutro nostrum redemptum non fuerit (q), tunc in potestate ac dominatione præfati Cœnobii absque ullius contradictione in perpetuum stet. Si quis vero, quod minime credo, contra hanc traditionem, quam manu potestativa peregi, venire & eam subvertere conaverit, in ærarium Regis auri uncias III. argenti pondera V. coactus persolvat, & nihilominus hæc traditio firma stabilisque permaneat. Actum in pago *Turgave*, in silvula, quæ dicitur *Huomrislo*, coram multitudine populi, de quibus hi scripto commendati sunt (r): Signum *Gozperti*, qui hanc traditionem fecit. *Adalberti Comitis* (s). *Luitolt. Theoterich. Cozhelm. Item Theoterich. Hartpret. Hugipret. Adalger. Item Theoterich. Otpert. Adalhelm. Meginbret. Medalger. Folchart. Immo. Erinbret.* Ego itaque *Liutpret* (t) Monachus rogatus anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCII. anno Regis Arnolfi V. XIII. Kal. Julii, vel XVIII.

(p) *Bietingen.* De singulis locis superiori Charta contentis similes Chartæ particulares scriptæ fuerant.

(q) Particula negativa *non*, more illius ævi, redundat.

(r) Nomina testium in superiori Charta omissa hic exhibentur.

(s) Adalbertus Comes in donatione Lauffen consobrinus Gozperti vocatur; solus præfert signum crucis, quod alienum a more non esse tradunt PP. S. Mauri Tom. VII. Diplom. §. 206.

(t) *Liutpret* jam Monachus Rhenaugiæ erat anno 885. in Catalogo fœderatorum S. Galli dictus Subdiaconus, quales Notarii erant PP. S. Mauri §. 360. Mabillon. ex Capitulari Caroli M. de Re Diplomat. Lib. II. Cap. 13. n. 3.

XVIII. (u). Die Dominico notavi diem, & annum ſcripſi, & ſignum Notarii (w).

XIX.

Traditio Herluithin Wiechſa.

ANNO 898.

Ex Chartulario.

Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, qualiter ego *Herluith* pro remedio animæ meæ in proprium do unum agrum (x), qui in Marcha jacet, quæ vocatur *Wiechſa* (y) ad Monaſterium, quod vocatur *Rinova*, ea videlicet conventione, ut ego ipſe habeam usque ad exitum meum, & ſingulis annis inde cenſum perſolvam, id eſt unum molabilem molarem. Poſt obitum vero meum *Wartanimus* nepos meus ea ratione habeat, quatinus ſingulis annis II. lapides molares ad præfatum Monaſterium omnibus diebus vitæ ſuæ reddat. Poſt finem vero illius ad propriam poteſtatem ipſius Monaſterii ſine ullius contradictione firmiter redeat præfatus ager. Actum in loco, qui vocatur *Puſelingen* (z) coram præſentia populi & idoneis teſtibus. Anno XI. Arnolfi Regis. anno I. Johannis VIIII. Papæ (a).

XX.

Concambium inter Pabonem, & Rupertum Abbatem.

ANNO 912.

Ex Chartulario.

In Dei nomine. Notum ſit tam præſentibus quam futuris, quia ego *Pabo* cum

(u) Loco *vel* legendum *ſeu* die XVIII. Junii, hæc enim promiſcue illo ævo ſumebantur.

(w) Signum variis calami ductibus efformatum, procul dubio nihil aliud indicat, quam *ſubſcripſi.* Uſi tamen ſunt Notarii his figuris, ne quis facile eorum manum imitaretur. Citati PP. S. Mauri in Opere Diplom. Tom. VII. §. 289. 290. & 382.

(x) Ager certa portio terræ arabilis. Du Cange.

(y) Wiechſa hodie Widen in Turgovia.

(z) Hodie Bieſingen in Hegovia.

(a) Joannem IX. ad finem præcedentis anni electum narrat Hermannus Contractus.

cum Rectoribus Monasterii, quod dicitur *Rinova*, Idem cum *Ruodperto* (b) Abbate, ejusque Advocato *Hilderado*, quoddam Concambium feci. Dedi namque eis acquisitionem meam, quam acquisivi a Seniore meo (c) *Wolvino* in Villa, quæ dicitur *Hasala*, in pago Cleggove, & in eadem Marcha, & accepi ab eis, quidquid illi habuerunt in villa, quæ dicitur *Ostrolvingen* (d), & in eadem Marcha, in eam racionem, ut ego atque Rectores præfati Monasterii secundum præfixam commutationem ab hodierna die, quicquid de ipsis rebus ad nostram utilitatem cupimus, liberam in omnibus faciendi teneamus potestatem. Actum in ipsa villa Hasala (e) Anno ab Incarnatione Domini DCCCCXII. anno autem Regni *Chuonradi* Regis I. Anastasii vero II. Papæ I. Mense Octobri die Veneris (f).

XXI.

Traditio Thuetonis S. Conrado Administratore Facta.

ANNO 963.

Ex Chartulario.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, qualiter ego *Thuoeto* pro remedio animæ meæ, Matrisque meæ, tale prædium, quale in Villa, in Marcha *Trullinhova* acquisivi, do atque trado in proprietatem ad Monasterium, quod vocatur *Rinova*, quod est constructum in honore sanctæ *Mariæ* semper Virginis, & sancti *Petri* Principis Apostolorum, ceterorumque quam plurimorum, ea videlicet conventione, quatenus *Wipertus* (g) nepos meus, qui & Monachus Renaugiensis Cœnobii, habeat, & quicquid ibi ad locum illum rite pertinet, simpliciter ea conditione ad necessitatem suam redigat, quatenus singulis annis ad mensam

(b) *Rupertus* circa idem tempus successit in Abbatia Rhenaugiensi Gozperto II. Abbati & Comiti.

(c) *Senior*, id est Dominus, Wolfenus nempe, qui jam ante 30. annos obierat; proinde *Pabo* hoc tempore oppido senex fuit.

(d) Hodie *Ostervingen*.

(e) *Hazlach*, seu, ut interpretatur Gregorius Mangold, Hallau, ejusdem pagi Cleggoviæ.

(f) Hermannus Contractus scribit etiam ad hunc annum Anastasium secundum, alii vero numerant Tertium.

(g) *Wipertus* postea resignante S. Conrado factus est Abbas. In Catalogo S. Galli vocatur *Wipract* seu *Wiprast*.

mensam Monachorum de præfato loco tribuat III. modios ferinæ, & VI. situlas (h) cerevisiæ, & I. vini, & II. Frischingos (i) sive I. unius sicli valentem. Hæc omnia habeat atque possideat omnibus diebus vitæ suæ, sine ullius contradictione. Post mortem ipsius præfata res ad ipsum Monasterium, ad mensam Fratrum ipsius Monasterii redeat. Si Abbas aut Monachi, vel aliquis de potestate eorum impedimentum vel ullam lesionem deinde intulerint, hoc ipsum ad coheredes meos redeat. Actum in Villa *Trullinhova* coram præsentia Domini *Chuonradi* Episcopi (k), cum consensu Monachorum, & præsentia populi, & idoneis testibus, & *Engilboldo* Advocato; V. Idus Aug. Dominico die, anno XXVIII. Ottonis III. Imperii. Duce Burchardo (l).

XXII.

Diploma Ottonis I. seu Magni, quo privilegia Rhenaugiensis Monasterii confirmantur.

ANNO 973.

Ex Authographo.

In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Otto* Divina disponente providentia Imperator Augustus. Omnium pateat fidelium nostrorum præsentium & futurorum industriæ, quod Venerabilis Constantiensis Ecclesiæ Episcopus *Chuonradus* nostram imploravit Serenitatem (m), quatenus conscriptiones & præcepta ab antecessoribus nostris Regibus videlicet & Imperatoribus (n) Monachis & Monasterio Rhenaugiæ edita, nostra etiam confirmatione roboraremus. Cujus

---

(h) *Situla.* Amphora vulgo Eimer.

(i) *Frischingus* porcus seu agnus anniculus. Ad marginem scribitur manu Sæculi XV. Frischingus ist ein Schauf (Schaf) X. plaphert werd. *Sicla* certa moneta hæbeis uncia, valet 4. obolos, quorum quilibet 10. denarios.

(k) *S. Conradus* Episcopus Constantiensis ex Fundatorum Rhenaugiensium prosapia tunc illius Monasterii Administrator erat.

(l) Littera Dominicalis *D* annum 963. designat, qui fuit XXVIII. ex quo *Otto* Magnus a Patre Henrico Rex declaratus fuit. Annus III. Imperii a corona Mediolani accepta computandus est, quo tempore Dux Alemanniæ *Burchardus* erat.

(m) S. Conradus ultro depositurus administrationem, facultatem eligendi Abbatem expetiit.

(n) Diplomata Caroli M. Ludovici Pii, atque Germanici.

Cujus petitioni assensum præbentes, simulque priorum constituta super immunitate sancti loci perpendentes, præcipimus, & statuimus, ut præscriptum Cœnobium ea immunitate subsistat, sicut Cartarum textus eidem loco conscriptarum enuntiat. Ut videlicet Monachi in ipso Monasterio manentes, vel in posterum successuri, secundum Regulam sancti *Benedicti* Abbatem inter se eligendi, & Advocatum, quocunque eis libuerit, inquirendi habeant licentiam. Et ut idem Monasterium cum personis intrinsecus & forinsecus sibi coherentibus, terris quoque cultis & incultis, ad se juste, donative, ac legaliter pertinentibus, nostro, nostrorumque Successorum post Deum & Sanctos ejus municipatui subjectum (o), nullius superioris aut inferioris personæ difficultate turbetur, aut cujuscunque districtionis sive præceptionis molestiam patiatur. Sed liceat ipsi Abbati, sine ullius contradictionis obstaculo, Monachos suos regulariter regere, familiæ præcipere, res Monasterii ordinare, intus vel foris omnia, juxta consilii sui provisionem, decenter, congrue, & utiliter gubernare. Igitur, ut prædictum est, sub nostra tuitionis immunitate locus prænotatus subsistens, ab omni alienæ inquisitionis seu exactionis molestia securus permaneat, ut Dei servitoribus inibi degentibus, pro nobis & Imperii nostri stabilitate, sine aliqua forinseca inquietudine, omnipotenti Deo jugiter liceat supplicare. Et ut hoc nostræ concessionis præceptum per futuri temporis curricula ratum perseveret, hanc Cartam inscribi jussimus, annulique nostri impressione manu propria subtus firmavimus. Signum Domni *Ottonis* (p) Magni Imperatoris Augusti. *Willigisus* (q) Cancellarius in vicem Rodperti Archinotarii subscripsi. Data. XV. Kal. Sept. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXIII. Indictione XV. Anno regni Domni Ottonis XXXIIII. Imperii autem XIII. (r) Actum Constantiæ.

XXIII.

(o) Libertas & Immedietas Monasterii claris verbis exprimitur.

(p) Prædicatum *Magni* non ad initium, sed ad finem Diplomatum reperiri, habet Chronicon Gottwicense pag. 168 & 178.

(q) Willigisus anno 977. successit Ruodperto in Archiepiscopatu Moguntino, prout habet Chartularium antiquissimum Rhenaugiæ.

(r) Indictio Constantiniana seu Cæsarea cum initium sumat a die 24. Septembris, convenit cum anno Incarnationis & Imperii; Regni autem diversæ erant Epochæ; forte hæc deducta a corona Aquisgrani accepta. Porro Ottonem I. hoc anno superstitem fuisse tradunt Urspergensis & Albertus Stadensis, sequuntur Stumpfius, Crusius, Hartmannus, Bucelinus, & Besselius in Chronico Gottwicensi pag. 196. Diploma Einsidlense Ottonis II. datum quatuor diebus ante hoc præsens, quod authographum legi, sic incipit: *Otto*

XXIII.
Simile Diploma Ottonis II.

ANNO 974.

Ex Authographo.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Otto* Divina favente Clementia Imperator. Noverint omnes nostri Fideles præsentes & futuri in posterum, qualiter conscriptiones & præcepta ab Antecessoribus nostris Regibus videlicet & Imperatoribus Monachis & Monasterio *Renaugiæ* edita nostra etiam confirmatione roboravimus. Insuper etiam præcipimus & statuimus, ut præscriptum Cœnobium ea immunitate subsistat, sicut Cartarum textus eidem loco enuntiat. ut videlicet &c. (s)

Signum Domni *Ottonis* Magni (t) Imperatoris Augusti. Willigisus Cancellarius ad vicem Ruodberti Archinotarii subscripsi. Data IIII. Kal. Julii. Anno Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXIIII. Indictione I. (u) anno Regni Domni Ottonis XIII. Imperii VI. Actum Wormatiæ.

XXIV.
Diploma Ottonis III.

ANNO 995.

Ex Authographo.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. *Otto* Divina favente Clementia Rex. Si piis ammonitionibus Religiosorum virorum, quas pro Monasteriis sibi commissis auribus nostris infuderint, pium præbuerimus auditum, hoc procul

 dubio

Otto Junior, Senioris Divina annuente Clementia Coimperator Augustus. Quibus aperte Senior superstes probatur. Unde aliis historicis præferenda esse Diplomata probant PP. S. Mauri tomo ultimo §. 711.

(s) Sequitur textus ut in superiori Diplomate, usque ad subscriptionem.

(t) Prædicatum *Magni* etiam in Diplomatibus Ottonis II. addi, tradit Chron. Gottwicense pag. 197. ubi etiam notatur in Ottonianis sigillis reperiri Globum p. 168.

(u) Indictio rursus Cæsarea est. Anni Regiminis computantur ab anno 961. quo a Patre Rex Germaniæ adscitus; Imperii vero ab anno 968. quo Romæ coronatus in consortium Imperii admissus est.

dubio & ad præsentis nostri Regni statum, & ad æternæ beatitudinis præmium nobis profuturum fore credimus. Quapropter omnium fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum noverit solers industria, quomodo nos interventu ac petitione dilectæ amitæ nostræ *Mathildæ* (w) Venerabilis Abbatissæ, nec non & fidelium nostrorum *Willigisi* scilicet sanctæ Moguntiensis Ecclesiæ Venerabilis Archiepiscopi, *Hildibaldi* quoque Wormatiensis Ecclesiæ Reverendissimi Præsulis, presertim & pro remedio animæ nostræ, nostrorumque Parentum, per paginam nostri præcepti restituimus, atque corroboravimus Monasterio *Renaugia* nominato, in honore sanctæ Dei Genitricis Virginis *Mariæ*, & sancti *Petri* Principis Apostolorum, & sancti Blasii (x) Martyris Christi constructo, cui Notkerus (y) Venerabilis Abbas præesse videtur, omnem illam terram, quam *Gebehardus* (z) Constantiensis Ecclesiæ Episcopus usurpative tenuit de præfato Monasterio, ea videlicet ratione, ut prædictus Abbas, suique Successores in sua suorumque Monachorum utilitate habeant, teneant, & absque omnium mortalium contradictione, inquietudine, vel diminoratione possideant. Si quis vero, quod minime credimus adfuturum, Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Comes, Advocatus, aut aliqua nostri Regni magna parvaque persona, nefaria temeritate hanc nostram præceptalem restitutionem, & corroborationem irrumpere conatus fuerit, sciat se compositurum in nostro banno centum libras (a) auri optimi, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prædicto Monasterio. Et ut hæc nostra Regalis restitutio, atque præceptalis corroboratio firma atque inviolabilis perenniter consistat, manu propria eam subter firmavimus, & annuli nostri impressione consignavimus. Signum Domni *Ottonis* Gloriosissimi Regis. *Hildibaldus* Episcopus & Cancellarius, vice Willigisi Archiepiscopi recognovi. Data III. Idus Octob. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCV. Indictione VIII. Anno autem Tertii *Ottonis* Regnantis XII. (b) Actum Quintiliniburg feliciter amen.

XXV.

(w) Mathilda anno 966. consecrata fuit Abbatissa Monasterii Quintiliburgensis, a Patre & Avo ipsius fundati, obiit 999. Duo Episcopi iidem sunt, qui subscripti.

(x) S. Blasius cooptatus fuit Patronus ob sacras reliquias, quarum pars in Cellam Albam translata.

(y) Notkerus post Adelbertum Wiperto in Abbatia Rhenaugiensi successerat.

(z) S. Gebhardus bona olim administrante S. Conrado confusa non reddiderat, prout nec ejus antecessor Gaminolfus.

(a) Pœnæ gravitas rei pondus, de qua agebatur, demonstrat.

(b) Omnia concordant.

XXV.

Diploma Henrici IV. Imperatoris, quo Rhenaugiæ Abbas Regularis restituitur.

ANNO 1067.

Ex Authographo.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Heinricus Divina favente Clementia Rex. Noverit omnium tam præsentium quam etiam futurorum industria, qualiter *Rumaldus* (c) Constantiensis Episcopus impetravit a nobis in beneficium quoddam Monasterium, quod *Rinaugia* dicitur; sed postea *Gerungus* (d) ejusdem Monasterii Abbas Venerabilis obtulit obtutibus nostris quasdam immunitates, quibus insertum erat, qualiter antedictum Monasterium a potestate Parentum nostrorum, Regum videlicet & Imperatorum, nec non Patris nostri piæ memoriæ Heinrici Imperatoris Augusti, esset constructum, atque plenissima libertate liberatum (e). Quorum morem etiam nos imitantes, prædictum Monasterium, ipso etiam Episcopo in id consentiente, multumque Nos super hac re efflagitante (f), propriæ libertati concessimus, ut ex hac die & deinceps neque Episcopus, neque ulla alia persona eundem Abbatem ejusque Successores seu Fratres inibi degentes audeat inquietare, ut liberi atque quieti pro nostra salute omnipotenti Deo die noctuque preces valeant effundere. Et ut hoc nostræ auctoritatis preceptum per succedentia tempora firmius habeatur, & diligentius observetur, propria manu firmavimus, & sigilli nostri (g) impressione sigillari jussimus. Signum Domni *Heinrici* quarti Regis. *Sigehardus* Cancellarius vice *Sigefridi* Archicapellani recognovi. Data VI. Idus Junii, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo LXVII. Indict. V. anno autem Ordinationis Domni Heinrici quarti Regis XV. Regni vero XI. (h) Actum Augeæ (i) feliciter amen.

 XXVI.

(c) Alias *Rumoldus* ex Præposito Goslariensi Monachus Eremi, ab anno 1051. Episcopus Constant. Hartmann in Annal. Eremi eodem anno.

(d) Gerungus in Abbatia Rhenaugiensi successerat Richardo.

(e) Non solum Diploma Henrici III. sed etiam Ottonis III. quod specialiter de Episcopis agit.

(f) Invitus beneficium acceperat, ipseque cum Gerungo Abbate, & Rudolpho Rinfeldensi Sueviæ Duce, Advocato Monasterii Regem convenerat.

(g) Monogramma cum sigillo videatur.

(h) Ordinatio ab electione anno 1053. Regnum a morte Patris 1056. computatur.

(i) Augea pro Augia frequenter hoc ævo in monumentis occurrit; Scriptor Chartularii habet Augia.

XXVI.

Donatio nobilis Matronæ Friderun in Villa Eggingen prope Ulmam ſub Henrico IV.

Ex Chartulario.

Notum ſit omnibus tam futuris quam præſentibus, qualiter ego *Friderun*, cum manu Filii mei *Marquardi* (k) trado legitima donatione ad Monaſterium, quod dicitur *Rinaugia*, totum Prædium quod in villa *Eggingen* (l) nuncupata hereditario jure hactenus habuimus, videlicet pro redemptione animæ dilecti mariti mei *Marquardi*, & ut ego & prædictus filius meus, & filia mea nomine *Ita* in eodem Monaſterio præbendas & manſiones noſtras (m) ſecundum morem & conſuetudinem ceterorum inibi manentium, deinceps habeamus. Quidquid igitur in prædicta villa, quæ ſita eſt in pago prope *Ulmam* habere videmur, tam mancipiis utriusque ſexus, quam pratis, paſcuis, agris, ſilvis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, mobilibus & immobilibus, exitibus & regreſſibus, cultis & incultis, totum trado in jus & dominationem præfati Monaſterii, ea conventione, ut præſcriptum eſt, & ut præſcripti Monaſterii Rectores & Fratres deinceps habeant facultatem ex ipſis rebus faciendi, quidquid eis ad uſum ipſius Eccleſiæ placuerit. Si quæ vero, quod abſit, obpoſita perſona contra hanc noſtram legitimam traditionem venire temptaverit, & eam infringere ſtuduerit, in erarium Regis auri uncias V. argenti pondera totidem coactus perſolvat, & ipſo donatio inconvulſa permaneat. Actum apud *Rammisheim* (n) in pago Hegowe, in Comitatu Udalrici Comitis de *Rammesperch* ipſo præſente, & *Gerungo* Comite de Stuolingen (o), coram multis idoneis teſtibus. Regnante Domno Heinrico IIII. Rege (p).

XXVII.

(k) Marquardus Monachus Rhenaugiæ factus, Friderun & Ita Benefactoribus adſcriptæ.

(l) Villa inter Ulmam & Echingen.

(m) Victum & habitationem, prout alii Præbendarii & Manſionarii Rhenaugiæ habebant.

(n) Hodie *Ramſen* ditionis Tigurinæ, alias Nellenburgicæ.

(o) Gerungus Comes de Stülingen adſcribitur etiam teſtis Chartæ Monaſterii omnium Sanctorum Schaffhuſii anno 1087.

(p) Multas Chartas ſine anni expreſſione datas fuiſſe docet Mabillonius & PP. S. Mauri Tom. VIII. §. 230.

XXVII.

Praeceptum Henrici V. quo restitutionem Bonorum Advocato injungit.

ANNO 1106.

Ex Chartulario.

H. (q) Gratia Dei Rex. Renaugensi Advocato (r) servientibus (s) ac Familiæ. Quoniam propter dissensionem, quæ temporibus Patris mei facta est, multa inordinata, injusta, & noxia pene ubique perpetrata sunt; Nos, quia Deo protegente Regnum Patrum nostrorum cum pace possidemus, volumus, ut Ecclesiæ Dei, quæ nostræ Dominationi ac defensioni subjacent, legitima jura sua habeant, & quæ per surreptionem utilitati earum contraria facta sunt, corrigantur. Unde præcipimus, ut quicquid in tempore bellorum de Monasterio *Rinaugia* nomine beneficiorum distractum & ablatum est, Ottoni (t) Abbati & fratribus restituatur, a diebus scilicet Gerungi (u) Abbatis, usque in diem, quo prædictus Otto Abbas ipsum locum ex nostra concessione (w) legitime obtinuit. Hoc etiam præcipimus, ne Advocatus terminos juris sui transeat, nec secundos Advocatos habeat (x), sed Placitum suum secundum consuetudinem antiquam loci habeat. Si quis autem huic præcepto nostro obtemperare neglexerit, sive liber sive servus, districti judicii nostri censuram non evadet.

XXVIII.

Idem Rex Henricus V. Bonum quoddam in Hofffletten restitui curat.

ANNO 1107.

Ex Chartulario.

H. (y) Dei Gratia Rex, L. (z) suam gratiam. Sicut nos amatis, & gratia de

(q) Ex sensu ipsius Chartæ liquet, intelligendum esse *Henricum V.* qui anno 1106. Regnum adeptus est.

(r) Advocatus intrusus erat *Arnoldus* Comes de Lenzburg.

(s) Clientes, qui Dominorum suorum partes armis tuebantur. Du Cang. Verbo servientes.

(t) Otto ex Hirsaugia Abbas postulatus.

(u) Gerungus obiit circa annum 1090. cui successere Chuno, & Wolfenus II.

(w) Anno 1105. Otto ab Henrico V. constitutus fuerat Abbas.

(x) Ac si prædæ non sufficerent Advocati Primarii, substituerunt secundarios.

(y) Henricus V. ad ulteriorem Fratrum instantiam has dedit litteras paulo post præcedentem Chartam.

(z) Lenzburgico Comiti intruso Advocato.

de noſtra ulterius gaudere vultis (a), firmiter præcipimus, ne amplius vos de illa Huoba, quam ſervus veſter *Suelhart* in loco Hoffaſtettin habet, intromittere præſumatis, ſed ad ſervitium Monachorum de *Rinowa* redire jubemus, ut non ultra ab eis ullam inde querimoniam audiamus (b).

XXIX.

Notitia Dedicationis Baſilicæ Rhenaugienſis.

ANNO 1114.

Ex authographo Manuſcripto.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXIIII. Indict. VII. XVII. Kal. Decembris dedicatum eſt hoc Monaſterium a Domno *Rudolfo* Venerabili Baſilienſi Epiſcopo (c) in honore ſanctiſſimæ Dei Genitricis *Mariæ* perpetuæ Virginis, & ſancti *Petri* Principis Apoſtolorum, *Alexandri* Papæ & Martyris, *Blaſii* Epiſcopi & Martyris, *Januarii* Epiſcopi & Martyris, Mauritii Martyris, *Findani* Confeſſoris.

XXX.

Traditio Bertoldi de Flacho Bonorum in Oſterſingen.

ANNO 1115.

Ex Chartulario.

Ego *Bertoldus* in nomine Domini notum facio omnibus præſentibus & futuris, quia

(a) Qui Comes olim Henrico IV. nunc autem ejus Filio Henrico V. fideliter adhæſit.

(b) Dato iterum caret Charta, ſed conſtat eam haud diu poſt præcedentem fuiſſe ſcriptam.

(c) Erat tum *Udalricus* Comes Kiburgi & Dilingæ electus Epiſcopus Conſtantiæ, in cujus Diœceſi ſita eſt Rhenaugia: Verum cum is confirmationem a Papa & conſecrationem obtinere non poſſet, quod ab Henrico V. Rege Inveſtituram acceptaſſet, Pontificalia ab alio Epiſcopo exerceri debebant; prout præcedenti anno 1113. in Dedicatione Baſilicæ S. Petri in Nigra Silva melius exprimitur apud Schœpflinum Tom. V. Hiſtor. Zaringo-Badenſis Charta XXIV. pag. 48. ubi dicitur: dedicatum fuiſſe illius Cœnobii Monaſterium a Venerabili *Wittone* Curienſi Epiſcopo, Domino *Udalrico* Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopo præſente & annuente, unacum ſeptem Religioſis Abbatibus: hoc eſt Domino Eppone tunc temporis ejuſdem Monaſterii Prælato, Brunone Hirſaugienſe, Ruſteino de S. Blaſio, Adalberto Scafhuſenſe, Dietggero de S. Georgio, *Ottone Rinaugienſe*, Egenone Auguſtenſe &c.

quia omnem hereditatem meam, quam habeo in *Ostrolfingin* (d) cum manu fratrum meorum *Rudolfi & Liutoldi de Flacho*, trado ad Monasterium sanctæ Dei Genitricis in *Rinova*, ea videlicet ratione, ut ego deinceps mansionem meam sicut quilibet Monachus ibidem habeam, & præfatum predium transeat absque ullius contradictione in jus & proprietatem prædicti Monasterii, Abbatis *Ottonis* & Monachorum, & in perpetuum eorum successoribus. Quisquis hanc traditionem in irritum ducere studuerit, in erarium Regis reus persolvat duas uncias auri, & III. pondera argenti. Actum in *Renaugia* coram multis testibus. Rege Heinrico IIII. (e)

XXXI.

Traditio Landfridi de Gisingen Bonorum in Bolzhausen.

ANNO 1115.

Ex Chartulario.

Omnes Fideles Christi noverint, qualiter ego *Lantfridus de Gisingen* (f) trado hereditatem meam, quam habeo de *Podilshusin* (g) & situm est hoc oppidum in pago, qui *Bara* dicitur, juxta Danubium, ad Monasterium, quod *Rinowa* dicitur, pro remedio animæ meæ, ad utilitatem ipsius æclesiæ deinceps ex hoc ipso prædiolo disponendam, ea ratione, ut ego ex hac hora mansionem meam in prædicto Monasterio, sicut quilibet Monachus, habeam. Si quis huic donationi obviaverit, multam coactus persolvat, id est uncias III. auri, & pondera totidem argenti in erarium Regis, & ipsa stabilis & firma permaneat. Actum in ipso Monasterio, Domno *Ottone* Abbate præsente, & Domno Heinrico IIII. Rege Regnante (h).

XXXII.

(d) *Osterfingen* in Cleggovia ditionis Schaffhusianæ. Bertoldus inter Monachos nostros reperitur.

(e) Otto sub *Henrico V.* Abbas fuit, dicitur tamen Henricus IIII. ab ejus coronatione Romæ facta anno 1111. Nomina vero Regum & Imperatorum in Chartis antiquis subinde promiscue sumpta fuisse docent Patres S. Mauri Tomo VI. §. 543. & Tomo ultimo §. 854.

(f) Oppidum ditionis Fürstenbergicæ, in Comitatu Barensi.

(g) Hodie Boltzhausen.

(h) Videatur nota b. præcedentis Chartæ. Cæterum innumera exempla Chartarum sine nota temporis exstare præsertim Sæculo XI. & XII. docent Mabill. & Patres Congreg. S. Mauri Operis Diplomat. Tomo ult. §. 861.

XXXII.

Donatio Arnoldi de Gutmadingen Bonorum in Bülach.

Ex Chartulario.

Ego *Arnoldus* de *Guotmuotingen* do hereditatem meam, quam habeo de *Bodilshusin*, & huobam unam in *Wilacho* (i) in pago *Zurichgowe*, pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, ad Monasterium, quod *Rinowa* dicitur, ea ratione, ut prædicti loci *Otto* Abbas & Monachi liberam copiam ad usum Ecclesiæ eorum ex ipsis prædiis habeant, & eorum successores. Volo etiam, ut post obitum meum ex prædicta huoba in *Anniversario* (k) meo Fratribus servitium detur. Actum in ipso Monasterio coram multis testibus idoneis, Regnante Heinrico V.

XXXIII.

Epistola Reconciliatoria Henrici V.

ANNO 1122.

Ex Chartulario.

Heinricus Dei Gratia Romanorum Imperator Augustus (l), Rhenaugensi Abbati totique congregationi salutem, & gratiæ suæ plenitudinem. Nos qui Æcclesiarum Defensores esse debemus, crebra petitione Episcopi dive memorie E. (m) ut sit, devicti erga vos vestramque æcclesiam fecimus, quod nec Deo nec bonis hominibus placere scimus. Sed quia vero humanum est peccare, diabolicum vero perseverare; fatentes peccasse, indulgentiam petimus nobis, prænominatique Præsulis animæ, & ea ratione concedimus, atque jubemus, vos pristina uti libertate.

XXXIV.

Concambium cum Liutoldo de Weissenburg.

ANNO 1123.

Ex Chartulario.

In Nomine Dei Summi. Noverint omnes præsentes & futuri, quia ego *Liutoldus*

(i) Bülach, olim Wilach est oppidum ditionis Tigurinæ, ubi census percipit Monasterium.

(k) Hic primo loco in monumentis Rhenaugiensibus occurrit mentio Anniversarii.

(l) Anno 1122. *Henricus V.* reconciliatus est Pontifici & Ecclesiæ, statimque juxta promissionem suam damnum passis satisfacere studuit.

(m) Creditur fuisse *Erlongus* Episcopus Herbipolensis, qui pariter reconciliatus hoc ipso anno obiit.

toldus de Wizinburc (n) dono prædium meum, quod haſtenus in *Wizwile* (o) habere viſus ſum, cum omnibus Juſtitiis ad idem pertinentibus attribuo ad Monaſterium ſanctæ Mariæ Dei Genitricis, quod eſt in loco *Rinowa* dicto: & ego recipio ab ejusdem Monaſterii Rectoribus in concambium, quidquid in *Alpegowe* in loco *Burgilun* (p) nuncupato habuerunt, & unam huobam in pago *Hegowe* in Willa *Morinshuſin* (q) dicta; ea ratione hanc commutationem confirmantes, ut ſine omni contradictione, quicquid nobis ad utilitatem noſtram viſum fuerit, ex eisdem rebus deinceps faciamus.

XXXV.

Donatio Bernardi de Grieſsheim.

ANNO 1124.

Ex Chartulario.

In Dei Nomine Ego *Bernhardus de Griezheim* compunctus æternæ vitæ amore, trado ad Monaſterium, quod dicitur *Rinowa*, quicquid hereditario jure in prædicta Villa usque nunc poſſidere viſus ſum, & in *Riuthi* huobam unam, quæ ambæ ſitæ ſunt in pago Chleggowe; Do etiam huobam unam in Villa nominè *Spreitenbach* in pago Zurichgowe. Hæc omnia, & ad ea pertinentia, id eſt Eccleſiaſticam Donationem in *Griezheim*, & ejusdem legitimam Advocatiam (r) cum cunctis prædictis locis jure poſſeſſionis adjacentibus tam mancipiis, quam & Militaribus (s) utriusque ſexus hominibus, & quæ ipſi habere videntur, ſcilicet pratis, paſcuis, vineis, pomariis, agris, ſilvis, cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus, mobilibus & immobilibus, exitibus, & regreſſibus, & quicquid dici aut nominari poteſt, totum trado & tribuo in jus & proprietatem præfati Monaſterii; ea videlicet ratione, ut ego deinceps in eodem Monaſterio neceſſaria mea, ſicut quilibet Monachus, habeam (t); & prædicti loci

Nnn 2 Abbas

(n) *Liutoldus de Weiſſenburg* erat Monaſterii Rhenaugienſis Advocatus, eandem arcem *Weiſſenburg* inſidens, quam S. Henricus II. anno 1023. Monaſterio dono dederat.

(o) *Weisweil* vicus horæ ſpacio Weiſſenburgo diſtans.

(p) *Bürglen* prope Gurtwilam.

(q) Mörizhauſen modo ditionis Schaffhuſianæ.

(r) Id eſt Decimas, Fabricam, jus Patronatus &c.

(s) *Militares* opponuntur *Mancipiis*: Die Mannſchaft und Leibeigene.

(t) Inter Monachos Rhenaugiæ *Bernardus* reperitur adſcriptus.

Abbas *Otto*, & Monachi & eorum fucceffores poteftatem habeant, ex ipfis rebus faciendi, quicquid eis vifum fuerit ad utilitatem ipfius æcclefiæ. Si quis vero, quod abfit, fecularis, aliave perfona donationem iftam caffare ftuduerit, in erarium Regis auri uncias VI. argenti pondera totidem coactus perfolvat, & ipfa nihilominus firma ftabilisque permaneat. Actum in præfato Monafterio coram multitudine populi, & *Liutoldo* (u) ejusdem æcclefiæ advocato, & Nockero fratre ejus de *Wizinburc*, & *Gerungo*, & fratre ejus *Liutoldo de Stuolingen*, cæterisque quampluribus idoneis teftibus. Regnante Domno Heinrico IIII. (w)

XXXVI.

Diploma Lotharii Regis Rom. quo præcedens donatio, aliaque Privilegia confirmantur.

ANNO 1125.

Ex Authographo.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego *Lotharius* (x) Divina favente Gratia Rex. Omnium Fidelium Chrifti præfentium & futurorum notum volumus effe induftriæ, qualiter Religiofus & Venerabilis Vir *Diethmarus* (y) Abbas Cenobii, quod *Renaugia* nuncupatur, Noftram Serenitatem imploravit, quatenus precepta & confcriptiones ab Anteceſſoribus noftris eidem Monafterio editas noftra etiam confirmatione roboraremus; cujus petitioni pias aures inclinantes, fimulque priorum inftituta fuper immunitate fancti loci perpendentes, præcipimus & ftatuimus, ut prefatum Cenobium ea immunitate fubfiftat, ut videlicet Monachi in ipfo Monafterio fecundum Regulam fancti *Benedicti* degentes liberam facultatem habeant, fecundum Deum Abbatem eligendi absque ullius terrore five contradictione. Quem etiam, fi inter fe non habuerint, de alio religiofo eligant Monafterio; qui videlicet electus nullius ditioni fubjaceat; nullius fuperioris aut inferioris perfonæ difficultate turbetur, aut in cujuscunque diftrictionis five preceptionis moleftiam patiatur; fed liceat ipfi Abbati fine ullius

(u) Idem, qui fuperiori Charta.

(w) Henricus alias *Quintus*, fub quo *Hugo* Abbas præfuit.

(x) Lotharius Rex III. Imp. II. eodem anno 3. Aug. electus. Videantur PP. S. Mauri Tom. IX. §. 62.

(y) *Diethmarus* fucceffit Ottoni, ultimus Catalogo Sangallenfi infertus.

lius contradictionis obstaculo Monachos suos rationabiliter regere, familiae precipere, res Monasterii intus & foris ordinare, omnia juxta consilii sui provisionem decenter, congrue, & utiliter gubernare; nulli extra familiam Ecclesiae aliquod beneficium praestare (z); Advocatum, quem voluerit consilio Fratrum eligat, ac ponat, qui nullum etiam sibi substituat (a), sed ita se agat, ut si Abbati displicuerit, loco cedat, & alius, qui melior ei visus fuerit, succedat. Praeterea idem Religiosus Abbas quoddam praedium in Villa, quae dicitur *Griezhem* (b) proprietati Cenobii sui nuperius ceteris traditum Regie Majestati nostrae tuendum commisit; cujus praedii traditionem testibus idoneis, quos ipse obtutibus nostris presentaverat, diligentius inspectam, ratam esse volumus ac successoribus per presentis paginae virtutem roborandam transmittimus. Fuit enim in prenominata Villa videlicet *Griezhem* quidam homo nobilis nomine *Bernhardus*, qui amore eterne vitae compunctus ad prefatum Monasterium tradidit, quicquid hereditario jure in predicta Villa possederat, & in *Riuti* hobam unam, que ambe site sunt in pago Chleggowe. Addidit etiam hobam unam in Villa *Spreitenbach*, que sita est in pago Ziurigowe. Haec omnia, & ad ea pertinentia, id est Ecclesiasticam donationem in *Griezhem*, & ejusdem legitimam advocatiam, cum hominibus utriusque sexus, & que ipsi habere videntur, contradidit. Volumus igitur, ut idem Cenobium cum omnibus intrinsecus & forinsecus sibi coherentibus, terris quoque cultis & incultis, inquisitis & inquirendis, viis & inviis, pratis, pascuis, silvis, vineis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, mancipiis, edificiis, & omnibus ad se juste & legaliter collatis & conferendis, sub nostre tuitionis immunitate subsistat, & ab omni aliene inquisitionis seu exactionis molestia securum permaneat. Et liceat Fratribus ejusdem Monasterii pacifice & quiete in futuro residere, & Dei servitium perficere, atque pro nobis & Conjuge, Prole quoque nostra (c) seu totius Regni a Deo colati salute Dei misericordiam attentius exorare. Et ut hec auctoritas concessionis & confirmationis nostrae firmior habeatur, & per futura tempora a cunctis fidelibus verius credatur, seu diligentius observetur, manu propria subter

(z) Plurima beneficia seu bona eo modo amissa fuere.

(a) Mox per Advocatos magna persecutio excitata.

(b) Nuperius facta traditio continetur in Charta superiori.

(c) Conjux *Richsa* filia unica Henrici pinguis Ducis Saxoniae & Biturigum; Filiae duae: *Gertrud* Henrici superbi Ducis Bavariae ex familia Guelfica, & *Hedwig* Ludovici Bavari uxores.

ter firmavimus, & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Signum Lotharii Sereniſſimi Regis. Ego *Embrico* (d) Prepoſitus & Archidiaconus ad vicem Archicancellarii *Adelberti* Moguntienſis Archiepiſcopi recognovi. Data III. Nonas Novembris. Anno Dominice Incarnationis Milleſimo centeſimo XXV. Indict. III. Regni vero Ejusdem Sereniſſimi Regis Lotharii I. (e) Actum Wormatie feliciter. Amen.

XXXVII.

Donatio Inſignis Liutoldi de Weiſſenburg.

ANNO 1125.

Ex Chartulario.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego *Liutoldus de Wizinburc* (f) carnali legitimo herede caſſatus, Divino autem timore correptus, Ipſum, qui mihi corpus & animam tribuit heredem poſſeſſionum mearum inſtituens, libera utens poteſtate, trado ad Monaſterium Genitricis ſuæ, in loco *Rinowa*, in pago Turgowe, quicquid hereditario jure viſus ſum poſſidere in pago Chleggowe, in locis his nominibus: videlicet in Arcingin, Wizinburc, Wizwilo, Ruodelingin, Buochperch (g), cum omnibus ad ea pertinentibus, ſcilicet hominibus utriusque ſexus Militaribus (h) & Ruſticanis, vineis & pomariis, pratis & paſcuis, cultis & incultis, agris, ſilvis, venationibus, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, piſcationibus, æccleſiis, æccleſiaſticisque poſſeſſionibus (i) ſeu quicquid dici aut nominari poteſt, totum legitima donatione trado in jus & dominationem præfati Monaſterii. Si quis autem, quod abſit, hanc traditionem caſſare voluerit, in erarium Regis multam componat, id eſt auri uncias ... argenti pondera VI. & ipſa nihilominus firma ſtabilisque permaneat (k).

XXXVIII.

(d) Embrico Erfurdenſis Præpoſitus, ab anno 1128. Herbipolenſis Epiſcopus.

(e) Omnia concordant.

(f) *Liutoldus* Advocatus Monaſterii ultimus primi ſtemmatis de *Weiſſenburg*, idem, qui in Chartis 48. & 49.

(g) Erzingen, Weiſſenburg, Weisweil, Rüdlingen, Buchberg.

(h) Homines etiam ad Militiam pertinentes ſuberant Dominis minoribus.

(i) Decimæ, Fabricæ, Patronatus.

(k) Chartularii ſcriptor datum omiſit, quod tamen circa annum 1125. reponendum eſſe, hiſtoriæ ſeries ſuadet.

XXXVIII.

Bulla Honorii II. Papæ, qua confirmantur Bona & Privilegia Rhenaugiæ.

ANNO 1126.

Ex Authographo.

H*onorius* Episcopus servus servorum Dei, Dilecto in Christo Filio *Dietmaro* Abbati Rhenaugiensis Monasterii, ejusque successoribus substituendis in perpetuum (1). Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio. Eapropter Fili Karissime *Dietmare* tuis petitionibus annuentes per presentis privilegii paginam Vestro Venerabili Rinaugiensi Monasterio confirmamus, quecunque ad idem Monasterium legitimis Fidelium donationibus pertinere noscuntur; quecunque etiam in posterum concessione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione Fidelium, juste atque canonice poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. Decernimus itaque sub Divini interminatione judicii, ut nulli omnino hominum liceat idem Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, aut in beneficium dare, sed omnia integre conserventur, eorum, pro quorum sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Nullus Advocatus constituatur, nec aliquis quolibet ingenio se ingerat, vel intromittat, nisi quem Abbas elegerit. Qui si in aliquo ei restiterit, concessa potestate careat, & alium auctoritate Apostolica Abbas substituat. Obeunte Te, nunc ejusdem loci Abbate, vel quolibet tuo successore, nullus ibi qualibet astutia vel violentia ponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel pars consilii sanioris elegerit. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica vel secularis persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, si non emendaverit, honoris potestatisque suæ dignitate careat, reamque se Divino judicio esse cognoscat, & a sacratissimo corpore Domini aliena fiat, sitque Anahema in die Domini extremo igne comburenda. Amen.

Ego

---

(1) Duplex inscriptionis clausula in Pontificiis rescriptis usuvenit, nempe *in perpetuum, & Salutem & Apostolicam Benedictionem*; Prior quidem in Bullis majoris momenti, & quæ in longum tempus valituræ erant, posterior vero in aliis brevioribus rescriptis, quæ in præsens exequenda. Ita Mabill. de re Dipl. Lib. VI. Colorat. I. pag. 622.

Ego *Honorius* Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi (m). Datum Lateranis per manus *Ailmerici* sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, vice Domni *Friderici* Archicancellarii, & Coloniensis Archiepiscopi. VI. Kal. Martii. Anno ab Incarnatione Domini MCXXVI. Indict. III. (n) Pontificatus Domni *Honorii* Papæ II. anno I.

XXXIX.

Charta Donationis quorundam Bonorum in Alsatia.

ANNO CIRCITER 1130.

Ex Authographo Msc.

B*urchardus de Munzenhem* (o) & uxor ejus *Hozicha*, quicquid proprii habuerunt in *Rubiaca* (p) dederunt sanctæ Mariæ & Congregationi *Renaugiæ*, & agrum in *Herinh* (q). *Hadelhelm* & uxor ejus *Renza* dederunt eidem congregationi decem Scazza (r) & jugerum unum. *Sigezo* & filii ejus dederunt undecim Scazza & duo jugera, & duas perticas (s) & Domum eidem Congregationi. *Ellenza* dedit VI. Scazza.

Ego Tetharius scripsi & subscripsi (t).

XL.

(m) Monogramma & Sigillum plumbeum videantur in tab.

(n) Substitue indictionem quartam. Qua de re Mabill. citat. Lib. II. Cap. XXV. N. IX. scribit: Inveniuntur quædam Bullæ *quarum calculus recentiorem nostrum prævertit.* Ubi exempla circa hos ipsos annos affert. *Ailmericus* seu *Emericus* Cardinalis sæpius in Bullis subscriptus reperitur, nunquam tamen cum titulo *Bibliothecarii*, alias consueto, prout fit in præsenti Bulla.

(o) Burchardus de Munzenheim vixit anno 1097. teste Charta Altorfensi. Munzenheim est vicus Alsatiæ, spectans ad Ducem Würtembergiæ S. Montis Belligardi.

(p) Rusach oppidum Alsatiæ.

(q) Herinheim seu Heringheim, vicus inter Ensisheim & Colmar, haud procul Rubiaco situs, pertinens ad L. B. de Schauenburg, successores Nobilium de Heringheim, qui expirarunt a. 1573.

(r) Sazza significat mensuram agri jugero majorem.

(s) *Pertica* certus agri modus decem pedibus constans. Du Cange.

(t) Notarius procul dubio unus ex Monachis fuit. Cæterum hæc bona anno 1242. vendita fuerunt Monasterio Marbacensi, prout testatur ejusdem anni Charta, in qua adduntur loca *Alschweiler*, *Sultz*, *Bulversheim*, & *Isenheim*.

XL.

Welphonis Ducis Donatio Monasterio Ittingensi in Turgovia facta.

ANNO 1160.

Ex Scriniis Monasterii Ittingensis.

W*elfo* Dei gratia Dux (u) *Adalberto* Præposito (x) & aliis dilectis Fratribus Canonicis de *Ittingen* (y), perpetuam in Christo salutem. Petitionibus justis assensum devote impendimus, & ea, quæ ad profectum & munimentum ordini vestro & sancto proposito esse possunt, libenter concedimus; unde ne spirituale propositum, quod Deo auctore in loco prædicto noscitur institutum, alicujus hominis fraude vel malevolentia, sive quacunque occasione imposterum perturbetur; notitiæ posterorum præsenti scripto insinuamus, quod nos intuitu pietatis & Religionis prædium *Ittingen* cum omnibus pertinentibus suis, insuper Advocatiam Ecclesiæ, quæ in Villa *Isslingen* (z) sita est, cum omnibus, quæ ad hoc jus pertinere videntur, vobis & Ecclesiæ vestræ solenni donatione tradimus, vobisque ac vestris successoribus hujus laudabilis vitæ propositum pie inibi servantibus, perpetuo jure præsentis scripti attestatione confirmamus, & post hanc solemnem traditionem, omnemque rationem reposcendi vel calumniam de eodem prædio refu-

(u) Welfonis frater Henricus Leo Dux Bavariæ simul & Saxoniæ jam pridem fundaverat hoc monasterium in hæreditate sua & Parentum suorum, prout ipse testatur in Diplomate dato Aste in Lombardia anno 1155. apud Herrgottum Tom. II. Charta 232. Proinde Welforum antecessores in Turgovia, ubi Ittingense Monasterium haud procul Rhenaugia situm est, fundos ac Dominia possidebant.

(x) Adalbero, Bertoldus, Udalricus & Gelphrandus de Ittingen Ministeriales Guelforum, cum istorum licentia, allodia sua, id est bona feudalia huic Monasterio tribuerunt, facti ibidem Canonici, quorum ultimus vocatur Frater conversus.

(y) Hadrianus Papa fundationem anno 1155. confirmavit. Hodie vero Monasterium possident Chartusiani emptum anno 1461.

(z) *Isslingen* certo inter possessiones antiquas Welforum numerandum est, haud procul Andelfinga & Rhenaugia. Et fortasse illud ipsum Ensilingen est, quod cum Andilfingen Sidonius Episcopus Constantiensis olim Sæculo VIII. donaverat Ruthardo S. Othmari persecutori teste Ratperto apud Goldast pag. 18. & S. Conradus Sæculo X. a Fratre suo Rudolfo in remoto pago Turgoviæ per commutationem receperat, ut refert Anonymus Weingartensis.

refutamus. Sane quicquid in hac re per nos factum est, coram Rege & magna Principum frequentia in curia, quæ apud Ulmam in festo Beati Jacobi Apostoli celebrata est, publice exposuimus; ubi nihilominus cum omni diligentia juxta modum donationis nostræ Rex dato privilegio Regalis subsidii, omnia salva & illesa vobis & vestris successoribus perpetuo jure habenda atque possidenda confirmavit. Si quis igitur imposterum quicquam ex his, quæ bene Deo auctore fecimus, mutare vel turbare præsumpserit, contra Regalem dignitatem se facere agnoscat, & nostram ac nostrorum successorum offensam se incurrere certissime sciat, ac Deo se ingratum de perpetrata iniquitate existere recognoscat. Præterea si quælibet persona familiæ nostræ pro remedio animæ suæ prædictæ Ecclesiæ prædium suum conferre voluerit, benigne concedimus. Fridericus & frater ejus Diecho & Hermannus de Castro Raverspurc, Conradus de Schmolunko, Fridericus de Walburch, Adelbero de Huneburc, & Frater ejus Diso, Henricus de Ramugen, & alii quam plures. Præsente Comite Conrado de Valejo, Wernherus de Altorf, Adelgotus de Milinstein, Rudolfus de Chichling. Henricus de Hagenowo. Datum anno 1160.

XLI.

Translatio inter Monasteria S. Blasii & Rhenaugiæ Ratione Parochiæ in Griesheim.

ANNO 1187.

Ex Archivo S. Blasii.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Hermannus Constantiensis Episcopus II. Status mortalium ex necessitate sue conditionis semper ad occasum vertit, nec possunt homines, qui morte prohibentur, permanere, perennia factis suis perhibere testimonia; & ideo Canonibus cautum est, & consuetudine probatum, ut justi contractus, donationes, & canonice transactiones scripture testimonio confirmentur, & cautionis robore perpetuentur. Universis ergo Dei Fidelibus hanc paginam intuentibus innotescat, qualiter litem de Patronatu Ecclesie in *Griezheim* inter Viros Venerabiles *Mangoldum* S. Blasii (a) & *Heinricum* (b) Rinau-

(a) *Mangoldus* de Ottwilare Abbas S. Blasii Frater Diethelmi Rhenaugiensis Abbatis, magna generis nobilitate pollens.

(b) Henricus hujus nominis primus Diethelmo de Ottwilare in Abbatia Rhenaugiensi successit.

Rinaugienſem Abbates diu verſatam canonica transactione decidimus, & ad bonum pacis compoſuimus. Utraque enim pars multis ſe defendebat preſidiis, & pluribus veriſimilibus pars utraque rationum, allegationum, teſtium, & privilegiorum munita fuit argumentis; & ideo non erat facile, litem per ſententiam decidere; quin etiam ne ad finem duceretur cauſa, appellationes crebro interpoſite impediebant. Ad mandatum igitur & petitionem Domini Conradi Archiepiſcopi Moguntini negotium ipſum, ſuſceptis ab utraque parte dextris, conſilio prudentum virorum ducti, ad pacem & concordiam ſub hac forma compoſuimus. Abbas S. Blaſii & Fratres ſui, ut ſe & Eccleſiam ſuam a labore litis eximerent, & memoratum jus Patronatus (c) quiete tenerent in perpetuum, Abbati Rinaugienſi & Monaſterio ſuo XXX. marcas argenti dederunt. Quas Abbas Rinaugienſis & Fratres ſui recipientes a lite receſſerunt, atque jus Patronatus, de quo contendebant, in perpetuum reſignabant, & Monaſterio S. Blaſii abſque omni contradictione, que quomodolibet ſuboriri poſſet, relinquentes reſignabant. Ne autem transactio hec cum conſenſu partium rationabiliter facta in ſcrupulum deinceps poſſet venire queſtionis, preſentem paginam conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione fecimus muniri. Acta ſunt hec apud *Steine* anno Dominice Incarnationis MCLXXXVII. Indict. V. Teſtes, qui interfuerunt: L. Abbas de Steine. H. Abbas de Schaffhuſin. R. Abbas de Waginhuſin. Uo. Prepoſitus Conſtantienſis Eccleſie. Dc. Decanus. Uo. Cuſtos. A. Scholaſticus. Sacerdotes. R. Plebanus in Schafhuſin. L. de Betmaringin. Milites. C. de Crenchingin. L. de Guotinburc. A. de Groninberc. R. de Wilare. Wezelo de Hugultzhovin & alii quam plures.

XLII.

Diploma Ottonis IV. Imperat. quo rata habetur concordia cum Advocatis de Crenkingen.

ANNO 1209.

Ex Authographo.

Otto Dei Gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Ea, quæ ad pacem & bonum Eccleſiarum conſilio Principum & Fidelium Imperii rationabiliter ordinantur, ne proceſſu temporum vel malitia ſeu labili hominum memoria deducantur in irri-

(c) De jure Patronatus in Griesheim videantur Chartæ ſuperiores de annis 1124. & 1125.

irritum, vel aliquatenus infringantur, litterarum memorie dignum ducimus commendanda. Quapropter notum facimus universis Regni nostri Fidelibus presentibus & futuris, quod Fideles nostri *Eberhardus* (d) Salzburgensis Archiepiscopus, & *Walterus* Curtiensis Episcopus (e) questionem illam, quam Abbas & Fratres de *Rinowe* habuerunt contra *Diethelmum*, & *Conradum* Fratres de *Crenkingen*, super eo, quod gravia dampna nomine advocatie ipsis contra debitum inferant, in hunc modum concordarunt. Promiserunt itaque idem *Diethelmus & Conradus*, quod, equod sunt Advocati Abbatie de *Rinowe*, alia servitia non requirent, vel accipient, quam ea, vel talia, sicut tempore Antecessoris nostri Imperatoris Friderici (f) accipere consueverunt homines ipsius Imperatoris, vel ipse Imperator, qui tunc advocatiam eandem in manu sua tenuit, & super hec Abbati aut Fratribus vel hominibus ipsius Monasterii nulla dampna inferent vel gravamina. Si vero ipsi Fratres (g) contra suam promissionem, & hanc inter eos ordinatam concordiam agere presumpserint, nisi statim super hoc commoniti emendaverint, Idem Abbas & Fratres sui super gravamine suo libere ad nos accedent, & nos debitam & plenam justitiam ipsis & eisdem Fratribus faciemus. Ut autem hec in perpetuum firmiter observentur, presentem inde paginam jussimus conscribi, & Majestatis nostre sigillo (h) muniri. Datum apud Nurembere V. idus Februarii.

XLIII.

Hermannus Abbas Rhenaugiensis quædam bona Alsatiæ vendit Abbatiæ Murbacensi.

ANNO 1242.

Ex Authographo Tabularii Episcopalis Strasburgensis.

H*ermannus* Dei Gratia Rinowigensis electus in Abbatem & confirmatus (i), totus-

(d) Eberhardus II. dictus Magnus.

(e) Suffraganeus ejusdem Archiepiscopi.

(f) Fridericus I. deficientibus Comitibus de Lenzburg, Advocatiam Renaugiæ retinuerat.

(g) Id est Diethelmus & Conradus Fratres de Krenkingen, qui & infra nomine Fratrum veniunt.

(h) Sigillum videatur in tabulis. Cæterum Otto IV. anno 1208. ad finem vergente, mortuo æmulo Philippo, pacifice Regnum adeptus, Comitia Norimbergæ habuit; inde anno sequenti Romam contendit. Unde præsens Charta anno 1209. data est die 9na Februarii Norimbergæ. Vid. Otto de S. Blasio Cap. 50.

(i) *Hermannus* successit *Burchardo*, moxque substitutus *Eberhardus* anno 1242. Copiam hujus Chartæ fecit Clariss. D. de *Gradidier* Archivarius Ecclesiæ Strasburg.

totusque Conventus ejusdem Monasterii, omnibus, ad quos presens scriptum pervenerit, rei geste notitiam. Sepe parit calumpniam processus temporis, & sequitur rerum oblivio, nisi, que facta fuerint, scripturarum munimine vel testibus fulciatur. Innotescat igitur universis & singulis, presentem paginam inspecturis, quod, cum nos expensis, debitis, & usuris Ecclesiam nostram videremus intolerabiliter oneratam, habito consilio prudentum, & Ecclesiæ nostre Fidelium, ad relevanda gravamina supra dicta, predia nostra in *Rubiaca* (k) in terminis *Alsweiere* (l) *& Sulze*, *Welfersheim*, *& Isenheim*, de communi consilio nostri Capituli vendidimus Ecclesie de *Marpaco* (m) pro quadam summa pecunie, omni eo jure, quo debuimus, secundum quod eadem Predia libere & quiete possedimus ab antiquo (n), cum ipso jure vendidimus eis in perpetuum possidenda, resignantes & tradentes nomine Ecclesie Marpacensis easdem possessiones in manus Venerabilis F. (o) Abbatis, & F. Cellerarii Loci ejusdem omni solempnitate adhibita, que in tali contractu debuit & potuit adhiberi. Ne autem huic facto rationabili, Ecclesie nostre favorabili, utili & honesto, quispiam possit in perpetuum obviare, presens scriptum venerabilium Patrum Constantiensis (p) Basiliensis (q) & Argentinensis Episcoporum (r) & nostro, & Nobilis Viri Rudolfi Landgravii Alsatie (s) sigillis fecimus roborari. Acta sunt hec anno Dom. MCCXLII. Mense Januario.

Ooo 3 XLIV.

(k) Hodie *Rufach* sub dominio Ecclesiæ Argentinensis, ubi Murbacenses olim curiam habebant.

(l) *Alsweiler* Sæculo XV. irruptionibus Anglorum vastatum fuit. Oppidum *Ober-Sultz* pariter in temporalibus Ecclesiæ Argentinensi subjectum, alias Diœcesis Basileensis. *Wulfersheim* seu *Bulversheim*, vicus in Dinastia Rottvilana. *Isenheim* sub dominio Gentis Mazarinæ.

(m) Monasterium *Marbacense* Canonicorum Regularium Alsatiæ superioris, cujus Advocati erant Episcopi Argentinenses, situm in Diœcesi Basileensi, fundatum anno 1087.

(n) Videatur Charta circa a. 1130.

(o) Fridericus Abbas Murbacensis seu Marbacensis electus anno 1222. obiit anno 1248.

(p) Henricus de Tann seu de Pinu Episcopus Constantiensis, postea Administrator Abbatiæ Rhenaugiensis obiit anno 1248.

(q) Lutoldus de Novo Castro Episcopus Basileens. Diocesanus.

(r) *Bertoldus* de Teck Episcopus Argentinensis Advocatus Marbacl.

(s) *Rudolphus* Taciturnus Comes Habspurgi anno 1247. defunctus, qui Landgravii Alsatiæ titulo passim insignitur.

XLIV.

Henricus de Krenkingen Monasterii Persecutor, excommunicatus, post mortem reconciliatur.

ANNO 1243.

Ex Archivo Rhenaugiensi.

Universis tam presentibus, quam futuris H. (t) Nobilis de Krenkingen filius H. & Nobilis Mulier Kunigunt, Soror H. Senioris, notitiam geste rei ad singulorum volumus pervenire audientiam: quod cum H. nobilis Pater & Frater noster ad certam Renaugiensis Ecclesie querimoniam excommunicationis, interdicti, & proscriptionis vinculis esset sententialiter irretitus, Nos ipso occiso, ducentes satisfacere dicte Ecclesie, pro eodem XVI. marcas argenti publici ponderis, quod habetur in Scafusa, sibi dare promisimus, & medietatem ipsius pecunie in Dominica Misericordia Domini &c. (u) alteram vero partem in Ascensione Domini persolvemus. Presatum insuper Patrem & Fratrem nostrum oportuno tempore apud dictam Ecclesiam sepulture condituri; vel si ... Ecclesiastica sibi sepultura alibi per nos vel per alios fuerit deputata, XX. marcas argenti prenominati ponderis preter pretaxatam pecuniam ipso sepulture sue die sepe dicte Ecclesie soluturi. Ad majorem etiam hujus sponsionis cautelam, tres obsides eidem Ecclesie dedimus, C. videlicet militem in *Trullikon*, C. & B. Fratres dictos *Leingolt*. Et si forte ad infra propositorum executionem captivitate sive infirmitate, morte, aut alia quacunque legitima necessitate ipsi singuli vel omnes fuerint prepediti, alios, quos ipsa Ecclesia ad hoc elegerit, pro ipsis tenebimur sibi dare. Quod si prenotatam pecuniam in premissis terminis neglexerimus pendere, vel quod de sepultura promisimus, contigerit non impleri, quod absit, presertim quod de hoc ipso sicut & de ceteris prenotatis fideliter exequendis tam nos, quam dicti obsides fidem prestiterimus corporalem in Villa *Seglingen* in obsidione legitima (w), tamdiu permanebunt, quousque de tota hujus summa pecunie, que est pondere XXXVI. marcarum, sepe dicte Ecclesie a nobis vel ab ipsis obsidibus ad plenum fuerit satisfactum; excommunicationis, interdicti, & proscriptionis sententiis in ipsum cum suis rationabiliter satis latis, in sua nihilominus manentibus firmitate, quous-

(t) *Henricus* de Krenkingen Pater & Filius.

(u) Que incidit eodem anno in vigesimam secundam Aprilis.

(w) *Obsidio* id est detentio obsidum. Du Cange in Glossario.

quousque premissa omnia finem debitum sortiantur. In hujus rei testimonium duo paria fecimus instrumenta, quorum unum nobis retinuimus, alterum vero contulimus Ecclesie memorate, sigillo mei H. quo modo dicta amita K. quia proprio caret, contenta est, nec non & sigillo venerabilis Domini E. (x) dicte Ecclesie Abbatis utrinque communita. Actum *Rinowe*, presentibus dicto Domino Abbate, H. Priore C. de Niuwenhusen, E. de Alticon, Al. de Lapide, Ul. de Yberc, C. Cellerario, R. Beclario, Fratribus dicti loci. Rudolfo & Heinrico de Berge, & Wilhamo Plebano. Ul. Nobili de Balbe. C. de Triullikon, & C. de Lottstetten militibus; Bertoldo de Tiullikon, Bertoldo Sculteto (y), & B. Fratribus dictis Leingolt, Cuonrado Advocato (z), & Rudolfo dicto Kolbo; Chuonrado Pistore, Bertoldo Coco, & aliis quamplurimis. Anno Gratie M.CC.XLIII. IV. idus Martii. Indictione secunda.

✝ S. Eberhardi Abbatis Rinaugensis.

XLV.

Innocentius IV. Sum. Pontifex Abbati S. Galli commendat Monasterium Rhenaugiense.

Ex Archivo S. Galli.

A. 1248. 7. Sept.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto Filio *Abbati S. Galli* (a) Constantiensis Diocesis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum Monasterium *de Rinowe* Constantiensis Dyocesis bone memorie Constantiensi Episcopo (b) commisisse dicamur, ne illud, dicto Episcopo, rebus humanis exempto, possit in bonis suis incurrere detrimentum, Nos attendentes, quod per industriam & solicitudinem tuam prefatum Monasterium possit gubernari utiliter,

---

(x) *Eberhardi* Abbatis nomen in subsignatione exprimitur.

(y) *Bertoldus* Scultetus seu Prætor oppidi seu civitatis Rhenaugiæ.

(z) *Conradus* Advocatus seu Officialis, Præfectus, Baillifus, qui nomine Monasterii jurisdictionem administrabat, ex quo tempore nullos præter Imperatorem Advocatiam tenebat. Tales deinceps in monumentis nostris occurrent plures.

(a) Henrico de Tann Episcopo Constantiensi anno 1245. a Papa commissum fuerat Monasterium Rhenaugiense.

(b) Successor in Episcopatu Eberhardus de Waldburg pariter inhiabat Rhenaugiæ.

ter, & ejus jura defendi (c), illud cure tue secundum formam, qua ipsum dicto Episcopo commisimus, autoritate presentium duximus committendum. Datum Lugduni VII. Idus Septembris, Pontificatus nostri anno VI. (d)

XLVI.

Idem Innocentius PP. Fratribus de Rhenaugia præcipit, ut Abbati S. Galli obsequantur.

Ex eodem Archivo S. Galli.

Sub eodem dato.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Dilectis Filiis Conventus Monasterii de *Rinowe* Constantiensis Dyocesis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum Monasterium vestrum bone memorie Episcopo Constantiensi commisisse dicamur, ne illud, dicto Episcopo humanis rebus exempto, possit in bonis suis incurrere detrimentum, Nos attendentes, quod per industriam & sollicitudinem Dilecti Filii Abbatis S. Galli (e) Constantiensis Dyocesis prefatum Monasterium possit gubernari utiliter, & ejus jura defendi, illud cure sue secundum formam, qua ipsum dicto Episcopo commisimus, nostrarum litterarum auctoritate duximus committendum. Ideoque Universitati vestre per Apostolica scripta firmiter precipiendo mandamus, quatenus prefato Abbati obediatis, & intendatis humiliter & devote; alioquin damus Dilecto Filio Abbati Heremitarum (f) Constantiensis Dyocesis nostris litteris in mandatis, ut vos ad id monitione premissa per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compellat. Datum Lugduni VII. Idus Sept. Pontificatus nostri anno VI.

XLVII.

(c) Quamdiu nempe Pontifici visum fuerit.

(d) Electus fuerat Innocentius 24. Junii 1243.

(e) Bertoldus de Falkenstein Abbas S. Galli multas lites habuit cum Episcopo Constantiensi Eberhardo.

(f) Anselmus a Schwanden Abbas Einsidlensis mandatum sub eodem dato recepit, & exequutus est.

XLVII.

Ejusdem Innocentii IV. Commissio in eadem causa ad Abbatem Fabariensem.

Ex eodem Archivo.

30. Maji 1249.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Dilecto Filio Abbati Monasterii *Fabariensis* (g) Curiensis Dyocesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum, sicut nobis Dilecti Filii Abbatis *S. Galli*, Ordinis S. Benedicti Constantiensis Dyocesis devotio intimavit, dudum Monasterium Renaugiense Ordinis & Dyocesis ejusdem sub certa forma bone memorie Episcopo Constantiensi commiserimus gubernandum, & tandem ipso Episcopo sublato de medio, illud sibi sub forma simili committentes, ejusdem Monasterii Conventui duxerimus injungendum, ut ei tanquam suo Prelato humiliter intendere, ac obedire curarent, injuncto nihilominus Abbati *Heremitarum* prefate Dyocesis, ut induceret eundem S. Galli Abbatem in ipsius Monasterii possessionem, & tueretur inductum, contradicentes per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendo; idem Abbas Heremitarum dictum Abbatem *S. Galli* in corporalem predicti Monasterii possessionem hujusmodi mandati auctoritate induxit, in contradictores excommunicationis sententiam proferendo. Nos igitur, ipsius Abbatis devotis supplicationibus inclinati, quod per eundem Abbatem *Heremitarum* factum est, in hac parte ratum ac gratum habentes, ac defectum, si quis in hujusmodi processu est habitus, supplentes, de nostra plenitudine potestatis id Apostolica auctoritate duximus confirmandum. Quocirca Discretioni tue per Apostolica scripta mandamus, quatenus prefatum Abbatem S. Galli non permittas super his contra supplicationis & confirmationis nostre tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compescendo. Datum Lugduni III. Kal. Junii, Pontificatus nostri anno VII. (h)

XLVIII.

(g) Abbas Fabariensis fuit Rudolphus de Bernang.

(h) Cum Breve istud datum sit 30. Maji, Innocentius vero IV. electus 24. Junii 1243. sequitur annum 1249. adhuc convenire cum anno VII. Pontificatus.

XLVIII.

Charta Transactionis inter Episcopum Constantiensem & Nobilem de Lupsen, qua inter alia componitur lis de quadam Advocatia Rhenaugiæ.

Ex Authographo Archivi Thiengensis.

13. Martii 1251.

Allen den, die Christen namen hant, den kundet *Bischof Eberhart von Costinze*, Probist Bilgerin, dir Degan Burchart, unde daz Kapitel von Costinze (i), daz dir herre *Hænrich* (k) *von Lupsen*, und ælliu siniu Kint, mit gæinitem unde gisæmitem rate, vrlich unde mit uillen an alle vorhte unde twinchnust, mit geswornen æide, mit gilerten worten sich verzihen hant zi *Engin é* (l) und darnach zi costenze, mit gelubide allez dez Guotes, des dir Grave *Heinrich von Kussaberch* (m) de selben kinde Oecheim, Bischoffe *Heinrich*, unde sinen nachkomen, unde dem Gottishus ze Costinze gab, unde in gwer wiste, unde Sazte, unde in gwalt, mit allem sime rechte unde gewinge, ginemites unde ungenemites, uzunde inne, alse vollecliche, daz sie niemer clage, vorderunge, noch ansprache an gæislichem alde weltlichem gerichte, an diheime tæile (n), swi ginemit

(i) Inter primas Chartas publicas teutonice scriptas hæc numeranda est; quæ enim ante ætatem Rudolphi Romanorum Regis circumferuntur, plerumque ex latino in germanicam idioma versæ sunt. Videantur Patres Benedictini Congreg. S. Mauri de Re Diplomat. Tom. VI. editionis germ. §. 520 & Tom. VIII. §. 339. Martinus Gerbert Princ. S. Blasii in Fastis Rudolphi I. Cap. IV. Num. XXIV.

(k) *Hænrich.* Diphtongi in medio vocabulorum sæpe occurrunt in ista Charta, contra morem hujus ævi.

(l) *zi Engin é.* Id est in oppido Engen Hegoviæ primitus, deinde Constantiæ &c.

(m) *Grave Heinrich von Kussaberch.* Orthographia non est constans. Hic Comes ultimus fuit hujus familiæ, qui uxorem duxit sororem Rudolphi Comitis de Habspurg, postmodum Cæsaris, ex qua nullos suscepit liberos. Ipsa tamen post mortem Mariti nupta Ottoni de Ochsenstein filios genuit. Henricus de Lupsen ex sorore prædicti Comitis de Kussaberg natos habuit, quorum nomine hæreditatem appetebat; cui Episcopus pignoris jura opposuit.

(n) *An diheime tæile.* Id est in keinem theil, wie es genennt sey, noch in keiner Forderung &c.

ginemit ſi, von in ſæ'bin, botin, alde vordirerin ſun gwinnen, noch in hæiner vorderunge vurbaz inpſroemiden, lichen, oder verkaufen.

§. Da widir hat dir Biſchoff Ebirhart dem von Lupſen, und ſinen Kinden allen, ze Bezzerunge nach liebi, unde zurſaze ir vorderunge mit geſwornen æide zi *Engen*, und darnach zi Coſtinze, mit gelubite, vur ſich, ſin Gozhus, unde ſine nachkomen, mit des Brobiſtes, des Tegans Burchartz, und alliz diz kapitell willen, volge unde gunſt, inen verlihen zi rechtin Lehin die Burch ze *Stuelingen*, unde zwelf marcke huobin geltis (o) alſo daz ſie des geltis gewiſſet unde gewert werden ani giwærde in zwiſchen *Rotwil und Kuſſaberch.* In der ſelbun glubite unde ſuone komins uber æin, daz æliu vorderunge und clage, diu ninach geſchriben unde genemmet iſt, ſtande in dirre ſechs manne gwalt: dis Brobiſtes Pilgerins von Coſtinze, dis hern Volhimaris von Kæminatin, dis hern Vriderichs von Wildinſtein, dis hern Hiltipoltis von Steckiboron, dis hern Bertoldis von Annewiler, dis hern Huges von Oſtringen (p) daz die ſechs man nach rechte unde minne (q) gæinberren, unde ſuenen (r) alli ſiz ubereinkomen. Die ſprehint alſo nach rechtim Schæide, daz der von Lupſen, noch in hein ſin erbe an die Burch *ze Kuſſaberch*, unde alle die Etter (s) die wingartin begriffen hat, noch an dihæin daz guot, daz dir Biſchof Her (t) in ſiner gwer hat bracht, niemer anſprache gwinnen.

Umbe die Vogtey des kloſters *ze Willikon*, ſins alſo geſcheiden; daz dir von Lupſen, unde ſin erbin, niemer an liuten, noch an guote, deheim anſprahe gwinnen, darumbe licht im dir Biſchof zi wir marchen geltis in dir ginandun gilæginhæit. (u).

 §. Herre

(o) *Huob Gelt.* Manſionaticum. Præſtatio ex fundo.

(p) *Hugo de Offtringen.* Ex cujus proſapia ultimus Carolus Dynaſtiam Offtringen anno 1678. Rhenaugiæ donavit.

(q) *Nach rechte unde minne.* Id eſt ſtricto jure, vel amicabili compoſitione. Haltaus in Gloſſar. German.

(r) *Suenen.* Componere. *Sunne* conventio. Idem.

(s) *Etter.* Pomaria ſepi incluſa.

(t) *Dir Biſchof Her.* Legendum *Heinrich* de Tannegg, Prædeceſſor Eberhardi, qui data pecunia pignus acceperat.

(u) *Willikon.* Monaſteriolum in Comitatu Badenſi Argoviæ, pertinens ad S. Blaſium.

§. Herre Peter von Honburch, Herre Peter von Schweiningen, Herre Huc von Offtringen, die drie fun ervarn uf ir æit hinnan zi dem Balmi tage, wie vil der Lupfer an dien zwelf mark in geltis bræftin habe; den bræftin, unde die vir marche geltis umb *Wislikon* fol dir Bifchof verrichten hinnan zi dir altun fasnacht, unde din nutz von dem gelt zi fante Gallin dult, als fich gezihet, unde virfezzin ift.

§. Umbe *Brunadiron* Statz an den drin vorginanten in dem felbin zil uf ir æit zirvarne, ob ez æigin oder len fi. Ift ez len, fo hætz dir Lupfer; ift es æigin fo bihæbtz dir Bifchof, dim Lupfer zi vollærft an den fechzehin marchen geltis, fo vils gilanget.

§. Daz gelt des hoves *ze Muchaim* belibet dir frowun *zi Beruwe* untz fi lept (w); unde des felbin nutzis fol dir Bifchof dim Lupfer urfaz gebin alde der Frowen.

§. Umbe die Vogtajun des hoves *ze Danchftettin* ift gelazin an din hern Hugen von Offtringen, hern Hannfin von Mattwiler, unde hern Petrin von Schwæiningen, Zervarne uf ir æit hinnan, zi dem Balmi tage: ift die Vogtaie des lehins von *Rinouwe* (x) fo blibets dem Lupfer; ob des niut ift, fo blibets dir Bifchof.

§. An den felben drin jungift ginanten Schideluten ftat uf ir æit ouch zirvarne, in dem vorginantem zil umbe die liute, die in dem Hof *Zurza* zinshaft, fin. Sint die von *Ouwe* lehen, fo behebt fi dir Lupfer; ift des niut, fo belibent fi dem Bifchofe (y). Umbe das pfant daz Uolrich dir Swarze hat z *Griæzheim* ftat zirvarne am hern Huge von Offtringen, unde hern Peter von Schwæiningen, uf ir æit hinnan zim Balmitage, obe daz æigen ift, fo hat er rech dazuo, ob ez len ift, wart es do gefezit mit dis lehen hern hant, mag er des ftaten han, fo hat er recht darzuo; ift des niut, fo folr *dim Lupfer* fin guot lan.

§. Bi-

(w) *Berau.* Monafterium Monialium S. Blafio fubjectum.

(x) *Di Vogtejun des hoves ze Danchftettin.* Ex prædio vicus excrevit, ad Parochiam Rheinheim cum Valle Rhenana pertinens, & media hora diftans ab arce Küffaberg, ubi Jurisdictionem ad Monafterium Rhenaugienfe pertinuiffe, ex monumentis conftat. Videatur Charta de anno 1361.

(y) Hoc ipfo anno Eberhardus Epifcopus Monafterium *Zurzachii* Ord. S. Ben. ab Augia emit, & in Collegiatam vertit.

§. Biſchicht daz, daz dihæin niwe Chriech alde vorgerunge beſchicht undir dem Biſchof und dem Lupfer, aldie liuten, daz ſol ſtan an hern huge von Oſtringen, am hern Peter von Schwæiningen, unde hern Siveride von Blumpenbach (z) daz die ſi ſchæiden nachminne, alt nach rechte.

§. Swaz hie mit Schriſt giſtætit iſt, wird dazuber zil gilenget anni giværde, daz ſchadet inwedirm tæile, unde ſuntz darnach mit allem vlizze vollvuoren ane geværde, alſi ſi bilobt hant.

§. Dirre gelubete alſe hievor mit worten underſchæiden iſt, iſt dir Biſchof unde ſin nachkomen, unde dis Biſtoum an alle giwærde ſchuldich unde gebunden, dem Lupfer unde ſinen Erbon jemar untz ſi vollevueret wirt. Des iſt gezach dir tuomprobſt unde diz Kapitel ze Coſtenze, daz dir Biſchof, unde diz Biſtuom læiſten unde vollvueren ſol, als ginemmet unde geſchriben iſt. unde iſt daz mit ir willen gunſt unde tate giſchehin.

§. Dir Biſchof, dir Brobſt, unde Kapitel verzihent, unde verſprehint, alle vorderunge unde clage, die ſie vor gerichte han mochtin, umbe den ſchaden, ſo in unde dim Gotzhuſe in dem urliuge (a) vome Lupfer unde ſinen helfern giſchechin iſt, unde ſint alle banne und urtæile abi gitan um diſe ſache.

§. Daz diz ſtæte belibe, des geben wir an diſe ſchrifſt zewige gezugide, zi gwærim urkunde, ze Clurnötir warhæit (b), unſerin Inſigel, als wir ninach namhaſt giſchriben ſten. Alſo gib ich Biſchof Ebirhart, ich Probſt Pilegrin, ich Burchart Tegan, dis Kapitel von Coſtanze, unde ich Hæinrich von Lupfen, unſerin Inſigel (c).

Acta ſunt hec in Conſtantia anno Domini M°.CC°.L°.I°. Tercio Idus Marci Indictione nona (d).

(z) *Siveride von Blumpenbach.* Idem cum ſequentibus occurrit ad annum 1269. in Charta Herrgotti Num. 503.

(a) *Urliuge.* Seu Urluge. Bellum. Militares motus. Gloſſarium Theotiſcum ad calcem Itin. Alem. Martini Gerbert.

(b) *Zewige gezugide.* Id eſt zu ewiger Zeignuſs. *Ze clurnötir warhait*, zu clarer wahrheit.

(c) Sigilla tria pendent ex Charta, Epiſcopi, Præpoſiti, & Nobilis de Lupfen, aquilam extenſis aliis exhibens; non enim ſemper eadem fuere ſymbola Familiarum.

(d) Indictio convenit anno.

§. So disin glubide und ordinunge von bæidinthalb vollebracht wirt, alsi hie geloeben unde gilæist ist, so sol man bæiden tæilen des gliche unde festi briefe gebin (e). und sol man daran scriben zuo dem andern, obe dir Lupser brecke, oder widirhome siner glubide, daz æliu lehen, diu er von Costinze, ouwe, unde sante Gallin hat, an ansprach, unde widerrede ledich sin.

XLIX.

Breve Innocentii IV. Papæ, quo Metensi Episcopo causam Abbatiæ Rhenaugiensis cognoscendam committit.

Ex Archivo S. Galli.

13. Maji 1254.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, Venerabili Fratri Episcopo Metensi Salutem & Apostolicam Benedictionem. Quia occasione discordiæ... (f) Ad hec volumus, quod idem Abbas (g) Monasterium Rinaugiense Dyocesis Constantiensis commendatum retineat, usque ad nostrum beneplacitum voluntatis, ita tamen, quod ipsi Episcopo tanquam Dyocesano de juribus Episcopalibus pro eodem Monasterio plene respondeat, ut tenetur, quodque debitum ibi Deo exhibeatur obsequium, prout fieri consuevit; bona ipsius Monasterii alienata illicite ad jus & proprietatem ejus legitime revocentur, contradictores autem, si qui fuerint, aut rebelles, monitione premissa, auctoritate nostra, appellatione remota, compescas, non obstante, si predictis Episcopo & Abbate, vel quibuscunque aliis Personis a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, aut excommunicari non possint, per litteras Apostolicas plenam de ipso indulto vel expresso de ipsius tenore de verbo ad verbum mentionem minime facientes, & constitutione de duabus dietis edita in Concilio Generali. Datum Assisii III. Idus Maji Pontificatus nostri anno XI. (h)

L.

(e) Pœna caducitatis omnium feudorum imponitur Lupfio, si hæc pacta violaverit.

(f) Agitur ad initium de discordiis jurisdictionis spiritualis S. Galli; deinde causa Rhenaugiæ decernitur.

(g) Bertoldus de Falckenstein Abbas S. Galli.

(h) Hoc decretum fuit exequutioni mandatum die 29. Septembris ejusdem anni Wittoduræ per Scholasticum Argentinensem.

L.

Charta, qua Abbas Rhenaugienſis bona quædam in Bülach cedit Monaſterio Rutinenſi.

Ex Codice Diplomatico Monaſterii Rutinenſis.

ANNO 1280.

Dei Gratia Abbas Rinaugienſis (i) omnibus preſentem litteram inſpecturis notitiam ſubſcriptorum. Ea, quæ geruntur in tempore, cum tempore etiam evaneſcunt, niſi ſcripti memoria, aut voce teſtium roborentur. Noverint igitur univerſi, quos noſſe fuerit opportunum, quod Nos bona Monaſterii noſtri ſita in *Willach* (k) quæ Burchardus dictus *Rinower* (l) ſervus Monaſterii noſtri vendidit H. dicto Wallaſſeller civi Turicenſi, Reverendis in Chriſto Dominis Abbati & Conventui Monaſterii in *Rüti* (m) Præmonſtratenſis Ordinis ad magnas preces & inſtantiam prædicti Heinrici Wallaſſeller conceſſimus ſub annuo cenſu duorum denariorum monete Turicenſis in feſto B. Galli nobis perſolvendo, perpetuo poſſidenda. In hujus conceſſionis teſtimonium preſentem litteram predictis Dominis Abbati & Conventui in Ruti ſigillis noſtris tradimus patenter communitam. Datum & actum in *Rinow* Anno Domini MCCLXXX.

LI.

Conradus Abbas Rhenaugiæ Judex a Sede Apoſtolica Delegatus.

Ex Archivo Capituli Solodorenſis.

7. Decemb. 1289.

C. (n) Divina permiſſione Abbas Monaſterii Rinaugienſis Judex unicus a Sede Apoſtolica Delegatus in cauſa, que inter Petrum Clericum de *Novo Caſtro* (o) ex

(i) Nomen Abbatis non exprimitur; interim credimus *Conradum ab Herten* reponendum eſſe.

(k) *Willach*, hodie Bülach oppidum ditionis Tigurinæ.

(l) Familia *Rinower* Wittoduræ claruit, ex qua Diethmarus Abbas Fiſchingenſis ad annum 1209.

(m) Monaſterium *Rutinenſe* ad lacum Tigurinum, pulſis Religioſis ſæculariſatum.

(n) *Conradus II.* ex nobili familia ab Herten.

(o) *Novum Caſtrum.* Neu Chatel. Neuburg.

ex una, & Cuononem dictum Grans (p) ac Hainricum filium suum cives solodorenses ex parte altera vertitur; ipsis partibus presigimus terminum coram nobis in ambitu Monasterii Rinaugiensis, videlicet proximam feriam secundam post festum Beati Hylarii ad jurandum de calumpnia, & procedendum alias ... Justitia mediante. Datum Rinaugie Anno Domini M°.CC°.LXXX°. nono. XIX. Kal. Januarii Indictione II. (q)

LII.

Lutholdus de Regensperg, Henrico de Brasberg Monacho Rhenaugiæ vendit Prædium in Nak.

Ex Authographo Archivi Rhenaugiensis.

31. Julii 1291.

In Gottis namin amen. Ich *Lütolt Von Reginsperc* (r) der alte, ein frige, tuon kunt allen den, die disen brief (s) sechint, lesint, aldir hörint lesin, daz ich die huobe ze *Nache*, diu da heisset Meisters Ruodolfis huobe, diu min und miner vordern lediges und friges aigen unzhar ist gewesin, han virkauft und gigebin mit aller Ehehaftigi (t) mit allir friheit, und mit allim rechte, in hufe, in hofstette, in holze, in velde, mit acchirin (u) und wisin, mit wasin, mit zwie, und mit allir rechtir gemainsami dez dorfis ze *Nache* hern *Hainrich von Brachsbec* (w) dem Münche von *Rinowe* umbe zehin Marche Silbirs Schafusere gewegis, und vergihe mit disem briefe für mich und alle min Erbin di wir ime und dem Gottis-

---

(p) *Grans* nobilis olim familia Solodorensis, ex qua Joannes Consul sequenti Sæculo prodiit. Lew in Helvetico Lexico. Stumpfius in Chron. ad a. 1324. Haffner Chron. Solod. Tom. I. pag. 359. & Tom. II. pag. 53. & 91.

(q) *Sigillum* oblongum pendet ex Charta, exhibens Abbatem stola amictum, dextra baculum, sinistra librum tenentem, cum inscriptione: S. ... RADI ... NAUGENSIS.

(r) *Regensperg* familia antiquissima, ex Castro prope Turegum nomen sortita, quæ possidebat Dynastiam Balm cum vico Nack &c.

(s) Charta hæc prima est ex Archivo Rhenaugiensi teutonico idiomate exarata.

(t) *Ehehafti* Jura legitima realia. *Hofstette* area nuda, quæ coli, aut cui ædificium imponi potest.

(u) *Achirn* id est äckeren, cum agris. *Mit wasin und zwige*, cum confiniis. Haltaus in Glossar. German.

(w) *Henricus de Brasberg* ex nobili familia fuit Monachus & Custos Ecclesiæ Rhenaugiæ.

Gottishuse von *Rinowe* an dem vorgenante guote, und an nutze, so davon komen mag, und ouch ir hindirhezen niemer dehein aldir dehein schadin tuogen. Ich vergihe ouch, daz ich di vorginante Silbir impfangen han. Und swa (x) diu selbe huobe von minen wegin der minre bekumbirt aldir deheftit ist, da sol ich si dem Gottishuse von *Rinowe* ledik und lere machin ane sinen scadin. Ich bin ouch de selbun huobe den heren von des vorgenantin Gottishusis was ze rechte. Ich kundo ouch vúrbaz an disem briefe, daz diu selbun huobe bisezzin und insezzin sun mit ir Gottishusis Lútin, aldir mit swas lútin si werin, und inen uf dem goute wol suogent. Und sol ich und min Erbin weder siu noch daz Gottishus an den selbin goute in heinen weg irren noch biswerin. Ich kunde abir me an disem briefe, daz ich die vorgenandun huobe an miner stat, an miner frowen, miner Wittinne und allir miner Kinde, fúr ein friges und lediges aigen uf han gegebin an fron altar ze *Rinowe*, da min here Abbit Cuonrad, und die herin von Rinowe der convent, und de Burgere von Rinowe vil zegegin warin. Dez Kauf umb die selbun huobe geschach ze *Rinowe*. de zegegin warin here Cuonrad Kuolbo ein Ritter, Ruodolf der Schrötir, Ruodolf Judan, Hainrich der Bajo, und andir lúte genuoge. Und wart abir der selbe kouf volsúorit und bistetit ze *Balbe* in der burg (y) an sante Jacobis abint, mit mir, und mit miner wirtin, und minen kinden. Und gab ich di selbe gout uf æn fron Altir an sante Jacobis tag. Und ze einem gewertin und stetin Urkunde dez Kaufis umb die vorgenandun huobe, alse hievor gekundit und geschribin ist, han ich minen herin Abbit Cuonrad dem vorgenandin, dem convent, und allen ir nachkomin, und ouch dem Gottishuse von Rinowe disen brief besigiltin gegebin mit mines öcheims insigil Grawin Rudolfis von Habspurch (z) mit *Lútoldis* insigil mines brudir sunis, und mit min selbis insigil (a). Dise brief wart besigilt und gegebin, do man zalt nach unsers herin Gottis geburte zwelf hundirt und núnzich Jar, und darnach in dem estin Jare. an dem nechstin fritage nach sante Jacobis tult.

LIII.

(x) *Und swa*, und wann. Et si. Cavetur de evictione.

(y) *Balm* arx fuit interfluente Rheno e regione Castri Rhenaugiæ, modo destructa, persistente vico.

(z) *Rudolphus Comes de Habspurg* lineæ Laufenburgensis, post tres annos Rhenaugiæ Dynastiam *Balm* emit ab eodem Lutholdo de Regensperg pro 1634. Marcis.

(a) Sigilla integra pendent ex Charta.

LIII.

Henricus Episcopus Constantiensis Ecclesiam Parochialem Rhenaugiæ tradit Monasterio.

Ex Authographo.

27. April. 1296.

H. (b) Dei gratia Constantiensis Episcopus Dilectis in Christo omnibus præsentium inspectoribus salutem & notitiam subscriptorum. Quamvis ex officio Pastoralis solicitudinis nobis commisse necessitati omnium Ecclesiarum nostre Dyocesis paterna misericordia, in quantum possumus compati teneamur, illis tamen precipue affectamus adesse presidio spirituali, qui labore diei & estus sub disciplina Monastice Religionis Domino jugiter famulantur. Cum itaque honesti & Religiosi Viri Abbas & Conventus Monasterii Renaugiensis Ordinis S. Benedicti nostre Dyocesis defectum intolerabilem temporalium patiantur, ita quod ad sustentationem ipsorum & familie ipsis necessarie congruam & honestam dicti Monasterii non suppetant facultates, ipsos tam dictum Monasterium, quam Abbatem & Conventum ipsius, aliasque ejusdem personas, compassionis oculis intuentes, tractatu solempni prehabito, nostrique Capituli communicato consilio, & deliberatione prehabita cum eodem, ipsiusque consensu requisito, adhibito, ac obtento, *Ecclesiam Parochialem S. Nicolai* in Monte & oppido Renaugiensi (c) nostre Dyocesis, cujus jus Patronatus ipsis dinoscitur pertinere, quoad temporalia, retentis nobis, nostrisque successoribus, omnibus spiritualibus & juribus Episcopalibus, in eadem, ac specialiter reservatis dictorum Abbatis & Conventus ac Monasterii supradicti Renaugiensis usibus & mense in perpetuum damus, conferimus, donamus, annectimus, & liberaliter applicamus; ita tamen, quod vacante Ecclesia prenotata, ad ipsam nobis, nostrisque successoribus, Clericum secularem Sacerdotem duntaxat ydoneum & honestum presentent, perpetuo vicario & cura animarum ejusdem Ecclesie investiendum, qui nobis de spiritualibus, ipsisque de temporalibus racionem reddat, & reddere teneatur; cui etiam pro sua sustentatione, inspectis circumstantiis universis, talem prebendam decernimus assignandam de redditibus Ecclesie supradicte, de qua consideratis eisdem circum-

---

(b) Henricus de Clingenberg.

(c) Parochia S. Nicolai amplissima fuit, multas sub se continens Ecclesias, distincta tamen ab altera ad SS. Felicem & Regulam in Insula Monasterii.

cumſtantiis, jura Epiſcopalia ſolvere, hoſpitalitatem debitam tenere, & congruam ſuſtentationem in victu & veſtitu valeat obtinere; omnibus proventibus ejusdem Ecclefie reſiduis ejusdem Abbatis & Conventus menſe uſibus integraliter applicandis in perpetuum ſine cujuslibet fraudis ingenio atque doli. In cujus rei evidentiam noſtro, & prefati Capituli ſigillis preſentem literam fecimus ſigillari.

Nos R. Decanus totumque Capitulum Ecclefie Conſtantienſis ſupradicte premiſſis omnibus & ſingulis, noſtrum expreſſum conſenſum & voluntarium impertimur, ipſaque tatificamus, corroboramus, & ſinceris affectibus confirmamus, noſtrum ſigillum in evidentiam & perpetuam firmitatem eorundem preſentibus appendentes. Datum & actum Conſtantie. Anno Domini M°.CC°.LXXXXVI°. V. Kal. Maji. Indictione nona.

LIV.

Plena Incorporatio ejusdem Eccleſiæ Parochialis S. Nicolai.

Ex Authographo.

28. Julii 1298.

Magiſtri *Walther Scholaſticus*, & *Chuonradus Phefferh* (d) Prepoſitus S. Johannis Conſtantienſis Ecclefie Canonici, vices gerentes Venerabilis Patris ac Domini *Hainrici* (e) Dei gratia Conſtantienſis Epiſcopi in abſentia conſtituti. Univerſis, ad quos preſentes pervenerint, ſubſcriptorum notitiam cum ſalute. Cum ex fide dignorum teſtimonio ad nos pervenerit, quod Parochiali Ecclefie *ſancte Regule* Monaſterii Rynaugenſis a Cuſtode ejusdem Monaſterii hactenus gubernate, cauſa muniendi ſemetipſos (f) in loco firmiori, relicto ſuo territorio *ad S. Nicolai* in Monte Rynaugenſis Ecclefie ſe transtulerint Parochiam, & per hujusmodi translationem, & oblacionum, ac aliarum elemoſinarum, quas iidem Parochiani in utilitatem predicti Monaſterii convertendas devote miniſtrabant, ſubtractionem, dictum Monaſterium in luminaribus & aliis Divino cultui neceſſariis defectum non modicum paciantur, ac eodem reſpectu eadem Ecclefia

 S. Ni-

(d) Lege *Pfefferhart*. Anno 1344. Epiſcopus Udalricus Pfefferhart.

(e) De Clingenberg caſtra Alberti ſequutus contra Adolphum Naſſovienſem.

(f) Rhenaugiæ oppidum ſuperius, incluſo Monte S. Nicolai, munitum erat, in quod cives Rhenaugiæ inferioris ſe recipiebant.

S. Nicolai cum suis fructibus & obventibus universis, Abbatis & Conventus dicti Monasterii mense auctoritate predicti Domini nostri Episcopi sit collata, ita tamen, quod vacante ipsa Ecclesia Sacerdos secularis ydoneus de cura animarum ejusdem Ecclesie investiendus pro perpetuo vicario ab Episcopo Constantiensi, qui pro tempore fuerit, ad eam presentetur ab Abbate Monasterii sepe dicti, dictique Parochiani in Parochia sepe fati Monasterii constituti a Custode ejusdem Monasterii consueverint gubernari, & eidem Monasterio copiose sua suffragia ministrare. Nos ad supplicationem predictorum Abbatis & Conventus hujusmodi, detrimento jam dicti Monasterii pia solicitudine condolentes, ipsis tenore presentium indulgemus, quod non obstante statuto Synodali iidem Parochiani a *Custode* supradicti Monasterii, dum moram traherent in Parochia predicte sancte *Regule* hactenus gubernati, ab eodem *Custode* vel alio ydoneo Sacerdote Monacho, quem Abbas, qui pro tempore fuerit, ad regimen animarum ipsarum Dyocesano presentaverit, postquam *Rector & Incuratus* predicte Ecclesie S. Nicolai cesserint, vel decesserint, quique eidem Dyocesano in spiritualibus, & dicto Monasterio in temporalibus respondeat, cum ipsa Ecclesia gubernentur. Et sic premissorum testimonium presens scriptum sigillo prefati Domini nostri Episcopi, quo in ipsius utimur absentia, fecimus sigillari. Datum Constantie anno Domini M°.CC°.LXXXXVIII. V. Kal. Aug. Indict. XI.

LV.

Albertus Cæsar Præfecturam in Valle Flacensi Monasterio Rhenaugiensi concedit.

Extractus Diplomatis.

6. Nov. 1298.

Wir Albrecht . . . (g) überlassen dem würdigen und Ersamen unsers Closters *Rinow*

(g) Originale hujus Diplomatis ante centum circiter annos Nobilibus de Rinck a Wildenberg, qui feudi nomine illam Præfecturam tenebant, traditum est, ob litem, quam cum Magistratu Tigurino habebant, cui tandem pro triginta florenorum Millibus illam vendiderunt, reservatis tamen Rhenaugiæ decimis & aliis proventibus. Diploma Rhenaugiam non rediit, sed extractus judicialiter probatus, hoc loco exhibitus.

Rinow Abt und Convent, ze richten, was ſich in dem *Flach tal* (h) für handlungen, ausgenommen totſchlag, diebheit, und was den hals betrifft, ouch ſonſten ein offentliche leib und lebens ſtraf erforderen täte, zutragen wurde, alle fehle, ze ſtraffen, ze verrichten, und ze verthetingen (i). &c.

LVI.

Donatio quædam in Argovia Monaſterio Rhenaugienſi facta.

Ex Archivo ejusdem Monaſterii.

ANNO 1302.

Jacobus dictus *Neno & Adelhait* uxor ſua v (k) Cellaria de Linginank pro ſalute animarum ſuarum libere tradiderunt & donaverunt curiam (l) ſuam mediam ſitam in Külliwangen (m) & duas ſcopoſas (n) ſitas in *Sulze* (o) Monaſterio ſancte Marie in *Rinaugia.* Actum Rinaugie coram Domino Cunrado dicto in clivo inferiori, in ſtrata publica, preſentibus . . . Abbate *Cunrado*, Henrico Cellario ejusdem Monaſterii dicto *de Eitlingen* (p), Petro Scholaſtico, Heinrico dicto an der Lewe, Ravelino, Hermanno dicto Linggin, Johanne de Trüllikon, Rudolpho dicto Handknabe, Cunrado dicto Fürſt, dicto Bage, Ulrico filio ejusdem, Heinrico Eppico, Hugone famulo Domini Abbatis, & aliis quam pluribus fide dignis. Sigillum ſuum etiam appoſuit Heinricus *Nobilis de Radegge* (q).

(h) Vallis Flacenſis, Flach-Thal, Vicos Flach, & Volken cum quibusdam prædiis complectitur, quorum Præfecturam feudalem Tigurini tenent.

(i) In dicto Judiciali extractu aſſeritur Diploma datum eſſe die ſexta Novembris anno 1298. Et, ut credibile eſt, Wittoduræ, ubi Albertus circa idem tempus Comitia coëgit, teſte Stumpſio in Chronico Helvetico.

(k) *Videlicet Kellerin de Lenginank*, vicus Argoviæ, videatur Charta Herrgotti Num. 504.

(l) *Curia*, Prædium ruſticum, curtis.

(m) *Kulliwangen* in Comitatu Badenſi. Apud Herrgott N. 586.

(n) *Scopoſa* menſura agri cum tugurio.

(o) *In Sulze* vico ejusdem Comitatus, qui diſtinguendus ab oppido prope Rottwilam. Charta Herrgotti 687.

(p) Mox futurus Abbas.

(q) *De Radegg Nobilis* ergo familia Charta noſtra anni 1327.

LVII.

Henricus Abbas publicam fidem facit quibusdam Chartis Ducum Austriæ,

Ex Archivo Oenipontano.

ANNO 1303.

Wur von Gottes ordenunge Abbet *Heinrich* (r) des Gottshuses ze *Rinowe* kunden allen, di disen bruef sechent, oder horent lesen, das wur alle die Brive di enunt an disem bruefe geschriben stant, sachen, und lasen, rechte und redlich besigelte, und das dis war sy, darumbe henken wur unser Insigel offentlich an disem Briefe (s).

LVIII.

Traditio Decimarum in Benken facta a Nobilibus de Altenklingen.

Ex Authographo.

31. Dec. 1303.

Allen den, die disen brief sehent, oder hoerent lesen, kunden wir Uolrich aine Ritter und Walther Gebruder von der *Altenklingen* (t) und alle unser gebruder, das wir den zehenden ze Benken (u) der unser, und unser vorderne aigen was, und den R. Brumsi von uns ze lehen hat, dem Gotzhus *Rinowe* mitte allem dem rechte, so wir an im hatten, lideclich, und mutwilclich (w) han gen, und urzihan uns (x) mite diesem brief alles des rechtes, und aller der ehafti, so wir an den vorgenanten zehenden hatten, alde mochtin gewinnen. Und das dis stete

(r) *Henricus de Eitlingen*, qui in præcedenti Charta vocatur Cellerarius, nunc factus Abbas, authoritate sua fidem facit litteris datis a Friderico Duce Austriæ Alberti Regis Filio, Hermanni Comitis de Sultz Judicis Aulici, & Nicolai de Wartenfels itidem Judicis Alberti Regis, in gratiam Lutoldi Junioris de Regensperg filii Udalrici.

(s) Chartam prolixam reposuit Herrgottus Geneal. Diplom. Tom. II. Num. 692. ad annum 1300. quæ melius differenda videtur ad annum 1303.

(t) *Waltherus* postea Præfectus Ducum Austriæ.

(u) Jam ab anno 858. ex fundatione Wolveni pertinebant ad Monasterium.

(w) *Mutwilchlich* id est von freyem Muth, sponte, libere.

(x) *Vrzihan uns* id est verziechen uns, abdicamus nos.

ftete und ware fie, darumbe fo henke ich der vorgenant Uolrich ain Ritter vor min und bruder min infigel (y) ze einem gewerne urkunde. de da vorgefchriben ift an difem gegenwurtigem brief. Dirre brief wart gefchriben ze *Stame*, do man zalt von Gottesgeburt drúzehen hundert Jar, und drú Jar, darnach an fant Silvefters tage.

LIX.

Ceffio Curiæ Nakenfis.

Ex Authographo.

15. Sept. 1305.

Univerfis prefentium infpectoribus & auditoribus Wetlicus Rector Ecclefie in *Mynchweilre*, Nycolaus, Adalheidis foror fua, Gotfridus, Katherina, & Waltherus, oracionum fuarum frequentiam in Domino Jefu Chrifto. Noverit veftra difcretio, quod nos fponte & liberaliter renunciavimus omni Juri actionis, & inquifitionis, poftulationis, quod habuimus, vel habere videbamur in curia fita in Villa *Nakke* (z) & omnibus appendiciis fuis, refignantes predictam curiam ad manus honorabilium in Chrifto Abbatis & Conventus Monafterii Renaugenfis, renunciantes nihilominus omni auxilio & beneficio juris canonici & civilis, per quod predicti Abbas & Conventus dicti Monafterii Renaugenfis per nos in dicta curia poffent de cetero aliquatenus aggravari, In premifforum evidenciam prefentes literas prelibatis Domino Abbati & Conventui Monafterii Renaugenfis figillorum Venerabilium in Chrifto *Nycolai* Domini permiffione Abbatis & Conventus Monafterii *Ethenheimmünfter* ad peticionem Rectoris Ecclefie in Mynchwilre, aliorumque in parte fui detentorum in litera, ipfam fecimus figillorum noftrorum characteribus roborari. Nos Abbas (a) & Conventus predicti Monafterii in Ethenheimmünfter ad petitionem memorati Rectoris Ecclefie in Mynchwilre, aliorumque in parte fui contentorum in litera, ipfam fecimus noftrorum figillorum karacteribus roborari (b). Datum in *Ethenheim* Anno Domini M°.CCC°.V°. XVII. Kal. Octobris Indictione tertia.

LX.

(y) *Sigillum* cordi forme exhibens Leonem gradientem in area teffelata cum Infcriptione: S. Udalrici de Veteri Clingen.

(z) Empta fuit curia in Nack anno 1291. videatur Charta anni prædicti.

(a) Abbas in Ethonis Monafterio erat Nicolaus Fulckefius.

(b) Duo figilla pendent ex Charta.

LX.

Recompensatio quorundam bonorum, quæ in Griesheim, Rechberg, & Riederen donata fuerunt.

Ex Authographo.

15. Junii 1306.

H*einricus* (c) Deí gratia Abbas totusque Conventus Renaugensis, universis, ad quorum notitiam presentes littere pervenerint, salutem in eo, qui est omnium vera salus. Noverit vestra discretio, quod cum discreta mulier *Domina Ita*, relicta quondam *Rudolphi de Griesheim* Decimam huobam & silvam, sitas in Villa *Rechberg* ... scoposas sitas in *Griesheim* ... scoposas sitas in *Riederon*, tria prata & silvam in eodem districtu sita, titulo proprietatis Monasterio nostro *Renaugensi* pertinentia, de consensu pie recordationis & licentia Dominorum Prædecessorum nostrorum Abbatum, videlicet Abbatis *Bertholdi* S. Galli (d) & Abbatis *Cunradi* dicti de *Hertin* in pensionem seu precariam sibi pro tempore vite sue deputata, cum omnibus juribus & pertinentiis suis, ac cum plenaria perceptione reddituum bonorum eorundem usque ad nos pacifice & quiete possederit per annos plurimos numeratos; eadem Domina *Ita* sana usa consilio, cogitans de salute anime, omnia supradicta bona tam longo tractu temporis a Monasterio nostro predicto, ut pretactum est, avulsa, cum omnibus juribus, pertinentiis & perceptionibus suis, sponte sua nobis & Monasterio nostro libere resignavit. Nos vero considerantes pium sui cordis affectum, ne quicquam nobis de vitio ingratitudinis imputetur, antedicte Domine *Ite* pro recompensatione seu repositione pensionis seu precarie nobis per eam in bonis supradictis resignate, aliam ei pensionem, videlicet Decimam nostram in Villa *Martille* locavimus, & assignavimus, cum perceptionibus suis omnibus, ita ut in eadem Decima recipiat in Festo S. Galli, quamdiu vixerit, singulis annis viginti tres modios tritici, sex modios siliginis, & unum quartale, sex maltavia avene, duas libras Denariorum usualis monete, viginti tres pullos, ducenta ova, & duo quartalia nucum. Mensura vero annone debet esse publica Ville *Schaffusen*, que presentanda est ei ad tempus vite sue in oppido Renaugensi. Quod si prelibate Domine *Ite* pensionem prescriptam termino prefixo, scilicet in festo S. Galli singulis annis non persolverimus, sub adnotatione sub-

(c) Henricus hujus nominis IV. de Eitlingen.

(d) Joannes de Crenkingen Abbas intrusus omittitur.

fubfcriptorum teftium, qui huic tractatui aderant, ad majorem cautelam ipfius, cum appenfione figillorum noftrorum, fibi contulimus in premifforum evidentiam has litteras communitas. Nomina teftium funt hec: Joannes de Trulliken dictus Schwager, Bertholdus de Balbe dictus de Buoch, Otto & Lutholdus de Ulingen fratres, H. an dem Lewe, Petrus Doctor Puerorum Monafterii Renaugenfis, H. de Weftirfpuol, Albertus Scultetus, C. dictus Furft, Rudolphus dictus Woulgos, & alii quam plures fide digni. Prelibata etiam Domina *Ita*, petens fibi alterationem & renovationem predicte fue penfionis per nos fieri; penfioni, quam ei affignavimus, ac dedimus usque modo in Villa *Rinheim* fponte renuntiavit viva voce, adjunctis etiam ad hanc renuntiationem teftibus prenotatis. Datum Renaugie anno Domini M°.CCC°.VI°. In Fefto Sanctorum Viti & Modefti (e).

LXI.

Hominis Ligii Redemptio.

Ex Authographo.

1. Junii 1307.

Divina permiffione Abbas Monafterii *Schaffhufienfis* (f) & Conventus ejusdem, univerfis, ad quorum notitiam prefentes pervenerint, falutem & orationes in Domino fempiternas. Intelleximus, quod *Berctoldus Schœbeli*, civis in *Gravenhufin* fervus Monafterii *Renaugienfis*, bonum fitum in *Mettingen* pro viro difcreto Domino *Hanns de Widilo* Prepofito Cenobii in Gravinhufin comparavit, accedente ad hoc omnium Monialium & Prebendariorum ejusdem Cenobii confenfu pariter & affenfu, quod quidem bonum folvit annuatim duos modios tritici, & duos modios avene. Devoluto itaque prefcripto bono ad manus prefati Berctoldi proprietatis titulo, quod illud pro prelibatis Prepofito, Monialibus, & Prebendariis comparavit, & in quorum ufus communes pecunia pro eodem bono fub certo numero & pondere perfoluta eft pariter & converfa, idem Berctoldus in redemptionem juris hereditarii omnium rerum fuarum tam mobilium quam immobilium, ad quas poft mortem fuam Venerabilis in Chrifto Abbas & Conventus Monafterii Renaugenfis refpectum de jure deberent & poffent habere, prelibatum

(e) Duo figilla Abbatis & Capituli Rhenaugienfis.

(f) Abbas erat Conradus de Liebenfels.

libatum bonum titulo proprietatis Monasterio Renaugensi, ipsisque Abbati & Conventui donavit, & ad manus eorum libere resignavit, salvis nihilominus eisdem Abbati & Conventui Mortuario, quod dicitur *Hobtval*, ipsis post obitum Berctoldi a suis heredibus persolvendo, quod ex tunc recipient, si voluerint, aut unam marcham argenti puri & legalis ponderis Schaffhusiensis; salvis etiam sibi vestibus ejusdem Berctoldi ad perceptionem secundum consuetudinem in Monasterio Renaugensi hactenus approbatam. Preterea liqueat omnibus presens scriptum intuentibus, quod prememoratus Berctoldus propter conditiones premissas non est a suo dominio absolutus, sed pro tempore vite sue, sicut alii servi ejusdem Dominii, erit in omni fidelitate & diligentia obligatus (g). In Premissorum autem robur & evidentiam Nos Abbas & Conventus Monasterii supradicti presens scriptum prenotatis Domino Abbati & Conventui Monasterii Renaugensis contulimus nostrorum sigillorum munimine roboratum. Nos vero Prepositus, Moniales, & Prebendarii predicti Cenobii, quia sigillo proprio non utimur, sed sub potestate & Regula Dominorum nostrorum Abbatis & Conventus Monasterii Schaffhusiensis per obedientiam vivimus & manemus, super ratihabitione omnium prescriptorum sigillis ipsorum unacum ipsis presentibus usi sumus. Datum Schaffhuse anno MCCCVII. Cal. Junii Indictione XIII.

LXII.

Udalricus Nobilis de Niderhaslen tradit Bonum in Metmanhaslen.

Ex Authographo.

6. April. 1315.

Allen, die disen brief sechen, alder hœrent lesen, kunt ich Heinrich von *Rumlang* Riter, das für mich kam Uoli der frie von *Niderhasela*, Eberhartz seligen sun von Niderhasela. Da ich ze Metmonhasela offentlich ze gerichte sas, und erkande sich (h) das er an dem guote ze *Metmonhasela* gelegen nicht enthate, das er angesprochen hatte, das Gottzhus von *Rinowa* sanct Benedictes ordens in

(g) Ex hac Charta liquet, homines ligios seu servos omnium bonorum spolio subjectos fuisse; a quo licet se redemerint, nihilominus servitia personalia ab ipsis præstanda, & ab eorum hæredibus post mortem Mortuarium solvendum fuisse.

(h) *Und erckande sich*, i. e. Es wurde erkennt. Hasela, Niderhasela, Mettmanhasela, Oberhasela, Vile, Hœri sunt Vici haud procul Bülaco pagi Zurigoviensis.

in Coftenzer Biftuome des aigen das febig guot ift von alter her gewefen, und noch ift; und endzich fich der felbe Uoli frie vor offenem gerichte frilich und willeklich mit Johanns von *Scherron*, der da fin fürfprecher was, aller anfprache, aller rechtunge und vorderunge, fo er nu, oder hinach, oder deheineft, ad das felb guot haben möchte dehein weg. Darnach duch mine bette, und anderer erberer lüten, do gaben die Erwürdigen heren von Gottes geleze Abt *Heinrich*, und der Convent des vorgenanden Gotzhus ze *Rinowa* dem vorgenanden Uolin frien virzehent pfening Zürchermünze; und ift ouch der bericht alleklich nach fin vergicht (i). und zemit offnen fteten und geweren urkunde des vorgefchribenen alles, fo han ich difen brief befigelt mit minem ingefigel offentlich. Dis befchach ze Mettmonhafela, und ward darre brief geben, da man zalte von Gottes geburt Druzehenhundert Jar, dar in dem funzehenden Jare an dem fechsten tage Aprellen; da zegegen waren Gerhart von Tüfenfrie, Heinrich von Frienftein frie, herr Johanns von Ehingen, herr heinrich von Vile, Riter Cuonrad von Hafela, herr Baldinger von Oberhafela, C. fin Bruoder, K. Hefſeler, und Ruodi von Mettmonhafela, H. von Hœri, Burgi fin bruoder, Joh. der Glatvelder von Hœri, C. Marteller von Hafela, H. Marteller fin Bruoder, und andere erbere lüte genuge.

LXIII.

Pifcatio in utroque latere Rheni adjudicatur Rhenaugiæ contra Lutholdum de Regenfperg.

Ex Authographo.

3. Octob. 1319.

Allen, die difen brief fechent, alder hörent lefen, kunde ich *Cunrad de Schultheifse von Baden*, das min herre von Gottes ordenung Abbet *Heinrich* des Gottshaus ze *Rinowe* von desfelben Gottshufes wegen, mit minem *Junkherren Rutolde von Regenfperg* Vrien (k) einen ftotz hatte umb eine *Vifchentz in dem Rine:* die vifchenz was der Rin halbe von dem Volkenbach unz an den werde abe. Dis kam darzu, das min herre der Abbet von des Gotshufes wegen, und min Junkherre

(i) *Nach fin vergicht*, i. e. fecundum rectam rationem judicatum. Haltaus in Gloffario.

(k) Lutholdus de Regenfperg poffidebat arcem *Balm* Rheno imminentem ex adverfo Caftri Rhenaugienfis, unde Pifcationem usque ad medium Rheni petebat.

herre Ludoldo von Regensperg jewedere zwen Schidemanne nam, und warde ih ze Obmanne gegeben. Und mines herren des Abbtes von des Gotshus wegen Schidelüte waren her Eppe von Schwandegge, und her Wenzel von Goldenberg Ritere; mines Junkherren Ludoltes von Regensperg Schidelüte waren her Cunrad von Tengen Riter Vrie, und her Eberhart de Schwager von Schaffhusen Riter. und solten die vorgenanten Schidelüte ir beider kundsami hören; und swedre die bessere kundsami hett, der solte sin geniessen. Dü kundsami ward gehört von den selben Schidelüten, und von mir umb die selbun kundsami zerhulen die Schidelüte, das min herren des Abbtes Schidelüte tuchte, das de die besserun kundsami hetti, und mines Junkherren von Regensperg Schidelüte tuchte, das er die besserun kundsami hetti: Dis kam an mich, wan ich Obmann was: Da vergiche ich offentlich an disen gegenwertigen briefe, das ich Paffen, Ritteren, und knechten (l) die kundsami beidi für leiti, und ir rath hatte. Und ward mir geraten von inen, das tucht ouch mich uf den eit, den ich gesworen hatte, wan die Schidelüte und ouch ich zu den heiligen darum gesworen hatten, das min herre der Abbet, und das Gotshus von Rinowe die besserum kundsami hetti (m) und im dü Vischenz in dem Rine von dem Volkenbache unz an den Werde abe ze beiden stederen gewallen wär, und das dasselbe Gotshus an derselben vischenz nieman nuz sumen noc irren solte. Dirre brief ward gegeben ze Baden, do von Gottes geburt waren druzehenhundert Jar, danach in dem nunzehenden Jare, an der nechsten mittewochen nach sant Michaels tult, Indictione secunda. Da zegegen waren erber lüte: Her Heinrich von Tengen Riter vrie, her Heinrich von Frienstein vrie, her Johans der Truchses von Diessenhoven, der von Randegge, her Vriderich der Schuldheisse von Schaffhusen, der von Ulma Riter, Rudolph von Wasserstelzon vrie, Br. von Balbe, Uolrich von Mandach, Heinrich von Mandach, Johanns Vile, Lutold von Ulingen, Eppider Schultheisse von Rinowe, Markuart und Hartman von Jestetten, und ande erber lüte genug. Und dirre gethat ze einem offnen Urkunde, und das si wissenhaft si, so henk ich min insigel offentlich an disen brief, und gib dem vorgenanden Gotshuse disen brief offentlich besigelten mit minem insigel.

LXIV.

(l) *Knecht* Nobiles Milites seu Armigeri inferioris ordinis. Haltaus in Glossario.

(m) Jus piscandi ex utraque parte Rheni a Suabowa usque ad influxum Thuræ jam anno 870. concesserat Ludovicus Germanicus in Diplomate.

LXIV.

Joannes I. Comes de Habspurg ratam habet donationem factam a Patre Rudolpho.

Ex Authographo.

27. Octob. 1320.

Wir Grave *Johannes* von Habspurg (n) Ritter kundin allen, die diesen brief lesen, oder hörent lesen, das unser herre und Vatter Grave *Rudolf* seligen von Habspurg (o) dem Gozhuse ze Rinowe Vro Willeburck herren Lutoldes seligen tochter von . . . (p) seligen eliche Wittine von Zeweidal (q) salbe gab, und gegeben hat . . . (r) von ir kunt oder kommen ist. Da vergehin wir offentlich mit disem brief . . . (s) Gift stete habin, und demselben Gozhuse wol gunnen, also mit dem gedinge . . . (t) Dü kint oder die lüte von dem Gozhuse teilen woltin, daran sol uns nie . . . (u) Wer ouch das Gotzhus von uns teilen wolti, das sun wir ouch nie vor sin. Dis beschach, und wat dirre brief gegeben ze *Rinowe* (w) do von Gottes geburte waren Drüzehen hundert Jar, darnach in dem zweinzegosten Jar in Vigilia Simonis & Jude Indictione quarta. und Düre gethat ze einem offnen urkunde, und das si wissenhaft si, so henken wir unser insigel offentlich an disen brief, und geben dem vorgenandem Gotzhuse disen brief offentlich besigelten mit unserem insigel.

(n) Lineæ Lauffenburgensis Advocatus Monasterii.

(o) Pariter olim Advocatus.

(p) Deletus & locus & Maritus Williburgis.

(q) Zweidlen ditionis Kiburgicæ.

(r) Supple: cum omnibus liberis præsentibus & futuris.

(s) Confirmatur donatio.

(t) Si Comes voluerit partiri Liberos, a nemine impediatur.

(u) Sicut vicissim, si Monasterium voluerit partiri.

(w) Data fuit Charta Rhenaugiæ, in cujus arce Advocati sæpius residere solebant.

LXV.

Dotatio Altaris in Bülach, cum consensu Abbatis Henrici de Eitlingen.

Ex Authographo.

25. Maji 1322.

Wir her Heinrich von *Tengen* Riter, und her Johanns sin sun Kirchenherre ze Bulach (x), und Johanns sin bruoders sun, Vrige herren, kunden allen, die disen brief sehent, lesen, oder hörent lesen, das de Erwürdig herre von Gottes gnaden Abbet *Heinrich*, und der Convent gemeiniglich des Gotzhus ze *Rinowe* mutwilliclich und vrilich verhenget dem herren Uolrich, der Lytpriester was ze *Buoch*, das er an den altar, den er gebuwet und gemahot het in der Kilchen ze *Bülach*, und ouch gewicht ist in sant Othmars und sant Catherinen ere, und andere Heiligon, geben het ze wideme die Shuopos, der man spricht zem Schlethorne, dü ze *Volchinkon* lit (y), und ein wise, lit bi der Rietmülli ouch ze Volchinkon, die er beide von dem vorgenandem Gotzhus ze zins eigin hatte, umb einin jährlichen Zins sunf virdunge (z) Wachses Winterturer gewicht, die man sol geben järlich ze unser Frowen tult der Liectmis. Diser verhengende, und dise gunst ist allso geschechen, das dem vorgenandem Gotzhuse an dem selben zinse, und an allem rechte, das es an den vorgenanden guotern uns her het gehebt, en kein schade si (a). Swene ouch der vorgeschriben zins geben wirt von dem Priester, der den vorgenanden Altar het, so sol ouch des vorgenanden Gotzhus recht dem Priester en kein schade sin. Und des zu einem offnem Urkunde des vorgeschribenen, so geben wir disen gegenwertigen brief besigiltin mit unseren insigilin. Dis geschach, und wart dirre brief geben ze *Bülach*, do von Gottes geburte warent Drüzehen hundert Jar, zweinzech zewey Jahar, an sanct Urbans tage, in dem virten Jar Romer stur Jar.

LXVI.

(x) Advocatia in Bülach erat feudalis Monasterii.

(y) Hodie Volken in Flachthal, haud procul a Buoch.

(z) Ferding, Virdung, Fierling, quarta pars libræ. Du Cange.

(a) Census adhuc hodie præstantur ex Volken & Bülach.

LXVI.

Feudum oblatum a Nobili de Frienſtein.

Ex Authographo.

24. April. 1325.

Ich Hainrich von *Vrienſtein* ein Vrier herre in Coſtenzer biſtume kunde allen, die diſen brief ſechent, oder hörent leſen, das ich dem Gozhuſe ze *Rinowe* in des Erwirdigen Herren von Gottes ordenung Abbet *Hainrichs* hant gegeben vrilich, und als ein vrier herre dur rech ſol, und ouch gibe mit diſem briefe den Acker in dem ſegatte ze *Haſela* obrunt dem wege, und das *Burgſtal* in dem Riete ſalbes, und ouch das guoteli, das Burgius ſeligen zem tor was, du min vriges eigen waren, an alle geverde; alſo das Hainrich min ſun, Hainzeli ſin Bruoder, und fro Mechtild ir beider Muoter, du ſelben gueter von dem vorgenden Gotzhuſe ze einem rechten erbe (b) haben ſun, ouch an alle geverde. und ſun dem Gotzhuſe allu Jare von den ſelben gueteren geben zu ſant *Mauritien* tult zwen pfenn'ge. Ich han demſelben Gotzhus ouch gegeben vrilich und mutwilletlich Johanſen den Amman, ouch ane alle geverde, war er ouch min vries eigen was, und endziche mich vrilich und offentlich mit diſem briefe aller der rechtunge, ſo ich an den vorgenanden gueteren, und an den ſelben Johanſe je gewan, ane alle geverde, oder jemer gewinnen mochte. Und iſt diſü giſt (c) geſchehen mit miner hant, gunſt, willen, mit aller ehafti, gwarſami, und mit allen den dingen, ſo darzu dur recht ſoren ſolton, oder mochton, ouch ane alle geverde, und dirre gethat, zu einem offnen urkunde, und das ſi wiſſenhaſt ſi, ſo henk ich min inſigel offentlich an diſen brief. Dis beſchach, und wart dirre brief gegeben ze *Rinowe*, do von Gottes geburt waren druzehenhundert zwainzig Jar, und darnach in dem funſten Jare, an der nechſtin mitewochin vor ſant Gregorien tult, Indictione octava. Da zegegen waren Erber lüte her Uolrich der Keller (d), her Cunrad der Cuſter (e), herr Cunrad der Kamerer, herr Bertholt der Schulmeiſter, Pieſtere. herr Johanns von Mandach Riter, Uolrich der Baje von Baden, Bertholt der Spichmeiſter, Hainrich der Tachs, Cunrad der Luchs, Bertholt der Kramer, der Broger, und ander erber lute genuog.

LXVII.

(b) Erb Lechen, feudum hæreditarium.

(c) *Gift*, traditio. Haltaus.

(d) Udalricus de Ba'm Cellerarius Monaſterii.

(e) Conradus Brümſi Cuſtos ibidem.

LXVII.

Advocatia in Bencken Rhenaugiæ afferta.

Ex Authographo.

18. Octob. 1331.

Wir herr Jacob von *Warte* ein Vrier herre, Ritter, kunden allen, fo difen brief fehent, oder hörent lefen, und fprehent by unferem eyde, das wir wiffent, das die *Vogtdie ze Benken* rech lechen ift von dem Gotzhufez *Rinowe*, und das wir fi von dem felben Gotzhufe ze rechen Lechen hatten, und wir fi Bifchofen *Rudolfen* (f) feligen von Coftentz geben, und das Bifchof Rudolf felige fprach, er volte demfelben Gozhuse Rinowe dawider geben ze *Rorbos* (g) und tät das nit, und wart dem Gotzhufe von Rinove nizenit dawider. und fwa man uns des von dis briefes wegen nit gelouben wil, das wellen wir ze den hayligen einen gelerten ait fweren, das wir wiffen, diefelbe Vogtdie ze Benken von dem Gotzhus ze Rinowe recht Lehen ift. und des ze ainem offnen urkunde, fo henken wir unfer infigel offentlich an diefem brief, der ward gegeben ze *Neftenbach* (h) do man zalte von Gottes geburte druzehenhundert drifig Jar, darnach in dem erften Jare, an dem nechften Frytage nach fant Gallen tult.

LXVIII.

Ludovicus Bavarus Imperator Privilegium Nundinarum concedit Rhenaugiæ.

Ex Authographo.

3. Junii 1332.

Wir Ludowig von Gots gnaden Romifcher Kayfer, ze allen ziten Merer des Richs, tun chunt allen den, die difen brief fechent, oder horent lefen, das wir den wyfen luten dem Rat, unde den Burgeren gemeinlichen ze *Rinowe*, unferen lieben getruwen, durch befunder gnad und gunft, und von unferem Kayferlichen gewalt erlaubet haben, und erlauben mit difem brief, das fi einen wochen

(f) Rudolphus de Montfort Epifcopus Conftantienfis.

(g) Rorbos vicus ejusdem Comitatus Kiburgici.

(h) Idem Jacobus de Warth anno 1323. Dominium in Neftenbach, haud procul Winterthur vendidit Joanni Truchfefio de Dieffenhofen. Stumpfius in Chron.

wochen *markte* (i) in ir Stat ze Rinowe an dem Sampztage halten mugen und fullen; und geben demfelben Markte alle die recht, vriung, und gewohnheit, diu der Markt ze Schaffhufen hat, und inhabent ift. und daruber ze urchunde geben wir in difen brief verfigelten mit unferm Kayferlichen infigel (k). Der geben ift ze *Ravenfpurg* an der mittwochen vor Pfingften. Do man zalt von Chriftus geburt Druzehen hundert Jar, darnach in dem zwei und drizzigiften Jar, in dem fechzehenden Jar unfers Richs, und in dem funten des Kayfertumb.

LXIX.

Traditio quorundam Bonorum in Kusnach & Dangftetten.

Ex Authographo.

16. Julii 1341.

Ich herr Johans von *Fridingen* Ritter, Vogt, und Pfleger zu *Kuffaberg* tun kunt allen, die difen brief fehent, oder horent, daz die Erwürdigen und wolbefchaidenen lute herr *Hainrich von Eitlingen* Keller ze *Rinow* (l) ain halb, und anderthalb herr Johans Berchtolds feligen fun *in den Bache von Tüngen* Kapelan ze fant Michaels Capellen ze Tüngen, und *Schwefter Anna* fin Schwefter (m), komen fur mich an gericht, und in gerichts wife, allu ze male gewaltig libes und gemütes; und ftaltend fich bedenthalb mit vurfprechen vor gerichte. und verjachen die vorgenanden herr Hans und fin Schwefter mit ir Furfprechen, und mit ir Vogte, der was Hainrich von *Immodingen*, der inen beden zu difer halben fache vor gericht zu befamoter urtaile ze rechten Vogte geben wart, daz fü durch ir vorderen, am och durch ir felbers felen hails willen wolten geben an das egenande Gozhus ze *Rinow* ain halb Hube, lit ze *Dankftetten*, da Lutold von Aichhain uffe fizet (n). und das korn geld, das ab dem Wingarten gat, di

(i) Nundinæ hebdomadariæ in oppido Rhenaugienfi pro commoditate vicinorum modo translatæ funt ad diem Mercurii.

(k) Sigillum Majeftatis ex adverfa parte habet contrafigillum minus, exhibens aquilam fimplicem alis expanfis. Vid. Opus Diplom. PP. S. Mauri Tom. VI. pag. 135.

(l) Cellerarius, poftea Abbas hujus ftemmatis fecundus.

(m) Anna bis foror vocatur, nimirum Regina.

(n) *Da Lutold uffizet.* Hæc phrafis fæpe occurrens indicat limitem feu proximi fundi poffefforem.

di us derselben Hube genommen sint; und ainen Wingarten, der in dem *Rintal* (o) gelegen ist; und ainen halben mutte kernen gelts, gat ab der schupose, die ze Kusach lit, die Wirtenberger bumet; und iren zehenden in *Omenrüti*, der in dieselben schupose gehört, die sü nach irer *vergicht* (p) von demselben Gotzhuse ze Rinow, vormals *ze erbe* (q) hattend. und nach der vergicht endziechen sich die selben herr Johans und Schwester Anna, mit des vorgeschribenen ir Vogteshand, und vergaben alle mit besamoter hand in des egenanden Keller, und du vorgenanden Güter mit aller rechtunge, so su daran hattond, oder gehaben mochten. Der selb herr Hainrich von Aitlingen hat egenanden Guter an des vorgeschribenen Gotzhuses stat von inen ufgenommen. Sonderlich sol man wissen, daz die gift oder getat (r), davon vor ist gesait, beschehen ist mit allem getate, worte, und werken, so darzu gehorte, oder gehoren mochte; und als am besamoter und gevallen urtaile, do darume ertailt wart offentlich vor gerichte. und des zu ainem waren urkunt, so hab ich der egenant herr Hans von Fridingen min insigel gehenket offentlich an disem brief. Wir die vorgeschribenen herr Haus, Schwester Anna, und Hainrich von Immodingen ir Vogt in diser sache vurjechen (s) ainer warheit alles des, so von uns geschriben stat, und daz wir es gutes willen und dankes halben getan, und globen by guten truwen, und binden unser erben och darzu, dieselben getat state zu haltene, und dawieder niemer ze tunde, an en kainer stat, noch in en kainen weg und des ze ainem waren und meren urkunde, so haben die vorgenanden herr Johans und Hainrich von Immodingen unserü insigel zu des vorgeschribenen von Fridingen ingesigel gehenkt offentlich an disen brief; under der insigel ich dü vorgenande Schwester Anna in diser sache mich gutes willen verbunden hab. Dis geschach ze *Rinhain*, do och dirr briefe geben wart an dem nächsten guten tag vor sant Margareten tag, da man zalte von Gotes geburte drizehen hundert Jar, und virzig Jar, darnach in dem ersten Jare. De zugegen warent Cunrad der Keller (t) von Rinhain, Johans der Huober, Wernher der

(o) *Rintal.* Hodie Kuffenbergerthal vineis consita vallis.

(p) *Vergicht.* Judicialis confessio.

(q) *Ze Erbe.* Zu Erb-Lehen.

(r) *Gift oder getat.* Datio, traditio, factum.

(s) *Vurjechen.* Verjehen, bejachen, asserere, contestari judicialiter.

(t) *Cunrad der Keller.* Ambtmann. Officialis, redditnum Inspector Monasterii in Rheinheim.

der Schmid, Berchtold der Bekko, Hainrich der Halder, Johans Gretto, Rudolf Wigli, Johans sin sun, Johans Verro, Hainrich Roto, Johans Roto, und ander erber lüte genuge, die der vorgeschribener Dinge sint gezüge.

LXX.

Abbas Rhenaugiæ facultatem tribuit Nobili de Tengen Uxori suæ Catharinæ de Montfort bona in Reckingen oppignorandi.

Ex Authographo.

19. Febr. 1343.

Wir *Hainrich* von Gottes Gnaden Abbte des Gottshuses ze *Rinow* in Costenzer Bistum, thunt kunt allen den, die disen brief sechent, lesen, oder horent lesen, das für uns kam ze Rinow *Hainrich von Tengen* (u) der alte Frye und Ritter, und bate uns, das wir im guntint, und verlangtint, das er Fro Katherinen siner elichen witenen, bürtig *von Montforte*, versazi ze rechtem pfande an abmessen umb zwanzig March, und ain March silbers luters und lötiges Schaffhuser gewichte, die si im verlichen hatte, das gut gelegen *ze Recken* (w) das Cunrat der Otwiler buwet, und järlichs giltet drige mute Roggen Züricher messe, drü Hünre, und drisig aiger, und ouch de zehenden ze Rekken, der in das selb gut höret, das alles von uns lechen ist. Dis haben wir getan mit aller ehafti, worten und werken, so darzu hörent, oder gehoren solten ane gewerde, also das der vorgesagt herr Hainrich von Tengen, der vorgenanden Fro Katherinen siner elichen Wirtenen mit unserem guten willen und gunst versezt hat das vorgesagt gut und zehenden zu rechten werenden pfand ane abmessen, umb so vil silbers, als vorgeschriben ist ohne alle gevärde. Und des ze warem Urkunde, und ouch statogkeit aller vorgeschribenen dingen, so haben wir unser insigel offentlich gehenket an disen brief. Dis beschach, und ward diser brief geben ze Rinow, do man zalte von Gottes geburt drüzehen hundert Jare, und virzig Jare, darnach in dem dritten Jare, an der nechsten mittwochen vor sant Mathias tag ainen zwölf botten.

(u) Nobiles *de Tengen* frequentissime occurrunt in nostris Chartis, Domini in *Eglisau*, postea Landgravii in *Nellenburg*.

(w) *Recken* seu Reckingen vicus in Cleggovia Parochiæ in Rheinheim.

LXXI.

Comitum de Habſpurg Fundatio Anniverſarii in Eccleſia Rhenaugienſi.

Ex Authographo.

28. Nov. 1348.

Wir *Agnes* (x) Grefin von Habſpurg, und wir *Graf Johans*, *Graf Rudolf*, und *Graf Gottfrid von Habſpurg* gebruder, verjehen offentlich, daz wir ſchuldig ſin, ze geben dien Erberen herren gemeinlich des Gotzhus ze *Rinow*, in Koſtenzer Biſtom, zwelf march ſilbers Schaffhuſer gewicht, umb den Gotzdienſt, den ſu und alle ire nachkommen eweglich und jerlich tun ſont, fur unſer der vorgenanden Fro Agneſen Grefin von Habſpurg, und unſers herren ſeligen Graf *Johans von Habſpurg*, und aller unſer vorderen ſelen willen. Das iſt, das ſi unſers herren ſeligen Graf Johans von Habſpurg jerlichen tag ſont began mit einer Vigilien und mit einer ſele Meſſe uff ſant Matheus abent (y) des heiligen zwelf botten, de nu nechſt kunt; und dannanhin alle Jar eweklich uf denſelben tag, als vorgeſchriben iſt; und ſont im vier kerzen brenen an dem abent zu der Vigilien, und morndes zu der Meſſe, die vor inen brinnen in dem Kore uf eim tuch; und ſon die kerzen ſin, als die kerzen gewonlich ſint, die man brenet ze Fron Altar, ſo da man Meſſe ſingt, und ſont ime och ein ſpende geben, och uf denſelben tag, ſo ſi dar Jarzit begant. Si ſont och um der vorgenanden Fro Agneſen Grefin von Habſpurg, ein Meſſe ſingen von unſer Frowen an den nechſten tag vor ſant Maurytien tag, och mit den kerzen, und mit der ſpende, als vor geſchriben iſt, von unſeren herren ſeligen Grafen Johans von Habſpurg, die wile wir leben; und wenne wir enſinen (z) ſo ſont ſi unſeren jerlichen tag began eweklich und jerlich mit einer Sel-Meſſe, und mit der Vigille, mit den kerzen, und mit der ſpende, och als vor geſchriben iſt von unſerem herren ſeligen Graf Johans von Habſpurg; und ſol och denne du vorgeſchribene Meſſe von unſer Froven ab ſin. Wir verjechen och, daz wir dien obgenanten Kloſter herren die vorgeſchriben zwelf march ſilbers geben ſont uf den nechſten ſant Martis

---

(x) *Agnes* Filia Simonis Alſatiæ Inferioris Landgrafii, uxor Joannis I. Comitis de Habſpurg in Lauffenburg, Mater Fratrum in Charta relatorum, quæ obiit anno 1351.

(y) Joannes I. Comes de Habſpurg Advocatus Rhenaugiæ occubuit in prælio Grinovienſi anno 1337. ipſa die S. Matthæi Apoſtoli.

(z) *Enſinen.* Endſcheiden. Sterben. Mori.

Martis tag, so nu kunt; und habent unser Burger von Rinow geheissen, daz si den egenanden herren geben sont die zwelf March Silbers, die si nu werdent geben ze dem nechsten sant Martis tag, die si uns schuldig sint von Stür wegen (a). und wolten och die vorgenanden unser Burger dien obgenanten herren die vorgeschriben zehen march Silbers nüt geben berichlich, und es inen verzugen, so son wir dien vorgenanden Klosterherren behulfin sin, das inen die selben march Silbers werden von den vorgenanden burgeren, venne es von inen an uns geforteret wirt. Und des zu einem waren urkunde, so hand wir du vorgeschriben *Fro Agnes Grefin von Habspurg*, und wir die vorgenanden *Graf Johans*, *Graf Rudolf*, *und Graf Gottfrid von Habspurg* gebrüder, unser ingesigel alle sunderlich gehenket an disen brief, der geben wart ze *Rinow* (b) des Jars, do man zalte von Gottes geburt druzehenhundert und virzig Jar, darnach in den achtonden Jare, an den nechsten fritag vor sant Andreas tag des heiligen zwelf botten.

LXXII.

Emptio Advocatiæ Altenburgensis.

Ex Authographo.

2. Octob. 1352.

Allen den, die disen brief ansehent, alder horent lesen, kunde ich *Friderich* der Schulthaisse von Schaffhusen, genant von *Randenburg* Ritter, das für mich kamen an gericht ze Schaffhusen, under die Richt loben, da ich offentlich ze gerichte sasse, und da och der Rat ze Schaffhusen ze gegen war, der Edel Frye Junkher *Rudolf von Tengen*, und Fro Catherin sin elichu Husfrowe, Junkhers Diethelmes seligen tochter von *Krenkingen genant von Wissenburg;* und offenet die selbe Fro Catherin mit ir fürsprechen, das si verkofet het für rech aigen die Vogtye uber das Dorf ze Altenburg, und über lüt und güt, holtz und velt, akker und wisan, ut swas zu dem selben dorf höret, mit gerichten und twingen, mit banen, und mit allen nuzen und rechten, so zu der selben Vogty hörent, swie es genant ist, alder wie man es benennen kan oder mag (c). Und het dis

 alles

(a) Nomine Tutelari Advocati tributum exigebant a civibus Rhenaugiæ.

(b) Advocati sæpe habitabant in arce superioris Portæ oppidi Rhenaugiæ.

(c) Nobiles de *Krenkingen* inter alia Advocatiam Altenburgi involasse videntur, quæ jam anno 870. a Ludovico Germanico Monasterio attributa erat.

alles ze koffenne geben recht und redlich für rech aigen, für sih und ir Erben, den Erberen Herren Abt Hainrichen (d) und dem Convent gemeinlich des Gotzhus ze *Rinowe* sant Benedicten ordens, gelegen in Costenzer bistum, und denselben Gotzhus umb virzig mark, und drüe mark gutes and lötiges Silbers Schaffhuser gewicht; Des Silber si von dem selben Herren genzlich geweret ist, an iren nuz, als si vor gericht verjache . . . (e) und ze warem urkunde, und Stattekeit aller diser vorgeschribenen ding han ich min insigel (f) für mich und min erben och gehenkt an disem brief. Dis beschach, und wart och dirre brief gegeben ze Schafhusen, do man zalt von Gottes geburte druzehenhundert und funfzig Jar, und darnach in dem anderen Jar, an dem nechsten montag nach sant Michaels tag.

LXXIII.

Emptio ac Cessio Boni in Attenhusen.

Ex Authographo.

21. Octob. 1353.

Allen Den, die disen brief ansehent alder hœrent lesen, kunden wir *Cunrad von Tengen Probst zu Embrach* (g) Hainrich von Tengen Ritter, Johans von Tengen Kirchher ze Bülach, Rudolf und Fridring von Tengen Gebruder Herr Hainrich seligen sün von Tengen, und ich Hainrich von Tengen, her Cünrates seligen Sun von Tengen, das für uns kament *Hainrich und Johans die Jestettere* (h) gebrüder seshaft zu Jestetten, und offenoten, und verjachen da, das sü den Erwirdigen gaistlichen hern Abt *Hainrichen*, und dem Convente gemainlich des Gotzhus ze *Rinowe* sant Benedicten ordens im Costenzer bistum, und irem Gotzhus ze kauffene

(d) *Henricus de Eitlingen* hujus stemmatis secundus Abbas.

(e) Subjunguntur prolixæ Judicii formalitates, quas prætermittimus.

(f) *Rudolphus de Tengen* Maritus Catharinæ de *Krenkingen* de suo sigillo loquitur. Præterea ex eadem Charta pendent sigilla *Henrici de Tengen* Fratris Rudolfi nomine *Catharinæ*, cujus fit mentio in Charta anni 1343. Denique Magistratus seu Civitatis Schaffhusianæ & ejusdem Prætoris *Friderici de Randenburg*.

(g) Comparent hic in unica Charta septem simul Nobiles *de Tengen*, quorum primus fuit Præpositus Canonicorum Regularium in Monasterio *Embracensi* Comitatus Kiburgici, nunc ditionis & fidei Tigurinæ.

(h) Nobilis Familia *de Jestetten* pariter frequens in nostris Chartis.

sene geben hettin das gut, das man nennet *Attanhusen* mit der Vischenze, und mit aller Zugehœrde, umb fufzehen march lötiges Silber Schaffhuser gewichte, das selb gut si ze lehen von uns hatten. Und baten uns, das wir unser Manschafft (i) uber das selbe gut, die unser aigen was den egenanden herren von Rinowe und irem Gotzhus usgäbin, das och danne das genant Gotzhus vorgenant gut für aigen haben möchti. Das taten wir durch ir bette willen, das wir offentlich verjehen, und haben den egenanden Herren von Rinowe und irem Gotzhus die selben manschafft usgegeben, und uns endziegen als Fryge herren semlich gut usgeben und sich endziechen sont. Und darumbe das dasselb usgeben von uns und unseren Erben und Nachkomen das stäter und ewiger si, so hant die egenanden von *Jestetten* uns usgeben das gut, das ir aigen was, das man nennet *Schattenholtz*, gelegen by dem Gerüte, und hant das zu lehen von uns empfangen an des vorgenanden Guts stat. Und darumen so hant wir uns de egenanden Guts gen den egenanden Herren von *Rinow* und irem Gotzhus entziechen aller rechten, so wir darane hatten, alder dehaines wegs jemer gewinnen mochtin, mit gaistlichen oder weltlichem gericte, und mit namen aller gewonhait und recht des landes, und der stette, und sunderbar des wortes, das wir gesprechen mochten, das es nit beschechen wäri, als recht wäri. Und zu warem urkunde diser vorgeschribener dinge, so hant wir die vorgenanden von Tengen unsern Insigel offentlich gehenkt an disen brief, der geben wart an dem montag nach sant Gallen tag, in dem Jar, da man zalt von Gottes geburte drüzehenhundert und funzig Jar, darnach in dem dritten Jare.

LXXIV.

Comites de Habspurg cedunt Dominio Directo cujusdam Prædii in Martelen.

Ex Authographo.

27. Maji 1353.

Wir *Graf Johans, Graf Rudolf, und Graf Gotfrid Gebrüder Grafen von Habspurg* (k) kunden allen den, die disen brief ansehent, alter hörent lesen, das für

(i) Manschafft hoc loco Dominium directum signat.

(k) De Comitibus istis Habspurgensibus, Advocatis Rhenaugiæ, actum est in Charta de anno 1348.

für uns kam her *Rudolf von Attlikon* Ritter, und tet uns kunt, das er dem Erwürdigen geistlichen herren dem Convent gemainlich des Gotzhus ze *Rinow* des Costenzer Bistum an iro selgräte ze kouffen geben hette (l) recht und redlich ain gut gelegen zu *Martelle* mit aller zugehörde, das die Nussen buwent, das von uns sin recht Lehen was, das järlichs gilt sechs mut kernen, drue mut Roggen, zwai malter Haber Winterturer messes, sechzehen Schilling alter brisger, hüner und aüer. und batte uns, wan die vorgeschribenen Herren von Rinow nit lehen haben sout (m), das wir den vorgenanten Herren das selbe gut aigentin ze rechter aigenschafft. Und sprach, das er ain gut, gelegen zu *Felwen*, das in ledig aigen weri, und och gilt järlich siben mut kernen, zehen mut Habere Costenzer messes, sechs Schilling pfening Costenzer münze, und hüner und aüer, ufgeben wölt ledklich in unser hant für ain rech Man lehen, und wölt das empfahen, und zu rechten lehen von uns haben an des vorgeschriben Guts stat; und gab uns di aigenschafft über das selb uf in unser hant für sich und sin erben, und empfieng es do von uns ze rechten lehen. Do erhörten wir sin bette, des wir offentlich verjehen, und gabent da ze stanter stete für uns und unser erben alder nachkomen den vorgenanten herren von Rinow die aigenschaft über das egenant Gut ze Martelle uf lediglich und aigentlich, und endziechen uns darum für uns und unser erben aller rechtunge und ansprach, so wir zu dem vorgeschribenen gut und ze der Manschaft hatten alder haben mochten an gaistlichen alder weltlichen gerichte, und sind dise vorgeschribenen ding beschehen mit aller gewahrsami, vorte und werke, so zu solichen sachen gehoren solten nach recht und nach gewonheit des Landes an alle gewerde. Und ze warem Urkunde diser vorgeschribenen dinge, das das wissenhaft si, so hant wir die vorgeschribenen *Graf Johans*, *Graf Rudolf*, *Graf Gotfrid von Habspurg* unserü insigel offentlich gehenket an disem brief. So vergich ich *Rudolf von Altikon* der vorgenant Ritter, das alles das war ist, und das ich dise vorgeschribenen ding für mich und min erben getan und volfürt han, in aller der wise, als vor beschaiden ist. Und des zu Urkunde so han ich min insigel ouch gehenket an disem brief, der geben wart an dem Zinstag nach der Uffarth in dem Jare, do man zalt von Gottes geburte druzehenhundert und fünfzig Jar, darnach in dem virten Jare.

LXXV.

(l) Hac phrasi communiter hoc ævo exprimitur fundatio Anniversarii.

(m) Ex hac & superiori Charta liquet, Religiosos & Monasteria usque ad hanc ætatem non admisisse feuda passiva, contulisse vero plurima activa.

LXXV.

Epiſcopus Conſtantienſis renuntiat primis precibus.

Ex Authographo.

18. Maji 1359.

In Nomine Domini. amen. Per hoc preſens Inſtrumentum publicum pateat univerſis hanc paginam inſpecturis. Quod ſub annis Domini MCCCLIX. XV. Kalendas Junii hora quaſi tercia, Indictione XII. Pontificatus Summi in Chriſto Patris Dni *Innocentii* Divina Dei providentia *Pape Sexti* anno ſeptimo, in domo Gotfridi Ulrici de Baden, ſita in Villa inferioris Baden conſtitutus Reverendus in Chriſto Pater & Dominus *Hainricus* Dei gratia Conſtantienſis Epiſcopus (n) in mei Notarii publici infra ſcripti, tanquam Perſone authentice, & Teſtium ſubſcriptorum preſentia publice recognovit, & fatebatur in Jure, quod licet Ipſe ſuas *preces primarias* Abbati & Conventui Monaſterii Renaugienſis, Ordinis S. Benedicti Conſtantienſis Dyoceſis pro Craltone filio Peregrini dicto *de Ebnet* Armigero (o) in Monachum conventualem & Confratrem recipiendo ab ipſis; quia tamen nunc eſt legitime informatus, quod nec Predeceſſores ſui, nec Ipſe jus habeant ad hujusmodi petenda, idcirco ipſos renunciavit pro ſe & ſuis Succeſſoribus ab hujusmodi petitionibus abſolutos, & eos abſolvit effectualiter a premiſſis. Et petitum fuit a me ex parte Abbatis & Conventus preſcriptorum, ut premiſſam confeſſionem, recognitionem & alia premiſſa in publicam formam redigerem, unumque vel plura publica Inſtrumenta deſuper conficerem, eaque ſigno meo ſolito, unacum appenſione ſigilli Reverendi in Chriſto Patris ac Domini Epiſcopi ſupra ſcripti ſignarem in teſtimonium, robur & evidentiam omnium premiſſorum. Nos igitur *Hainricus* Dei gratia Epiſcopus Conſtantienſis predictus in teſtimonium premiſſorum ſigillum noſtrum duximus preſentibus appendendum. Et ego *Johannes Mochuwang* de Wingarten Clericus Conſtantienſis Dioceſis Notarius Imperiali auctoritate publicus, quia premiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic agerentur, legitime, unacum Dilectis in Chriſto Magiſtro Cuonrado de Stich Cantore Eccleſie Zurzazenſis, Hainrico de Sekkingen Rectore

(n) *Henricus* de Brandis Abbas Eremitanus, electus Epiſcopus Conſtantienſis anno 1356.

(o) *Armiger.* Inferioris ordinis Nobilis, ſeu Juvenis ex nobili proſapia, nondum militari ordine donatus. Du Cang.

ſtore Ecclefie Zuzikon, Uolrico dicto Gobigen, & Nicolao Malperſperg, teſtibus ad premiſſa vocatis pariter & rogatis, interfui, & ea ſic fieri vidi & audivi. Idcirco hoc in publicam formam redegi, manu propria conſcripſi, eaque ſigno meo ſolito & conſueto ſignavi, in teſtimonium, robur, & evidentiam omnium premiſſorum, vocatus, requiſitus, pariter & rogatus. Datum ut ſupra.

LXXVI.

Idem Epiſcopus Jurisdictionem in Rheinheim Monaſterio reſtituit.

Ex Authographo.

24. Julii 1361.

Nos *Heinricus* Dei gratia Epiſcopus Conſtantienſis (p). Notum facimus univerſis tam preſentibus quam futuris, ad quos preſentes littere pervenerint, quod cum inter Nos & Eccleſiam noſtram Conſtantienſem ex una, & Venerabilem Patrem Monaſterii *Rinavenſis* & ſui Monaſterii ex parte altera, queſtio ſuborta fuiſſet, ſuper jure & forma judicandi, ſive judicium exercendi in curia Celerarie (q) ſita in Villa *Rinhain* prope Caſtrum noſtrum & Eccleſie noſtre Conſtantienſis *Cuſſaberg:* Nos urgente conſcientia dictum negotium, de conſenſu ipſius Domini Abbatis, certis & fide dignis Perſonis examinandum commiſimus. Et quia per inquiſitionem eorundem ſolertem invenimus, quod idem Dominus Abbas, Anteceſſores ipſius, & ſuum Monaſterium, a tanto tempore, de cujus contrario non exſtat memoria hominum, hanc habuerunt conſuetudinem ſive jus, quod Ipſi, & eorum quilibet, qui eſt pro tempore, bis in anno, videlicet ſemel in menſe Magii, & ſemel in menſe Autumpni, per ſe vel per alium, unacum Epiſcopo, qui eſt pro tempore, vel ejus Advocato, in dicta curia ad judicandum preſidere, & etiam judicare conſueverunt inter homines ad eandem curiam pertinentes, & ſuper bonis & poſſeſſionibus dictorum hominum duntaxat, quod vulgo dicitur: *umb aigen und umb Erb.* cum eorum incidentibus, emergentibus, dependentibus & connexis; eo ſalvo, quod dicti Domini Abbates, vel eorum loca tenentes de cauſis, que eodem die non deciduntur, vel per appellationem ad alias curias dicti Domini Abbatis & ſui Monaſterii deducuntur, amplius usque ad revolutionem ejusque anni & dierum in dicta curia Cellariatus, judi-

(p) Henricus de Brandis, qui in Charta præcedenti.

(q) *Kellergericht.* Cujusmodi in reliquis pagis Monaſterio fundatis inſtituebantur.

judicande se non intromittant; & quod pene sive emende, preter penam sanguinis, quæ cedit Episcopo, que eisdem diebus judicando ab eisdem hominibus proveniunt, pro duabus partibus Abbati, qui est pro tempore, & pro tercia parte Episcopo, qui est pro tempore, cedant. Igitur Nos *Heinricus* Episcopus antedictus, prehabito peritorum consilio, dictum Dominum Abbatem & suum Monasterium, qui hujusmodi juris possessione defacto privati exstiterant, in possessionem pristinam dictorum Jurium, prout supra scripta sunt, cum omnibus suis incidentibus, emergentibus, dependentibus, & connexis in toto reponimus, & ex certa scientia restituimus, & redintegramus presentium per tenorem (r). In quorum rei testimonium omnium & singulorum prescriptorum sigillum nostrum Episcopale presentibus duximus apponendum. Datum in Castro nostro *Gotliep* anno Domini M°.CCC°.LX°. primo, in vigilia sancti Jacobi Apostoli.

LXXVII.

Comites de Habspurg cedunt liberaliter juri directo in Molendinum Martelæ.

Ex Authographo.

27. Januar. 1362.

Wir *Graff Johans, Graff Rudolf, und Graff Gottfrid von Habspurg* Gebrüder. Kunden allen den, die disen brieff ansechent, alder hörent lesen, das für uns kam *Hainrich von Aitlingen* Hugs seligen sun von Aitlingen, seshaft ze *Rinow* (s). und batte uns, das wir von Im ufnemen die *Mülle ze ober Martelle*, die er ze Lehen von uns hatte, und das wir dieselben Müle mit dem müli recht, und mit aller Zugehörde ze aigen gebint dem Erwürdigen gaistlichen Herren Abt Hainrichen und dem Convent gemainlich des Gotzhus ze Rinow, und demselben irem Gotzhus. das daten Wir durch siner bette willen, und ouch umb die fründschafft und liebi, so wir zu dem vorgeschribenen Gotzhus haben. Des wir offentlich verjechen; und nament die egenanti müli von dem vorgenanten Hainrich uf zu unseren handen, und gabent si do dem vorgeschribenen Abt

 Hain-

(r) *Rheinheim* jam anno 892. per Fundationem *Gozberti* Comitis, cujus Castrum Cussaberg fuisse creditur, ad Monasterium pervenit.

(s) Henricus de Aitlingen, sive Eitlingen, erat Pater Henrici Abbatis hujus stemmatis secundi.

Hainrich, und dem Convent des Gotzhus ze Rinow (t). und demselben irem Gotzhus mit dem müli rech und mit aller zugehorde uff libtlich und aigentlich; und habent uns für uns, unser erben und nachkomen gen den vorgeschribenen Herren von Rinow, und irem Gotzhus enzigen aller aigenschafften, und alles des rechten, so wir an der vorgenanten Müli hatten; und mit namen alles schirms gaistliches und weltliches gerichtes, damit wir, unser erben alder nachkomen, alder jeman von unseren wegen, die vorgenant Herren von Rinow, alder ir nachkomen und ir Gotzhus jemer möchtint bekümberen, alder bekrenken dehaines weges an der vorgenanten Müli ze Martelle. Und ze warem Urkunde diser vorgeschribener dinge, so haben wir unsern insigel offentlich gehenket an disen brief, der gegeben war an dem Donerstag vor der Lichmis, in dem Jar, da man zalt von Gottes geburte drüzehenhundert und sechzig Jar, darnach in dem anderen Jar.

LXXVIII.

Austriæ Ducis Rudolphi Privilegium, seu Diploma Immunitatis.

Ex Authographo.

28. Aug. 1363.

Wir *Rudolf* von Gottes Gnaden Herzog ze österrich, ze Styr, unt ze Kernden und Graff ze Tyrol &c. thun kund, das der Erwürdig unser getrewer lieber Fürst und Kanzler Bischoff *Johans von Gurk*, unser Houptman, und Landvogt zu Swaben, und in Elsazz, unsers Vatters seligen Herzog Albrechs (u) von österrich, dem Gott gnade, offenen brieff gesehen hat, daran Er dem Schultheizzen seligen von Waltzhut, zu denen ziten sinem Landvogt in Ergew und Thurgew empfalch und gebot, daz er dem Erwürdigen Geistlichen herren, dem Abt von *Rinow*, sin gut nit lieze beheften (w) noch angrifen ane recht. und ob jeman zu im icht zu sprechen hette, der sol daz tun mit dem rechten vor im, oder in unseren Stetten, da der selb Abt unser Burger ist (x). Darumbe und von sunderen

(t) Comites de Habspurg, nulla recepta compensatione jus directum condonarunt, cum Religiosi nostri Vasalli esse renuerent.

(u) *Albertus Sapiens* Dux Austriæ, Filius Alberti Cæsaris illud Diploma anno 1339. concesserat.

(w) *Beheften.* Occupare, vel detinere. Haltaus Glossar.

(x) Erat Abbas cum Monasterio civis oppidorum Schaffhusii & Waldishuti Austriacis tunc parentium.

deren gnaden, die wir zu dem egenanten Abten haben, empfehlen und gebieten wir ernſtlich üch allen unſeren gegenwertigen und künftigen Houblüten, Landvögten, Pflegeren, und Ambtlüten in Ergew und Thurgew, daz ir demſeben Abt von Rinow von unſer wegen haltend bi den vorgenanten gnaden, und im nieman ſin gut angriffen, noch beheften lazzent ane recht. und ob jeman an ine icht ze ſprechende hab, der ſol rech von im nemen vor uns, oder von unſerem Landvogte und Rate im Ergew, oder in Thurgew, oder in unſeren Stetten, da er unſer Burger iſt, oder wirt. Mit Urkund diſes brieffs, der mit unſerem Ingeſigel verſigelt, und durch hende des obgenanten unſers Kanzlers und Landvogtes gegeben iſt ze Schaffhus an ſant Auguſtins tag nach Gottes Geburte tuſend drühundert und ſechzig Jaren, und darnach im dritten Jare. Tranſeat (y).

LXXIX.

Rudolphus Comes de Habſpurg Diſſenſiones inter Abbatem & Conventum componit.

Ex Archivo Rhenaugiæ.

ANNO 1365.

Wir *Graff Rudolf von Habſpurg* (z) thun kunt aller mäniglich mit urkund dis brieffs. Als der Erwürdig herr Abt *Heinrich* des Gotzhus ze *Rynow* ſant Benedicten ordens, gelegen in Coſtenzer biſtum, und die Herren und der Convent gemeiniglich des ſelbigen Gotzhus zu Rinow uf uns mit gutem willen wohl bedachtlich komen (a) ſint aller ſtöſs, miſshel und anſprach, ſo ſy gegen einander gehept hant unz uff den heutigen tag; und hand ir beide theil fürlegung, ſtöſs, miſshell, und anſprach, ſo ſi gen ananderen gehept han; ſo ſprechen wir us, als hienach an diſem brieff geſchriben und beſchriben iſt. Des erſten ſprechen wir, das all ſtöſs, miſshell, und anſprach, ſo ſi gen anander gehept hand unz uff diſen tag, gemainlich ſollen verricht und ab ſin, und ſollen einander gut fründ ſin, und fründlich mit einander leben, und ſich ger ein-

 andes

(y) *Tranſeat.* Hac particula ſignificatur Charta recognita ut legitime expedita. Titulo *Comitis Tyrolis* nunc primum uſus eſt Dux Auſtriæ.

(z) Rudolphus Comes de Habſpurg in Lauffenburg, Advocatus erat Rhenaugiæ, & Comes Cleggoviæ.

(a) Arbitrum in hac cauſa agebat, libere a partibus electus.

ander halten, als och es Göttlich, billich und rech ist an alle geverde, Item hinach soll alles eigentlich stan, wie un wele weg der Abt den Herren ir pfrund ufrichten sol, die wile er lebt. Wir sprechent och, das der obgenant Abbt Heinrich jeglichem Herren, der Prister ist, jerliches geben sol siben som wins erberlich und ungefahrlich, und sol den weren und geben ze Rynow, ze herbst zitt, von der trotten in ir vass (b). Were aber, das er inen dekeinen win dekeines Jars anderswo geben wolt, so soll er inen ir Vass zu den trotten vergen, und den win und die Vass wider von den trotten in das obgenant Kloster ohne iren schaden ongevärlich. Wan er och, alder sin botten, ongevarlich inen verkundet die Vass ze thunt für die trotten, es sige in dem Kloster alder vor, das sont si tun onverzogentlich, und sont och ir Vass besorgen, das sy guet syend; weller aber das nit tette, und der gebrest sinerhalb were ungevährlich, den gebresten und schaden sol der haben, an dem der gebresten denn ist, in hab den kuntlich redlich sache ungevahrlich daran gesumet. Der vorgenant Abbt Heinrich soll ouch geben den vorgenanten Herren ze Rynow jeglichem, der Priester ist, zwelf pfund pfenning Schaffhuser münze, und zwelf mut kernen, halb pfenning und kernen uf sant Andres tag alt darnach, so er fürderlichest mag, doch das es umb sant Niclas tag gewert sige onegevärlich; den anderen halben teil pfenning und kernen uf usgend pfingst wochen oder darnach in virzehen tagen ungevärlich. So soll och er jeglichem Herren, der Priester ist, jerlich geben zwerf karren Holtz, die er inen weren soll fürderlich und ungevärlich nach der mass, als er gewonlich untzher gethon hat.

LXXX.

Privilegia Monasterii auctoritate publica roborantur.

Ex Authographo.

21. Julii 1374.

Ich *Johans von Rosnegg* ein Freyer Herre (c), der Hochgebornen Fürsten der Her-

(b) Relaxata disciplina Monastica, instar Canonicorum vivebant Religiosi; mensam tamen communem habebant, quam instruere tenebatur Abbas. Videatur similis Charta, apud Herrgott Geneal. Diplom. Tom. II. Num. 925. anno 1402.

(c) *Rosnegg* Nobilis Familia sæpius in monumentis occurrit, dicta a quadam arce, quam Stumpfius refert. Hoc ipso tempore Wernerus de Rosenegg erat Abbas Augiæ Divitis.

Herzogen von österrich (d) meiner gnädigen Herren Landrichter in ir Graff-schafft ze Thurgew, tun kunt, und vergich offentlich mit disem brief, das ich an derselben miner Herren statt, in der vorgesprochenen Graffschafft, an der statt und an dem tag, als diser brief gegeben ist, offentlich ze gerichte fas, und kam da in gericht der *Hochwürdig Fürste Abt Heinrich* (e) des Gotzhus ze *Rinow* sant Benedicten ordens, gelegen im Costenzer bistum, und zögte da ein latinschy handfesti, versigelt mit einem guldin anhangend insigel von dem Durchlüchtigen Fürsten Keyser *Friderichen* Römischer Keyser seliger gedächt-nusse (f) unter anderen handfestinen, die er och vor mir in abschriften zöge, von etwa vil Keyseren und Küngen, die och vor mir gelesen wurden. Die selbe handfestinen wisten und seiten, daz si dem Abt ze Rinow und sinem Gotzhus die fryheit und gnade gethan hette, under anderen gnaden, die der obgenente Keyser Fridrich dem egenanten Gotzhus ze Rinowe, und allen sinen nachko-men eweklich gethan hat, daz er und sin Gotzhus also bestettet hat, und meinet, und will, daz der Abt des egenanten Gotzhus ze Rinow das selb sin Gotzhus ze Rinow, und die statt ze Rinow, und andere sin gueter und dörfer, mit allen gerich-ten, twingen und Bennen, Wildbennen, Münzen, Markten, Zöllen, und Vogtyen, und mit allen rechten und gewonheiten, mit lüten, und gueter, und mit al-ler zugehörde, innhabe und ruweklich niessen, und darüber richten soll; und das er och darzu Vögte nemen, sezen und endsezen soll, wie dick er wil, ob si demselben Abt dehein bekümernusse, oder wider drisse an den vorgeschribe-nen rechten und gewonheiten tetin ane aller mannekliches irrunge und wider-rede. Und sol denselben Abt sin Closter, sin lüte und gueter daran nieman weder soumen, leidigen, bekrenken, schädigen, irren, noch unrichtig ma-chen in keinem weg. Were aber, das in oder sin Gotzhus daruber jeman, wer der were, oder wie er genant ist, an den obgenanten rechten, gewonhei-ten, gnaden, und sachen, dehein sunderlich, oder an in allen sumbte, irti, oder schädigoti, über die abgeschribenen fryheit und gnad, das derselb, der dawider fräwentlich tut, zu rechter pene verfallen sin soll hundert pfunt Gol-des, der der halbteil in des egenanten Keysers Kamer, und der andere halb-teil

(d) *Albertus & Leopoldus* Duces Austriae tunc Turgoviae imperabant.

(e) *Hochwürdig Fürste.* Hic titulus rarius occurrit illo aevo in Chartis datus Episcopis & Abbatibus, etiam quibus alias competebat ex Diplomatibus.

(f) *Bulla Aurea Friderici II. Imp.* de anno 1241. videatur inter Fastos Rudolphi I. apud Principem Gerbert pag. 221.

teil dem egenanten Abt oder finem Gotzhus gefallen foll ane widerrede. Darzu zöigte och der egenant Abt ein handvefte von unferim helligen Vatter dem Pabft *Honorius* (g) der hat im und fim Gotzhus och die rechten und gnad geben und beftettiget im ewiklich die vorgenante gnat und fryheit, oder was er noch rechten gnaden und fryheiten erwerben mag; daz er och meinet, daz der vorgefchriben Abt, noch fin Gotzhus uber diefelben gnad nit befwert werden font ane geverde. Wer aber dawider täte fräventlich, der foll von finen rechten genzlich fin, und foll im dazu Gotz Fronlichnamen frömde fin, und foll dazu in des Pabften pennen, und dem fluoch fin *Anathema*, darann alle penn haftent; und foll an dem jungften gericht Gottes in dem Helfchen für brennen eweklich. Und do die handfeftinen alfo alle gelefen wurden, da batt im der genant Abte der handfefti und briefen ein abgefchrifft, das man nempt ein *Vidimus*, geben, und ob er und das Gotzhus icht billich bi dienen gnaden und fryheiten beliben folten. Da wart erteilet mit gefamoter urteil, daz ich im des billich ein *Vidimus* geben folte, und das er und fin Gotzhus, fin lüt, und fin Güter, derfelben fryheiten billich geniefsen folten. Und dis zu urkunde fo han ich, als urteil gab, und durch des egenanten Abtes bette willen, difen brief gefigelt mit des Landgerichts im Thurgew anhangenden infigel. Der geben ift ze der loben uf dem Landtag, an dem nechften frytag vor fant Jacobs tag, nach Chriftes geburt drüzehen hundert und fibenzig Jaren, un darnach in dem vierten. B. Lochli (h).

LXXXI.

Forum Judiciale Abbatis Rhenaugienfis eadem auctoritate agnofcitur.

Ex Authographo.

21. Julii 1374.

I*ch Johans von Rofenegg* ein fryer Herre der Hochgebohrnen Fürften und Herzogen von öfterrich miner gnädigen Herren Landrichter in ir Graffchafft ze Thurgew. Thun kunt, und vergich offentlich mit difem brief, daz ich an derfelben ftatt in der vorgefprochenen Graffchafft an der Statt, und an dem tag, als

(g) *Bulla Honorii II.* videatur ad annum 1126.

(h) *Lochli.* Hoc nomen Scribam Provincialem defignat. Familia Loher hoc munus hæreditario jure in Turgovia exercebat. Cæterum hæc Charta de verbo ad verbum inferta eft Diplomati Auguftiff. Jofephi II. Imp. an. 1777. & Anteceſſorum.

als difer brief gegeben ift, offentlich ze gerichte fas; und kam da an gericht *der Hochwürdig Fürfte Abt Heinrich* (i) des Gotzhus ze Rinow fant Benedicten ordens, gelegen in dem Coftenzer byftum; und offente mit finem fürfprechen, und fprach: Daz Hans der Pfiffer von *Wilglispuch* (k) von finen, und Elsbethen finer elichen husfrowen wegen anleiti genomen hetti uf das hus ze Rinow, gelegen an des Tächslers hus; och uf ein Wingarten, gelegen dafelbs ze Rinow an Eberlis des Gaffers; aber uf die Güter, gelegen ze *Altenburg* (l) genant Schupos an bruegg; und uf ein guet, genant des Herren güt ze Altenburg, mit aller irer zugehörde; und uffn aker, gelegen uf Rinower velt an Eberlis Gaffers aker. Die felben Güter aber gehörten ze finem Gotzhus, und weren öch desfelben fins Gotzhus eigen ze Rinow; und welte die verfprechen, wan er folich fryheit und recht hette von Römfchen Kayferen, des er och brief und figel im gericht zögte, daz man von feinen Güteren nieman richten noch rechten folle, denne vor im, oder finen Ambtlüten in finem Clofter, oder in finen ding Höfen; und batt im fragen, was recht were. Da wart nach einer frag erteilt mit gefamoter urteil uf den ende nach der fryheit und genad, die der egenant Abt Heinrich vor mir zögte, daz die anleiti (m) und die uffwifunge, die der egenant Hans der Pfiffer und fin Würtin uf die vorgenante Güter vor dem Landgericht genomen hette, gänzlich ab fin folte; und hetten fi oder jeman andere von ir wegen zu den Güteren ichtz ze fprechenne, der folte darum rech fuchen vor dem vorgenanten Abt und finen Amblüten in finem Clofter, oder in finen Höfen, wa er denne je richten will, und niemal anderswa; und och ich darumber nit zerichtenne hette. Und des ze offenen urkunde der warheit, fo han ich, als urteil gab, difen brief befigelt mit des Langerichts im Thurgew anhangendem infigil. Der geben ift ze der Loben uff dem Landtag an den nechften frytag vor fant Jacobe tag, nach Chriftes geburt Drüzehenhundert und fibenzig Jaren, und darnach in dem vierten Jare.

LXXXII.

(i) De hoc titulo videatur Martinus Gerbert in faftis Rudolphi I. pag. 58. Item notæ Chartæ præcedentis.

(k) *Wilgisbuck.* In Comitatu Kiburgico.

(l) *Altenburg.* In Comitatu Cleggoviæ.

(m) *Anleiti.* Inductio judicialis in certa bona. Haltaus in Gloffario Germanico.

LXXXII.

Leopoldi Ducis Austriæ Litteræ Protectoriæ.

Ex Authographo.

14. Febr. 1375.

Wir *Luepolt* von Gottes Gnaden Herzog ze osterrich, ze Steyer, ze Kerenden, und ze Krain, Graff ze Tyrol &c. (n) Tun kunt, daz wir den erbern und geistlichen den Abt von *Rynow* und sin Gotshus in unser besunder gnad und schenn genomen haben. Davon endpfelhen wir dem Edlen unserm lieben öcheim Graf *Rudolfen von Habspurg* (o) oder wer unser Landvogt in Swaben und in Elsazzen ist, und allen anderen Houblüten, Pflegeren, Untervögten, und Ambtlüten in Ergow, und im Turgow, den diser brief gezaiget wirt, und wellen ernstlich, daz si den egenanten Abt, und sin Gotshus schirmen, wa si des bedürffen; und in, oder sins Gotshus lüt oder gut nieman lazzen angrifen, noch beheften an recht. Und ob jeman hintz in ichtz ze sprechen hiet, der sol recht von im nemen vor uns, oder vor unseren Landvögten und Reten in Ergow, oder im Turgow, oder in unseren stetten, da er unser Burger ist (p), oder wirt, oder anderswa, da er es billich tut. Mit urkund diez briefs, geben ze Schafhusen, an sant Valtins tag, nach Christi geburt drüzehenhundert Jar, darnach in dem fünundsibenzigisten Jar.

Dominus Dux per se (q).

IV.

(n) *Leopoldus* cognomento *Probus*, occubuit in prælio Sembachensi anno 1386. sepultus primo in Königsfeld, nunc in S. Blasio.

(o) *Rudolphus Comes de Habspurg* tunc simul erat Monasterii Rhenaugiensis Advocatus.

(p) Jus civicum Monasterium habebat Schaffhusii & Waldishuti. Videatur Charta de anno 1363.

(q) Aliquando hæc subscriptio solis litteris initialibus legitur *D. D. P. S.* ut apud Ægidium Tschudium in Chron. Helvet. in Charta *Leopoldi* filii istius Leopoldi ad annum 1401. pag. 612. Alias subscribitur: *Dominus Dux in Consilio.* ut apud eundem Tschudium ad annum 1376. & in Charta nostra Alberti Ducis Austriæ ad annum 1448.

IV.

REFLEXIONES

IN

CHARTAM TRADITIONIS

CELLÆ ALBÆ,

QUÆ NUNC NOMEN SANCTI BLASII

SORTITUR.

Charta
ex Chartulario Num. V.
ad Annum 858.

In Nomine Dei Summi. Vir quidam Nobilis nomine *Sigemar* ſub Confirma-„tione tradidit ad Monaſterium *Rinaugia Cellam*, quæ dicitur *Alba*, quæ ſita „eſt in pago *Alpigowe*, ad ſtabiliendum inibi ſervitium *S. Mariæ*, pro ſemetipſo „& filio ſuo nomine *Liuthere*, annuente Domino *Wolvene* ejusdem loci heredita-„rio Tutore, ſub Rege *Ludowico*, Anno I. *Nicolai* Papæ.

Reflexio I.
De Authoritate hujus Chartæ.

Nullum ſupereſt antiquius Monumentum, in quo occurrat mentio *Cellæ Albæ*, præter hanc Chartam; de cujus veritate haſtenus eo minus dubitatum eſt, quod contenta inibi Traditio in Authographo Diplomate Ludovici Germanici, eodem tempore dato, cum Sigillo elegante, confirmata reperiatur. Id quidem a nonnullis in dubium vocatum fuit, utrum ſcilicet præſens Charta ipſum Traditionis Inſtrumentum referat, an vero ſimplex tantum rei geſtæ recenſio ſit. Etenim Authographum injuria temporum periit, cujus loco ſupereſt duntaxat Tranſumptum in veteri Chartulario Sæculi XI. quod ultra quinquaginta Diplomata, Chartasque Rhenaugienſes accurate deſcriptas continet. De authoritate porro ejusmodi Chartulariorum diſſerere, hoc loco ſupervacaneum duco; eo quod noſter Mabillonius hoc genus argumenti ſatis ſuperque ventilaverit (a). Eſt nihilominus ratio dubitandi ſpecialis de authoritate præſentis Chartæ; 1mo, quia nomen Pontificis Romani appoſitum exhibet, quod in Chartis Authenticis ſæculi noni nusquam reperitur. 2do, quia Wolvenus dicitur *loci hereditarius Tutor;* cum tamen certum ſit, quod Wolvenus anno octingenteſimo quinquageſimo octavo, quo Charta exarata fuit, jamjam abdicato Tutoris munere, Rhenaugiæ Monachum induerit, paulo poſt eodem anno in Abbatem electus. 3^tio^, quia Vir Nobilis Sigemarus, Albæ Cellæ Dominus, non in prima & propria, ut in plerisque Traditionum Chartis fieri aſſolet, ſed in tertia perſona loquens ſeu tradens inducitur: *Vir quidam Nobilis nomine Sigemar tradidit &c.*

 Verum

(a) De Re Diplom. Lib. III. Cap. V.

Verum enim vero rem altius inſpicienti omnia plana ſunt; nam 1mo Nomen Pontificis non ipſi Authographo, ſed ejus Tranſumpto a noſtro Chartularii Compilatore motu proprio ſuit appoſitum. Quem morem Vir probus & eruditus in plerisque Chartis ac Diplomatibus, a ſe tranſumptis, conſtanter obſervavit; quamvis in ipſis Originalibus, quæ adhuc extant, Pontificum Nomina non ſint expreſſa. 2do. Quamvis Wolvenus non fuerit *Tutor* tempore Traditionis per Chartam conſcriptæ, fuit tamen *Tutor* tempore Traditionis viva voce factæ & acceptatæ; cum ergo Charta ſeriem facti viva voce peracti authoritate publica atteſtetur: hinc ad actum firmandum ille *Tutor* exprimi debuit, qui primævam Traditionem acceptavit, & acceptando roboravit; ut, quod gratuito fuerat traditum, jamjam perpetuo foret Monaſterio appropriatum. 3tio Nil intereſt, an Notarius, qui Chartam ſcripſit, prima aut tertia perſona uſus fuerit; qui etiam ſuo proprio nomine ſcribere potuit. Licet enim Chartæ, quæ in tertia perſona loquuntur, *Recenſiones* ſeu *Notitiæ* a Rei Diplomaticæ Commentatoribus vocentur; non ideo tamen omnes ſunt privatæ, neque publica authoritate deſtitutæ, prout eruditiſſime annotant Patres Benedictini Congregationis S. Mauri (b) qui Chartas pene omnes antiquas usque ad Sæculum IX. publicas eſſe cenſendas, docent (c). Jam vero præſens Charta eſt Sæculi IX.; & profecto niſi majoris quam privatæ authoritatis fuiſſet, nullum plane locum in Chartulario noſtro meruiſſet, in quo non niſi Diplomata, Bullæ & Chartæ publicæ continentur. Similem *Recenſionem* in tertia perſona ſcriptam affert Herrgottus ex Archivio S. Galli (d) quam plures Comites ſubſignarunt; quod non feciſſent, niſi Chartam publicam deſignaſſent. Codex quoque Laureſheimenſis plures utriusque generis *Recenſiones* ſeu *Notitias* tam publicas, quam privatas exhibet (e) quæ tamen facili negotio diſcerni poſſunt.

Accedit, quod Chartularium Rhenaugienſe Chartas certo *Publicas*, in tertia perſona ſcriptas, exhibeat Sic Charta *Engilhardi* ad annum 876. licet in tertia perſona proferatur, procul dubio *Notitiis Publicis* adſcribitur; prout ab exordio & epilogo ejusdem Chartæ demonſtratur. Incipit namque a formula Notariis Publicis aſſueta in hunc modum: *In Dei Nomine Notum ſit multis, qualiter*

(b) Editionis German. Tom. I. §. 345.

(c) Ibidem §. 341.

(d) Geneal. Diplom. Tom. II. pag. 10. ad ann. 786.

(e) Privatæ ſunt Num. II. XVIII. XXVIII. Publicæ præſertim Num. CXIX. & MMCCCLX.

liter Engilhart &c. In fine quoque pro Inſtrumentorum more clauditur: *Actum in Villa, quæ vocatur Buzmundingen Anno XXXVI. Regni Hludovici Regis, die Jovis, ſub Comite Adilberto, præſentibus idoneis Teſtibus quam plurimis.* Qua igitur ratione Charta Sigemari a cenſu Publicorum Inſtrumentorum expungi poterit, quæ eodem modo incipit: *In Nomine Dei Summi* &c.; ac in fine exprimit *Regnum Ludovici Regis*, qui Traditionem confirmavit, & *Conſenſum Wolveni Tutoris*, qui eandem acceptavit; cum econtra *Notitiæ Privatæ*, omnem pompam negligant, ac ſimplicem factorum notitiam contineant.

Unicum noſtræ ſententiæ refragatur; nempe manus, quæ Chartularium ſcripſit, non nihil poſterior videtur ſcriptura Codicis Rhenaugienſis ſub Num. CCII: quamvis cæteroquin utraque manus ad Sæculum undecimum referatur; unde ſuſpicio oritur, ne forte Chartularii Scriptor Chartam Cellæ Albæ non deſumpſerit ex ipſo authentico Inſtrumento, ſed potius ex Manuſcripto citato, quod *Recenſionem* mere *Privatam* exhibet.

Huic autem ſuſpicioni facile occurritur ex maxima utriusque Scripti differentia, quam accurata collatio cum utroque Scripto ſatis demonſtrat. Etenim in Manuſcripto mox citato hæc habentur: „Alba Cella, quæ nunc S. Blaſii di„citur, videlicet propria fuit cujusdam Viri Nobilis nomine *Sigemar*, quam pro „ſemetipſo & filio ſuo, cui nomen *Liuthere Monacho*, ſub confirmatione tradi„dit Renaugiæ, ad ſtabiliendum ſervitium S. Mariæ, annuente Domino Wol„vene ejusdem loci hereditario Tutore.“

Jam quis non prima fronte videat, in quantis Manuſcriptum a Charta diſcrepet *Inprimis* Charta more Inſtrumentorum ab Invocatione Summi Nominis incipit: *In Nomine Dei Summi;* Manuſcriptum hac omiſſa, ſtylo hiſtorico orditur: *Alba Cella propria fuit cujusdam Viri* *Secundo* Manuſcriptum apponit *Albæ Cellæ* recentius nomen, multis poſt annis a facta Traditione eidem ſuperadditum: *Alba Cella, quæ nunc S. Blaſii dicitur.* Charta hoc ipſum omnino tacet, atque adeo ſuo ſilentio palam demonſtrat, ſe non eſſe recentioris Manuſcripti pullum, ſed antiquioris Inſtrumenti Tranſumptum; cui proinde *Blaſii* nomen eſſet incognitum. *Tertio* Manuſcriptum Filium Sigemari *Monachum* deſignat: *Pro Filio ſuo Liuthere Monacho* · hanc autem vitæ conditionem Charta denuo tacet; cum tamen vel ex ipſo Chartulario noſtro ſatis conſtet, ſtatum Monaſticum in Chartis exprimi ſolitum: conſequenter haud alia ex cauſa hic omiſſum, quam quod *Monachi* nomen in Authographo Inſtrumento non fuerit repertum,

pertum, procul dubio, quia Liutherus tempore Traditionis Monafticen nondum erat profeffus. *Quarto* Charta pro more ac fide Inftrumentorum fitum rei traditæ innuit: *Quæ fita eft in pago Alpigowe;* Manufcriptum vero hæc verba prætermittit. *Quinto* Charta relativum *inibi* exprimit: *ad ftabiliendum inibi fervitium S. Mariæ;* Manufcriptum hanc particulam, ut redundantem negligit. *Sexto* Manufcriptum peracta narratione hiftorica finem dicendi facit; Charta infuper Regimen Ludovici addit: *Sub Rege Ludouico.* Denique contextus utriusque Scripti eft ubique diverfus, & quod unum priore loco refert, alterum pofteriore loco recenfet.

En quanta diverfitas in exigua paucarum linearum Charta! Cum autem conftet, Scriptorem Chartularii noftri Chartas ex ipfis Authographis Inftrumentis de verbo ad verbum diligentiffime defcripfiffe (ut vix ulla diverfitas, nifi rarius in fola orthographia appareat, prout conferenti cum Originalibus, quæ adhuc extant, perfpicue patet) nullamque omiffionem, additionem, aut verborum feu fententiarum transpofitionem admififfe; quis credat, eundem hac unica vice hallucinatum effe, aut tantam perfidiam perpetraffe, ut, cæteris intactis, hanç unicam Chartam corrumperet, &, quod in reliquis religioni fibi ducebat, hunc unicum locum depravaret? Utique hac unica corruptione toti Chartulario notam peffimam inuffiffet, ac fibimetipfi fidem publicam abrogaffet. Igitur evidenter concluditur, Egregium Chartularii Compilatorem tantæ perfidiæ haud quaquam fuiffe capacem, ut præftantem Sigemari Chartam ex mutuatis Manufcripti Codicis verbis pro fuo arbitrio cuderet, Chartamque corruptam ac fuppofitam publicis atque authenticis Monumentis infereret. Nullum itaque fupereft dubium, quin Charta prætacta ex ipfo authographo Traditionis Inftrumento accurate defcripta & tranfumpta fit; ut adeoque eidem fides publica, quæ antiquiffimis Chartulariis, & Recenfionibus feu Notitiis publicis debetur, nullo modo denegari poffit.

Reflexio II.

Datum hujus Chartæ expenditur.

Chartæ huic additur in Chartulario *Annus primus Nicolai Papæ*, qui electus fuit die 24. Aprilis anno 858. Diploma vero Authographum *Ludovici Regis*, quo confirmatur Rhenaugiæ Traditio Cellæ Albæ, datum eft die vigefima Menfis Martii ejusdem anni 858. Unde fequi videtur, Confirmationem Regiam tempore priorem fuiffe ipfa Cellæ Traditione.

Sed

Sed facile respondetur: Confirmationem Regiam non esse antiquiorem *ipsa Traditione*, esse tamen antiquiorem *ipsa Charta* hujus Traditionis, utpote quæ duobus circiter annis post factam Traditionem exarata fuit. Nec mirum hoc aut insolitum videbitur; si ad morem illius ævi reflectatur, quo sæpius *Traditiones* etiam *solemnes* viva voce peragebantur, priusquam *Chartæ* desuper, aut Notitiæ Publicæ expedirentur, quarum exaratio nonnunquam dies & annos differebatur (f). Extant hujus rei plura exempla domestica, in Chartis nostris consignata. Talia occurrunt in *Traditione* Wolveni, in *Contractu* Gotzberti &c. Nam Wolveni Bonorum *Traditio* facta est ad finem anni 855.; *Charta* vero desuper data, & per testes subscripta est Ulmæ anno 858. Sic pariter *Contractus* inter *Gotzbertum* Comitem, postmodum Abbatem hujus nominis secundum, & *Wolvenum* Restauratorem nostrum, atque *Carolum Crassum* Ludovici Regis Filium contigit anno 872.; cujus tamen *Charta* primum anno 876. expedita est, in qua signanter dicitur: Contractus *quondam* initus &c. Tandem omnes præfati Gotzberti donationes, diversis quidem temporibus factæ, uno anno 892. Chartis publicis sunt consignatæ. Quid igitur obstat, quo minus idem ipsum in Traditione Albæ Cellæ factum sit? Nempe Sigemarus Albam Cellam anno 856. tradidit; Regia Traditionis Confirmatio anno 858. die 20. Martii accessit: denique Charta seu Notitia publica eodem anno post Confirmationem Regiam emanavit. Quod inde compertum est; quia Confirmatio Regia in ipsa Charta expressa est. Suadet hanc chronotaxin ipse ordo Chartarum nostri Chartularii; suadet & ipsa Vita *S. Fintani*: suadet insuper prætactum Diploma Regis Ludovici. Ex quibus merito concludimus, Albam Cellam anno 856. a Sigemaro traditam, & a Wolveno Rhenaugiensi Tutore hereditario acceptatam fuisse, dum hic cum Reliquiis Sanctorum, ac præcipue *S. Blasii* Martyris & Episcopi Roma Rhenaugiam reversus fuerat; quia Wolvenus paulo post Monasticen amplexus, unacum mundi crepundiis etiam nomen Tutoris abjecerat. Hoc pacto apposite salvantur omnes chronologicæ Notæ tum in ipsa Traditione, tum in Traditionis Confirmatione, tum etiam in Charta Authentica, seu Publica Traditionis Notitia; ut adeoque vere & erudite Scriptor Chartularii Annum Primum Pontificatus Nicolai subnotare potuerit, observato nimirum tempore

(f) Patres Congreg. S. Mauri Tom. I. pag. 60. in Notis. Et §. 338. Item T. VII. §. 234. ubi specialiter agitur de Notitiis Publicis. Abbas Gottwicensis in Prodr. Part. I. pag. 186.

tempore Chartæ datæ, non autem Traditionis peractæ. Unde *Datum* & *Actum* in Chartis non semper sunt idem, sed sæpius separantur; quod optime norunt Critici, rei diplomaticæ studiosi.

Aliter quidem hanc difficultatem enodant, qui Diploma sæpe dictum Ludovici Regis ad annum sequentem 859. referunt, & Chartam Traditionis ante Diploma Confirmationis exaratam esse, putant. Ast huic sententiæ verba ipsius Chartæ adversantur; quæ *Cellam sub Confirmatione* traditam esse, testantur. Ergo Diploma præcessit, & Charta subsecuta fuit; quæ suapte natura in annum primum Nicolai Papæ incidit. Adhæc annus Ludovici Regis vigesimus sextus Franciæ orientalis, in Diplomate expressus, non convenit cum anno 859. bene vero cum anno præcedente 858. Etenim Ludovicus anno 833. Germaniam, seu orientalem Franciam occupaverat; & a die occupationis annum Regni sui primum numerabat; quo anno computato (uti necessario computari debet) annus 858. est Regni ejus vigesimus sextus, currebat pariter indictio VI. Diplomati apposita; quam huic anno etiam Pagius adstringit, licet primum mense Septembri incipiat, qui scrupulus a Notariis plerumque in Chartis non attendebatur. Sane Mabillonius in Annalibus Benedictinis refert ad eundem annum aliud Diploma tribus duntaxat diebus post nostrum a Ludovico datum, ac pariter Francofurti cum eadem Indictione, eodemque Regiminis anno signatum in Favorem Hildegardis suæ Filiæ, Abbatissæ Turicensis.

Reflexio III.

De Antiquitate Cellæ Albæ.

Ut verum fatear, ex tenore nostræ Chartæ certo definiri nequit, utrum Cella Alba ante Traditionem a Sigemaro factam extiterit, aut non extiterit. Proprietas tamen Sigemaro attributa, cum dicitur: *Cella Alba propria fuit cujusdam Viri Nobilis Sigemari;* eidem prærogativam Fundatoris adscribere videtur. Neque enim alio, quam Fundationis titulo Cellam Religiosam Viro Laico propriam fuisse, arbitramur. Idem suadet illius ævi consuetudo, vi cujus plerumque Cellæ, in exordio suo tenues & exiguæ, a Fundatoribus tradebantur Monasteriis in utraque substantia florescentibus, quale post *Primam* (g) Restaurationem certe

(g) Monasterium per intestinum Bellum inter Carolinos Principes *pene stirpatum*, sed per Wolvenum felicissime restauratum anno 851. Ex Archiv.

certe fuit Rhenaugia, prout inspicienti Vitam S. Fintani, Chartasque coævas lustranti ad oculum patet. Nisi ergo *Cellam Albam* ante *Sigemari Traditionem* jamjam floruisse, aliunde demonstretur, eandem a Sigemaro & simul fundatam, & simul Rhenaugiæ traditam fuisse, dicendum est; antiquiorem namque existentiam asserenti incumbit probatio. Trutinemus igitur rationum pondera, quibus antiquior existentia probari solet; quæ ad sequentia capita reduci possunt.

Inprimis ex ipsa Traditione sequitur Cellæ Albæ existentia; nam tradi non potest, quod non exiiit. Deinde testantur Scriptores Domestici, jam a temporibus persecutionum sub Ethnicis Imperatoribus in hasce Silvas Hercinias sese abdidisse Christianos, vitamque Religiosam, seu Eremiticam per plura Sæcula duxisse. Alii vero hujus antiquitatis Patroni eundem Eremitarum secessum ad Sæculum V. & ad tempora Attilæ, qui Germaniam Galliamque vastavit, reducere malunt. Additur testimonium *Jacobi Manlii* in Chronico Constantiensi (h), ubi asserit, ex Necrologio seu Martyrologio Sangallensi constare, quod *Erenfridus*, olim Augiæ Divitis Abbas, postea Constantiensis Episcopus jam anno 735. scripserit *Chronicon S. Blasii;* quod utique nullo modo scribere potuisset, nisi jam diu ante sua tempora extitisset *Alba Cella*, quæ postmodum *S. Blasii* nomen fortita est. His denique accedit *Bucelinus*, qui in Chronologia Constantiensi non solum ad annum 739. ejusdem *Chronici Monasterii S. Blasii* ab *Erenfrido* compositi meminit, sed etiam ad annum 801. *a S. Trudperti* Monachis Regulam S. Benedicti Sanblasianis traditam fuisse, contendit.

Hisce rationibus & testimoniis necdum satis demonstrata videtur vetustas Cellæ Albæ. Non enim negatur, extitisse Cellam, seu potius existere cœpisse, dum a Sigemaro simul fundata, simulque Rhenaugiæ tradita fuit; quemadmodum Monasterium Ochsenhusanum (i) *a sua prima Fundatione adstrictum erat Congregationi S. Blasii.* Sic quodlibet Monasterium extitit, id est, existere cœpit; dum fundatum fuit: non enim fuit, antequam fundatum; sed fundando factum est Monasterium. Potuit ergo Ochsenhusium a sua prima Fundatione incorporari S. Blasio; quid obstat, quod Cella Alba a sua prima Fundatione non potuerit tradi Rhenaugiensi Monasterio? Itaque non sequitur, illam Rhenaugia antiquio-

 rem

(h) Apud Pistor. inter Rer. German. Script. pag. 630.

(i) Celeberr. Martinus Gerbert in Itinere Aleman. verbo Ochsenhusa comparationem facit inter traditionem Ochsenhusæ, & Cellæ Albæ.

rem esse, sed potius contrarium probatur; mirum quippe foret, si Monasterium antiquissimum ac florentissimum recentiori Asceterio esset traditum; cujus rei nullum habetur exemplum: magis mirandum foret, si Sigemarus unacum suo Filio potius Rhenaugiæ, quam floridissimæ ac famosissimæ *Suæ Cellæ* incorporari voluisset. Deinde fama illa de primis Anachoretis, quæ de aliis quoque Monasteriis (k) & nominatim de nostro Rhenaugiensi Monasterio circumfertur, a Viris eruditis merito exploditur; illi enim quærendi sunt in Ægypto aut Palæstina, non in Germania, cui lumen fidei serius illuxit, & ne quidem Sæculo V. ultra Rhenum radios emisit. Inter domesticos S. Blasii Scriptores sunt quidam antiqui, gravissimique Viri, ut *Bernoldus*, *Frowinus*, *Otto;* qui quamvis plurima de suo Monasterio scripserint, nullam tamen mentionem Eremitarum faciunt. Duo autem posterioris ævi Scriptores, videlicet Monachus *Anonymus* Sæculi XIV. & *Casparus* Abbas Sæculi XVI. non sunt idonei antiquitatum testes. Anonymus certe tot fabulis narrationes suas opplevit, ut neque apud Exteros, neque apud Indigenas fidem invenerit (l). Si enim ei credimus, diu ante Sæculum IX. S. Blasius hisce Eremitis apparuit; seque Patronum obtulit; tandem Regula S. Benedicti casu advolitantis picæ ab illis assumpta est. Ignorabat nempe, qua occasione *Cellæ Albæ* nomen in illud *S. Blasii* mutatum, & ipsa Cella Rhenaugiæ unita fuisset. Adhæc candide fatetur: *nesciri, quot anni, vel quantum temporis fluxerit, ex quo inhabitatus fuit locus iste tunc temporis vastus & horribilis.* Jam vero qua ratione posteri Sæculorum numerum definire pote-

(k) E. G. de Fischingensi &c. De nostra autem Insula, olim invia & deserta, tradiderunt Majores nostri, quod tempore Persecutionum sub Ethnicis Imperatoribus fuerit asylum periclitantium Christianorum; qui paulatim in Eremitas conversi, vitæ Cœnobiticæ præluserint; donec Sæculo VII. Eremitarum Tuguria in Monasterium excreverit. Augustinus Calmet in Diario Helvetico pag. 117. verbo *Rhinau* sequentia habet. Verosimile est, coloniam aliquam Monachorum ex Scotia vel aliunde, loci amœnitate illectam eo migrasse, vitamque primo *Eremiticam* aliquamdiu sub Patre vel Præposito, absque certa & fixa Regula duxisse, quorum bona conversatione commotus *Wolfehardus* Augiæ Dominus Monasterium condidit, quod deinde *S. Fintanus* ad veram cœnobiticam formam reformavit, & reparavit. Ita Walafridus Strabo in vita S. Othmari. *Et hæc quidem Eruditissimus Calmet.*

(l) Gallia Christiana T. V. pag. 1022. Princeps Martinus Gerbert Silv. Nig. T. I. pag. 74. ubi tantum ex hypothesi loquitur: *si tamen admittenda videatur ista de Eremitis traditio.*

poterunt; cum ille *annorum* numerum, & *temporis* initium se nescire fateatur, & alioquin incredibile videatur, a Sæculo V. usque ad Sæculum IX. Eremitas continua serie illas sedes horridas inhabitasse? Siqua veritas in hac narratione lateat, facile adducor, ut credam, totam traditionem de Eremitis ad Reginbertum esse referendam; qui Sæculo X. Sanctus Eremita in Diplomate Ottoniano vocatur, de quo brevi plura.

Testimonium *Jacobi Manlii* nullum, imo falsum est, si dicit, ex Necrologio, aut Martyrologio Sangallensi constare, quod *Erenfridus* seu Anastedius Episcopus Constantiensis jam ineunte Sæculo VIII. Chronicon *S. Blasii* scripserit. Extat enim sanum & integrum illud Necrologium; extat etiam eidem adscriptus *Erenfridus* Episcopus: verum quod aliquod Chronicon, & quidem S. Blasii scripserit, nullo verbo indicatur (m). Imo nec ipse Manlius id dicere videtur, prout ex ipsius verbis dignoscitur, quæ sic sonant: *Ernfridus, alias Anastedius* 13. (scilicet Episcopus) *ut in Martyrologio S. Galli liquet, Abbas fuit Monasterii Augiensis, & scripsit Chronicon Monasterii S. Blasii.* In his verbis Manlius duo dicit: primum est, hunc Episcopum simul fuisse Abbatem Augiensem, quod ex Necrologio S. Galli probat; in hoc enim Necrologio antiquo (non in contextu, sed ab initio Codicis) describuntur in pagina separata Episcopi Constantienses, atque notantur, qui simul fuere Abbates Augienses (n). Alterum est, hunc eundem *Ernfridum* scripsisse Chronicon Monasterii S. Blasii; quod unde didicerit, non refert, nec etiam ex Necrologiis Sangallensibus discere potuit.

Cæterum *Erenfridus* vixit ducentis circiter annis, priusquam nomen S. Blasii Cellæ Albæ tribueretur; unde potius Chronicon Cellæ Albæ, aut vitas quorundam Eremitarum scribere potuisset, quam *Chronicon Monasterii S. Blasii.* Posset quidem responderi, vocari Monasterium S. Blasii per prolepsin ex nomine postmodum adepto; ast Manlius Sæculi XVI. Scriptor non est tantæ authoritatis, ut ei fides hoc in puncto adhiberi possit. Totum ipsius Chronicon Episcopatus Constantiensis, si excerpta ex Guilimanno, duo Diplomata, & Vitas SS. Conradi & Gebhardi demas, duabus vel tribus paginis constat, in quibus Notas potius volatiles, quam opus elimatum invenies. En! titulum a Pistorio præfixum: *Chronicon Episcopatus Constantiensis, inchoatum a Jacobo Manlio Bri-*

(m) Ergo Prior Augiæ Divitis, apud Pezium T. I. Part. I. Col. 642. sublestam in hac re habet fidem; quam ei pariter negat Murerus in Catalog. Episcop. Constant. Msc.

(n) Ex Monumentis e S. Gallo Rhenaugiæ communicatis.

gantino Doctore, postea relictum veteri simplicitati, sed auctum ab alio bono Viro. Quis jam discernet, an ea, quæ de Chronico S. Blasii referuntur, sint ab alio bono Viro adjecta, an vero a Manlio veteri simplicitati relicta? Et quis ignorat, in ejusmodi adversariis sæpe adscribi plurima, ex quibus multa postmodum sunt rejicienda. Et sane rejecisset, si animum ad ea adjecisset, quæ ab ipsomet ex Chronico S. Blasii sæpius citantur, quæ tamen primum post fata *Erenfridi* contigisse, noscuntur.

Sic Manlius de Successore *Erenfridi*, Sidonio Episcopo scribit: „Idem Si„donius ante Altare S. Galli profluvio ventris obiit circa annum Domini 759. „imo secundum *Chronicam S. Blasii* eodem anno." Et paulo post: „Hermannus „Contractus scribit, eum ante Altare S. Galli vitam finivisse, qui secundum „*Chronicam S. Blasii Monasterii* anno incarnati Verbi 746. in Episcopum electus est." De Joanne hujus nominis tertio hæc prosequitur: „secundum *Chronicam Mona„sterii S. Blasii* dictus Joannes Episcopus factus est anno Dñi 759." Quæ omnia post mortem Erenfridi contigerunt; de cujus tamen Continuatore pariter nihil compertum est. Fortassis Manlius citavit aliquod Chronicon ad S. Blasium pertinens, quo sensu etiam aliud Chronicon Augiæ Majoris protulit, scribens de Nothingo Episcopo: „Anno Dñi 920. fuit secundum Chronicam Augiæ Majoris „Comes de Feringen."

Demus tamen aliquid amplius Manlio. Chronicon S. Blasii vocari potest, vel quod de gestis Monasterii S. Blasii tractet, vel quod ejus author, aut saltem scriptor fuerit Monachus S. Blasii, vel tandem quod liber aliquis Chronicarum pertinuerit ad Monasterium S. Blasii, ejusque nomen vel in fronte, vel a tergo gestaverit. Hoc ultimo modo facile omnis difficultas dispelli posset. Verum Manlius fortasse plus aliquid innuere, & Chronicon ab aliquo Sanblasiano scriptum, vel etiam de rebus S. Blasii tractans intelligi voluit. Superest tale aliquod Chronicon, quod ipsi Sanblasiani suum vocant, scriptum ab ejusdem Asceterii Monacho, & de rebus ipsius tractans; & hoc est, quod continetur in Manuscriptis antiquis Monasteriorum Murensis & Engelbergensis, quæ attribuuntur B. Frowino quondam S. Blasii Monacho, ac postmodum Engelbergensi Abbati. Hoc præcipua fata Monasterii S. Blasii refert, electiones & mortes Abbatum, ædificia constructa, dedicationes Ecclesiarum, Diplomata ab Imperatoribus concessa &c. Quæ insuper citantur a Manlio ex Chronico S. Blasii, & superius a nobis relata sunt, omnia in eodem Codice inveniuntur; in quo

Scripta

Scripta Reginonis, Hermanni Contracti, Berchtoldi Constantiensis, ac Bernoldi Monachi & Presbyteri S. Blasiii exhibentur. Ex quibus conjicitur, cum hujus Codicis opus primum & ultimum sit Scriptoris S. Blasii, & de eodem Monasterio plurimum tractet, Manlium totum opus vocasse Chronicon S. Blasii.

Confirmatur conjectura ex quodam Codice Augiæ Divitis, qui manu Sæculi XI. continet etiam vitam S. Fintani nostri, quemque ex concessione Cardinalis de Rodt olim diu præ manibus habui. Huic in margine manu longe posteriore, Sæculi nempe XV. exspirantis sequentia adjecta sunt (o). „Ex Chronica S. Blasii, Arnolfus genuit Angisum, genuit Pipinum, genuit Karolum, genuit Pipinum, genuit Karolomannum & Karolum Magnum, Karolus Magnus Imperator genuit Karolum, Pipinum & Ludovicum Imperatorem." Hæc ipsa porro Genealogia desumpta est ex supradicto Manuscripto Murensi seu Engelbergensi; ubi post Chronicon Hermanni Contracti subjicitur continuatio Bertholdi Constantiensis, & *Bernoldi Presbyteri S. Blasii*, post cujus nomen pagina 768. sequentia leguntur: *De Generatione Sancti Arnulfi* & reliqua, quæ Compendio transcripta fuerunt in memoratum Codicem Augiensem cum dicto præfixo titulo: *Ex Chronica S. Blasii.* En Chronicon S. Blasii hactenus tam operose quæsitum! atque adeo necesse non est ad prætensum Chronicon *Erenfridi* Episcopi recurrere, cum jam constet, quale Chronicon S. Blasii in usu fuerit Manlio, & quodnam sub hoc nomine intelligatur. Fertur quidem extare *Stutgardiæ* Chronicon aliquod S. Blasii; verum procul dubio ejusdem conditionis erit, nempe scriptum vel descriptum a Monacho S. Blasii, continens gesta universalia, prout excerpta docent, quæ omnino conveniunt cum Chronico *Würtembergico* Sæculi XV. aut XVI. quod edidit Schannatus in Vindiciis Litterariis, adeoque nihil ad Chronicon particulare de Eremitis S. Blasii ante Sæculum VIII. conferre possunt.

Restat, ut de *Bucelini* testimonio pauca dicamus; qui in Chronologia Constantiensi ad annum 739. decantati Chronici ab *Erenfrido* scripti meminit. Quem dicit *Promotorem studiorum, qui inter alia monumenta Chronicon Monasterii S Blasii Herciniæ scripserit.* Ad annum vero 801. immemor dictorum, *Heremitas* denuo in S. Blasio collocat, *qui Monasticam vitam, & Regulam S. Benedicti a S. Trutperti Ascetis communicatam assumpsisse videantur, quibus hucusque aliqui cæteris virtute præstantiores Prioris titulo præfuerint.* Hæc retulisse, sufficere videtur ad fidem

(o) Pag. 148.

dem dubiam reddendam. *Chronicon Erenfridi* Bucelinus ex Manlio hausit, cui plura pro more suo ex conjecturis addidit. Quod enim de S. Trutperti Ascetis affert, nulla authoritate fulcitur. Proximius quidem aliquanto Cellæ Albæ S. Trutperti Monasterium, quam Rhenaugia fuit; sed illius acta, quæ supersunt (p) nullum indicium præbent, de Regula in Cellam Albam propagata. Si certiora monumenta in S. Trutperto adessent, procul dubio comperta fuissent Bucelino, qui ibi Magistrum Novitiorum egit; sed cum solum dicat, *Videri* Regulam isthinc communicatam fuisse, prodit utique, se ipsum conjecturæ suæ non satis fidere. *Prioris* titulus, sicut & *Conversorum* seu Barbatorum status in Monasteriis usque ad Sæculum XI plane incognitus fuit. Si vera sit hæc S. Regulæ & Monastici Ordinis a S. Trutperto in Cellam Albam derivatio, cur Sigemar ejus Proprietarius non eam S. Trutperto tradidit, maxime si juxta nonnullos Colonia exinde deducta fuit? Verum tota ratio erroris in Bucelino fuit, quod Monumenta Rhenaugiensia ignorarit; quæ si scivisset, certiora haud dubie in lucem protulisset. Non igitur indigne ferant Eruditissimi S. Blasii Ascetæ, dum certiora Monumenta exigimus, priusquam Cellæ suæ existentiam Monasterio nostro antiquiorem concedamus; utpote qui plures, & nobis quidem valde favorabiles Nostratum Traditiones penitus rejicimus, ex hoc uno capite, quia easdem antiquis Monumentis destitutas cernimus. Et revera etiam in præsente controversia gloria nostra immensum cresceret; si Monasterium, ante annos nongentos jam antiquissimum ac famosissimum, nobis incorporatum fuisset.

Reflexio IV.
De Situ Cellæ Albæ.

Cella, quæ intra montes Alpegoviæ a præterfluente torrente *Alba* dicebatur, nomen postmodum sortita est *S. Blasii*, ex translatione Reliquiarum ejusdem Sancti Episcopi & Martyris, quæ in eam facta est ex Monasterio Rhenaugiensi intra annos 860. & 878. vivente adhuc *S. Fintano*, prout in ejus vita legitur. Dubium porro haud ita pridem excitatum fuit, utrum Cella, quam sequente Sæculo X. Beatus *Reginbertus* inhabitavit, in eodem circiter loco sita fuerit, ubi olim steterat Cella Alba a Sigemaro Viro Nobili Rhenaugiæ tradita, & Reliquiis S. Blasii dudum nobilitata? Dubitationis hujus ratio esse potuit, quia in Diplomate Ottonis II. Monasterio S. Blasii anno 983. dato dicitur, quod *Reginbertus Sanctus Eremita*

(p) Ad calcem Genealogiæ Diplom. Herrgotti.

Eremita primus ibi habitare cæperit. Econtra Monumenta Rhenaugiensia in duplici Manuscripto Sæculi XI. nunc in unum volumen compacto, aperte docent, Cellam, quæ tunc, nempe Sæculo XI. dicebatur S. Blasii, eandem omnino esse, quæ mediante Sæculo IX. a Sigemaro Rhenaugiæ tradita fuerat: *Alba Cella, quæ nunc S. Blasii dicitur, videlicet propria fuit cujusdam Viri Nobilis nomine Sigemar, quam tradidit Rhenaugiæ* &c.

Huic difficultati satisfieri vix poterit, nisi dicendo, priorem illam Cellam interea quidem destructam, sed postea a Reginberto in eodem circiter loco noviter constructam fuisse; in qua ipse *primus* iterum habitare cœpit. Si enim hanc S. Blasii Cellam in alium prorsus transferimus locum, contradicimus Monumentis Rhenaugiensibus; quæ nomen duntaxat, non vero locum mutatum tradunt: si vero destructam negamus, vix dicere licebit, quod Reginbertus in priore loco *primus* habitare cœperit.

Concordat hæc Cellæ Albæ veteris destructio cum temporis illius historia; qua constat, *Hungaros*, quos ab Hunnis nonnulli derivant, anno 925. expilato Monasterio S. Galli, omnia loca ex utraque parte Laci Acroniani Rhenique fluminis usque ad Seconiam devastasse, ac præprimis Monasteriis inhiantes, in ipsam quoque Herciniam silvam penetrasse, neque solam *Rhenaugiam* in tractu Rheni, sed etiam Monasterium *S. Trutperti*, vicinius Cellæ Albæ, in nigra silva pessumdedisse: quousque ex altera Rheni ripa ab *Hirmengero* in Friconia turma Hungarorum deleta, reliqui ex Silva Nigra, prædis per navigia præmissis, secundo Rheno in Alsatiam migrarint. Certe Eckardus Junior Monachus S. Galli, qui hæc narrat (q) unam duntaxat Hungarorum turmam ex parte Friconiæ ab Hirmengero cæsam testatur, reliquis Hungaris Silvam Nigram ex altera Rheni parte vastantibus: *Iste (Hirmengerus) Turmam illam, quæ cis Renum nos quoque, a sociis, qui ultra Renum erant, disjuncta, invaserat, ita circumvenerat.* Testatur postremo Eckardus, Hungaros ex Silvæ Nigræ nemoribus naves fabricasse, quibus priores suas Legiones transponerent, & tandem ex ipsa Silva Nigra in Alsatiam migrasse: „Dum hæc sataguntur, inquit, navibus ungri de Schwarz„walde multis paratis in Alsatiam ipsi priores suas Legiones transponunt.“

Monachi

(q) Apud Goldast. Rer. Alem. Tom. V. Cap. V.

Monachi ex S. Gallo, & S. Trutperto aliisque Monasteriis profugi, post recessum Hungarorum ex latibulis ad sua Monasteria reversi, restaurare mox ruinas cœperunt. Quidni & Rhenaugienses Monachi, & eorum Confratres in Cella Alba expositi, idem ipsum facerent? Nempe procellis sedatis, ad gremium Matris confugiebant. Utraque enim tam Matre, quam Filia lethaliter sauciata, prius Matri quam Filiæ succurrendum erat (nam utrique eodem tempore remedium non suppetebat) & hinc Filiam sub ruina gementem per decem aut quindecim annos deserere cogebantur, ut Matri mederentur; quoadusque *Reginbertus*, inter Monachos Rhenaugienses hujus temporis in Catalogo S. Galli numeratus, in saltum Herciniæ, & locum Albæ Cellæ (quem probabiliter jam prius, a Rhenaugia expositus, incoluerat) cum Reliquiis S. Blasii se receperit, & non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna, vitam solitariam per viginti aut plures annos transegerit, *primusque* ibi post vastationem habitare cœperit; interea socios collegerit, Cellam novam condiderit, atque anno 962. permittente *S. Conrado* Episcopo Constantiensi, & tunc Administratore Rhenaugiæ, cum consensu Fratrum, quem adhibere solebat, confirmationem libertatis ab Ottone I. Imperatore, impetrare fategerit. Mortuus tunc quidem ante expeditionem negotii est (r) Reginbertus; credibile tamen est, separationem Cellæ Albæ a Rhenaugia authoritate Cæsarea Ottonis Primi fuisse peractam, cujus unio pariter authoritate Regia quondam confirmata fuerat. Certe libertas Cellæ Albæ per Diploma Ottonis II. anno 983. asserta fuit.

Jam vero si, neglecta hac sententia, contendatur, quod locus, quem Reginbertus inhabitare cœpit, & ex quo hodiernum Principale Monasterium excrevit, prorsus sit alius a Cella Alba per Sigemarum Rhenaugiæ tradita, frustra glorantur loci Incolæ de S. Blasii Reliquiis, tempore S. Fintani illuc translatis; frustra inclytum *Blasii* Nomen ab hac translatione derivant; frustra suam originem ultra Reginberti ætatem, qui *Primus* ibi habitare cœpit (s) protendunt; frustranea quoque est prætensa traditio de Eremitarum tuguriis in eodem loco

(r) Recentiores mortem Reginberti ponunt ad annum 964. sed Continuator Reginonis ad annum 962. addens: Missis etiam pro eo litteris ad Imperatorem reditum ipsius in palatio operiri jubetur.

(s) Ex Diplomate Ottonis II. supra citato.

loco quondam fixis; & ipsum nostræ *Cellæ Albæ* Nomen Reginberti domicilio non adhæsisset; cum tamen compertum sit, quod, licet a tempore Separationis factæ *S. Blasii* Nomen invaluerit, utrumque tamen Nomen sive *Albæ Cellæ*, sive *S. Blasii* a subsequentibus Scriptoribus eidem loco promiscue attributum fuerit. Nam ut taceam testem nostrum domesticum ex sæpe citato Manuscripto Sæculi XI. in quo disertis verbis asseritur: *Alba Cella*, quæ nunc *S. Blasii* dicitur: etiam luculentum hujus rei documentum adduco ex Scriptore Actorum Murensium, quem Sanblasiani suum dicunt fuisse Alumnum (t) adeoque de partium studio nullatenus suspectum. Hic enimvero de postulata e S. Blasio Farvensi disciplina ita scribit: „Contigit ut Fratres de *Cella S. Blasii*, que antea voca„batur *Alba* de fluvio, qui præterfluit, mutarent suam priorem consuetudi„nem (u).“ En utrumque nomen eidem loco datum. Et paucis interjectis: „sic ipse Comes (Wernerus de Habspurg) pergens ad supradictam *Cellam Albam*, „obtinuit ab Abbate illo, qui vocabatur Giselbertus, ut mitteret huc Fratres „suos.“ En iterum supradicta Cella S. Blasii hic uno nomine vocatur *Cella Alba*. Verum post modicum intervallum altero nomine *Cellæ S. Blasii* utitur: „Quod cum perfecissent, congregatis Principibus suis ac Ministris venit huc „(Wernerus Comes) in Vigilia S. Martini, unacum Giselberto Abbate de *Cella* „*S. Blasii* cum fratribus suis &c.“ Denique solam denuo *Cellam Albam* vocat, quam amplius auditam aut nominatam fuisse, nonnulli negant. „Et sic com„mendatis omnibus rebus Monasterii infra & extra Fratribus, qui huc de *Cella* „*Alba* venerunt, ab altari discessum est. Hec autem omnia facta sunt anno „MLXXXII. Dominice Incarnationis, Indictione V.“ En etiam Epocham exspirantis Sæculi XI. quando utrumque nomen eidem Loco attributum est; quæ tamen ulterius extendenda est ad tempus, quo scripsit Actorum Murensium Author.

Hunc, & non alium locum inhabitare cœpit S. Eremita *Reginbertus*, qui posteris tam multa præclara de Eremitis ibi quondam habitantibus scribendi materiam præbuit. Profecto ipse Anonymus Sanblasianus eodem libro primo Constructionum S. Blasii, mentionem facit Reginberti, ubi de Eremitis Cellæ

 Albæ

(t) Rustenus Heer in Anonymo Murensi denudato vult esse Conradum Bürglensem.

(u) Ex Actis Murensibus ad calcem Vindiciarum Koppianarum. Pag. 21. 22. 23. & 24.

Albæ tam multa proloquitur; & ligneam eam habitationem, quam fecerunt Eremitæ, anno demum 1084. destructam fuisse libro secundo commemorat. *Reginbertum* supra ex nostris Rhenaugiensibus fuisse diximus, indicio Scripturæ coævæ Sæculi X. in Catalogo Fratrum Conscriptorum Sangallensis Monasterii, cujus Scripturæ ætatem confirmant ipsi Fratres & Sorores supra & infra ipsius nomen sub Ottone Abbate ad initium Sæculi XII. manu posteriore adscripti (w). Cognomen de *Seldenbüren* Reginberto sequioribus Sæculis attributum arbitror; cum Sæculo X. cognominum usus non invaluerit. Sane non Anonymus Scriptor S. Blasii hoc illi cognomen dedit; sed ejusdem Manuscripto postmodum Sæculo XV. ad marginem appositum fuit. Id fortasse factum, quod Sæculo XI. insignis quidam Benefactor Tigurinus ex Familia de *Seldenbüren* extitit, qui secundi Fundatoris præconium meruit. Unde controversia enata est, an duo vel unus tantum ejusdem nominis *Reginbertus de Seldenbüren* in S. Blasii floruerit? Verum secundi illius Benefactoris de Seldenbüren nomen proprium Hottinger Tigurinus (x) prodidit; quem *Henricum* vocat, quique Frater Germanus aut Cognatus fuerit *Conradi de Seldenbüren* Fundatoris Monasterii Engelbergensis. Hujus pronomen *Henrici*, ex defectu Instrumentorum oblitteratum, facile in illud Celebre *Reginberti* commutare potuit Anonymus Sanblasianus, ut eum utroque Sæculo X. & XI. produceret. Quapropter duæ personæ sub distinctis nominibus videntur adstruendæ; ut prior quidem *Reginbertus* sine Cognomine Eremita, Monachus, & Presbyter *Cellam Albam* seu *S. Blasii* in libertatem Sæculo X. vindicaverit: secundus vero *Henricus de Seldenbüren* præcipuus Benefactor Sæculo XI. supervenerit.

Hinc procul dubio factum est, quod in statuis & picturis (y) diverso habitu uterque compareat, Monachi scilicet & Presbyteri, nec non Militis &

(w) Mabillonius T. III. Annal. pag. 566. ad annum 963. perperam Rambertum ex Eremo Helvetiorum sub nomine Reginberti intelligit, ex mala interpretatione textus ex Actibus Murensibus adducti; non enim Sanblasiani, sed Murenses mutarunt suam consuetudinem, ab Eremitis Einsidlensibus olim introductam, ut explicat Ægidius Tschudius in paraphrasi eorundem Actorum.

(x) Histor. Ecclesiast. Helv. Tom. IV. pag. 520. ad annum 1092.

(y) Videantur in Historia Silvæ Nigræ pag. 178.

& Sagati; quæ res mirifice torſit eos, qui unum duntaxat ex diverſo nomine & cognomine compoſitum *Reginbertum de Seldenbüren* agnoſcebant. Cuidam ex his Statuis caſu brachium alterum deciderat; unde Anonymus occaſionem fingendi ſumpſerat, quod Reginbertus Miles fuerit, atque ſub Ottone I. in prælio contra Hungaros mutilatus fuerit; cum tamen antiquiſſima & Authographa Monumenta, eum & Eremitam, & Presbyterum, & Monachum fuiſſe doceant, & ubi talem effingunt, ſemper cum utroque brachio, imo etiam cum tonſura repræſentent. Illa igitur Statua potius erit *Henrici de Selde büren;* nam recentiores effigies & inſcriptiones non moramur. Unicum exemplum, ab antiquitate petitum, affert Mabillonius (z) quod ipſe miratur, ubi Monachus habitu Militis, qualis olim fuerat, repræſentatur; ex quo tamen nullum argumentum ducitur, ſed potius contrarium evincitur. Neque etiam antiquæ noſtri S. Fintani imagines, licet & ipſe prius militiam profeſſus fuerit, alio quam Eccleſiaſtico habitu eundem exhibent; quamvis recentiores icones diverſos ipſius vitæ ſtatus diverſis figuris ac formis hiſtorice adumbrent.

Similis controverſia agitata eſt de primo S. Blaſii Abbate Beringero, quem quidam ad Sæculum X. alii ad XI. ponunt; nonnulli unum, alii duplicem dicunt. Chronicon Sanblaſianum, in Monaſterio Engelbergenſi a B. Frowino ſcriptum, obitum *Werneri* Abbatis S. Blaſii ad annum 1068. notat, cui numerum ſecundum (II.) ſuperaddit, ad deſignandum, eum fuiſſe ſecundum, non quidem ejus nominis, de quo nihil conſtat, ſed regiminis Abbatem a *Beringero;* cujus mors ad annum 1045. reponitur, quamvis alii eam ad ſuperius Sæculum X. & ad annum 946. reducant, quando ſcilicet nequidem libertas per S. Reginbertum S. Blaſio impetrata fuerat. Hunc *Beringerum* ex Rhenaugienſibus fuiſſe, ſimilis conjectura eſt ex ſæpe dicto Catalogo S. Galli. Reperitur enim ibi *Beringerus* ſub Notkero Abbate noſtro, qui anno 995. ab Ottone III. reſtitutionem bonorum, a tempore *S. Conradi* ab Epiſcopis Conſtantienſibus uſurpatorum, per Diploma Authographum impetravit; ad quod factum reſpexit Anonymus Sanblaſianus, dum ad re-

 gimen

(z) Annalium Benedict. T. V. pag. 329.

gimen ejusdem Ottonis III. sequentia scripsit (a): *Hujus temporis initiatus est locus Rinaugia, a quo etiam sumpsere privilegia sua, ut docet calculatio sive descriptio Chronicarum.* Quo nomine forte intelligitur Chartularium aliquod Diplomatum Sanblasianis communicatum; quod nomine Chronicarum aliquando venire docet noster Mabillonius (b). Inter ista privilegia erat illud eligendi Abbatem; quo usi sunt Sanblasiani eligendo ex Rhenaugiensibus Abbatem *Beringerum*, cujus ætas cum illo, qui in Sangallensi Catalogo extat, apprime convenit. Fuerit enim Monachus Rhenaugiæ anno 995. potuit creari Abbas in S. Blasio post initium sequentis Sæculi, & illa peragere, quæ de illo ab Anonymo narrantur, qui inter alia ad annum 1036. refert: *Dedicatum est vetus Monasterium sub Beringero Patre.* Ejus obitus in Lapide Sepulchrali notatur ad IIII. Kal. Aprilis anno 1045. Et hæc quidem dicta sint de antiquissimo nexu Celeberrimi Monasterii S. Blasii cum Rhenaugia, cui Charta Sigemari dedit initium.

V.

(a) Sic legi in Codice concremato anno 1768. pagina 8. aversa.

(b) De Re Diplom. Lib. III. cap. V.

V.

NOTÆ

IN

CATALOGUM

MONACHORUM RHENAUGIENSIUM

LIBRO FRATERNITATIS SANGALLENSIS

INSCRIPTORUM.

Liber eſt pergamenus Principalis Monaſterii Sangallenſis in majori quarto Sæculo IX. inſcribi cœptus, in quo diſtinctis columnis, quæ ſub initium variis coloribus pictæ ſunt, Nomina eorum exhibentur, qui in Fraternitatis conſortium, & bonorum operum communionem, a Sangallenſibus ſuſcepti fuerunt. Continentur in eo non ſolum Monachi & Eccleſiaſtici, ſed etiam Laici Viri & Fœminæ, ſub certis titulis, ſubinde etiam ſine ordine adnotati. Sic folio tertio & ſexto proſtat tota Genealogia *Caroli Magni* a Pipino, usque ad *Carolum Craſſum* filium Ludovici Germanici; qui cum ſcribatur adhuc *Juvenis*, facile de ætate hujus inſcriptionis judicari poteſt. Folio ſecundo occurrunt *Wolvini*, & *Wolſhart*, quos Joannes Georgius Eckart Franciæ Orientalis Tom. II. non dubitat, eſſe Fundatores Rhenaugiæ. Epiſcopi, Abbates, & Monachi plerumque una ſerie ſub diſtinctis titulis continentur. Sic folio 28. *Monachi Rhenaugienſes* a Sæculo IX. usque XII. manu ſemper coæva enumerantur; quod folium æri inciſum ſiſtimus, præclarum antiquitatis monumentum.

Tempore mutatæ Religionis Sæculo XVI. devenit iſte Liber, expilato Monaſterio S. Galli, ad manus Joachimi Vadiani Conſulis oppidi S. Galli, ac deinde per Goldaſtum ad Schowingerum, ad cujus Bibliothecam pertinuiſſe, ultimo in folio notatur; denique ad Monaſterium S. Galli circa annum 1636. multa pecunia redemptus rediit. Goldaſtus Haismisfeldius Rerum Alem. Tom. II. a pag. 140. quædam fragmenta ex eo edidit, tam confuſo tamen ordine, multisque inſperſis mendis, ut a prototypo plurimum devient. Præmittit is Catalogum Eccleſiarum & Monaſteriorum triginta novem, cum S. Gallo confœderatorum, ubi *Rhenaugia* octavo loco occurrit:

Patribus ad Baſileam Civitatem.
Patribus in Curia Rhetenſi.
Patribus in Auguſta Civitate.
Patribus in Monaſterio S. Hemmerammi.
Patribus in Conſtantia.
Fratribus in Augenſi Cœnobio.
Fratribus in Scinenſi Cœnobio.

 Fratri-

Fratribus in Rinowa.
Fratribus in Campidona.
Fratribus in Favariensi Cœnobio. &c.

Reliqua apud Goldastum videri possunt loco prædicto, ubi subnectitur formula significandi Defunctos Monasteriis confœderatis. Animadvertere hic licet, Religiosos in Cathedralibus Ecclesiis aut Monasteriis, quale etiam fuit S. Emmerammi vocari *Patres*, reliquos vero *Fratres*. In libro tamen isto quædam Monasteria cum Monachorum nominibus describuntur, quæ in prædicto Catalogo desiderantur; èeontra non omnia hujus Catalogi Monasteria in libro ipso descripta reperiuntur, cum multa folia ex eo excissa, & deperdita sint. Sic licet Instrumenta Confœderationis supersint de anno 800. cum Augiensi Monasterio, & de anno 885. cum Murbacensi & Rhenaugiensi (quod ultimum suo loco & anno inter monumenta nostra dedimus, & apud Goldastum exhibetur pag. 141.) Catalogus tamen Monachorum in libro ipso Rhenaugiensium duntaxat vetustatis injurias evasit, Augiensium & Murbacensium deperdito.

Folium vigesimum octavum, cui *Rhenaugienses* inscribuntur, quatuor columnis, sicut reliqua distinguitur, super quarum tres priores inscribitur sequens titulus rubro Charactere Sæculi IX. *Nomina Fratrum de Monasterio Rinowa.* Quo nomine sæpius in ejusdem Sæculi Chartis occurrit Rhenaugia. Primo loco ponuntur tres Abbates, inverso tamen temporis ordine; nam *Antwart* Abbas Rhenaugiæ fuit anno 856. *Wolvenus* ejus Successor obiit anno 878. *Wichramus* præsentem Confraternitatem cum Bernardo Abbate S. Galli anno 885. iniit; quæ etiam causa fuit, cur primo loco poneretur; deinde ejus Prædecessor Wolvenus, ac tertio loco Antwart Abbas, licet illos tempore præcesserit. Constat autem ex toto hujus libri contextu, non solum viventes ei inscriptos fuisse, sed etiam defunctos, qui ad illius Monasterii sillabum, quod describebatur, pertinebant. Sic præsertim foliis 10. 22. 23. 24. & 26. quod Fratres de Elehevangia recenset, expresse declaratur, præcedere Vivos, & Defunctos subsequi. Unde etiam non omnes Monachi in nostro Rhenaugiensium Catalogo, tempore initæ confœderationis simul vivebant, sed quidam jam pridem mortui erant, qui tamen viventibus postpositi sunt. Cur autem primus omnium Rhenaugiæ Abbas *Gotzbertus I.* Prædecessor Antwarti omissus in præsenti Catalogo fuerit, alia ratio magis congrua reddi vix potest, quam quod ex Monasterio Sangallensi postulatus

latus fuerit, & forsan abdicata Rhenaugiensi Abbatia ad suum Monasterium redierit; unde inter Confœderatos extraneos ponendus non erat, qui pertinebat inter ipsos Sangallenses. Cæterum præter hunc *librum Vitæ* (ut antiquitus vocari solebat) extat in Monasterio S. Galli alius Mortuorum, seu *Necrologium* antiquissimum, cui etiam Abbates nostri Rhenaugienses inserti sunt.

Quousque vero se extendant vivorum nomina, & subsequantur defuncti, definiri ad unum non potest. Certum est *S. Fintanum*, qui ponitur numero 31. jam septem ante Confraternitatem initam annis defunctum fuisse; & inter sequentes occurrunt aliqui, qui jam anno 855. Viri, Presbyteri, aut Senes fuerunt, ut *Suab*, *Meginrat & Sigemar*, qui filium tunc habuit, mox Monachum Rhenaugiæ futurum; & hic ipse *Liuther* nomine inter primos anno 885. adhuc viventes numeratur. De *Liutprechto* Subdiacono pariter constat, quod anno 885. inter vivos constiterit, cum anno 892. munere Notarii fuerit perfunctus. Winither denique primum anno 875. factus est Monachus; unde priores circiter triginta accensendi videntur viventibus, reliqui vero anno 885. jam defunctis, qui tamen eodem Charactere huic Catalogo simul illati sunt. Nos solum eos notamus, de quibus Chartæ & Diplomata nostra loquuntur, quæ inter Monumenta Rhenaugiensia ad annos ex latere notatos videri possunt.

WICHRAM Abba — — anno	885.
WOLVINE Abba — —	878.
ANTWART Abba — —	856.
THEOTHINE Presbyter — —	853.
LIUTHERE Presbyter — —	858.
RIKER Presbyter — —	878.
ADILEOZ Diaconus — —	870.
EGILHART Diaconus — —	876.
LIUTPRECHT Subdiaconus —	892.
WINITHERE Clericus — —	875.

Jam Defuncti anno 885.

S. FINTANUS Monachus — anno	878.
SUAB Presbyter — —	857.
MEGINHART Presbyter —	855.
SIGEMAR Monachus — —	858.

Cum igitur isti anno 885. jam mortui fuerint, simile judicium ferendum est de illis, quibus admixti sunt. Imo omnes in columna secunda contenti his accensendi videntur numero triginta & septem; tot enim a tempore fundationis decessisse non est incredibile.

Columna tertia imprimis notantur, qui sub Gotzberto II. Abbate hujus nominis suscepti sunt circa annum 890. Quod vero etiam iste Gotzbertus non reperiatur in hoc folio, causa fortassis est, quia quærendus est inter Comites, quibus adscriptus fuit, antequam Rhenaugiæ Abbas efficeretur; quemadmodum etiam S. Conradus inter Episcopos constitutus. Post initium Sæculi decimi occurrunt tredecim minore charactere sed ejusdem Sæculi suscepti a Ruperto Abbate, cujus ulteriorem memoriam furor Hungarorum delevit. Inter hos ultimus est *Reginbertus Presbyter*, de quo mox plura. Sequuntur sex alii, fortasse post vastationem Hungarorum, & restitutionem Monasterii per S. Conradum suscepti, & crassiori charactere exarati. Quomodocunque demum distribuantur ista nomina Monachorum, certum interim videtur, omnes istos in tertia columna scriptos fuisse Sæculo decimo; character enim similis est, & Monachi Sæculi undecimi inter columnas interpolati mox apparebunt. In quarta columna scripti non comprehenduntur inter Rhenaugienses; sine ullo enim ordine, diversa manu & colore, prout in aliis foliis, adnotati fuerunt; inter quos occurrunt Fœminæ *Aba & Alba*, cum pluribus aliis.

Reginbertus, qui in ordine columnæ tertiæ conspicitur, is ipse fuisse videtur, qui *Cellam Albam* ab Hungaris pariter anno 925. vastatam, primus postea iterum inhabitare cœpit, per plures annos ibi Eremiticam vitam duxit, & adlectis demum sociis rem adeo restituit, ut Cellam sub nomine sancti *Blasii* in libertatem a nexu cum Rhenaugia, assentiente S. Conrado Episcopo & Administratore Rhenaugiæ, cum consensu Fratrum Rhenaugiensium assereret. Neque enim *Reginberti* nomen ad interpolatos ex latere Fratres Conversos & Sorores trahi potest, prout situs, character, & diversitas atramenti demonstrant. *Reginbertus* in ipso ordine columnæ tertiæ atro colore manu Sæculi decimi inscriptus est; licet additum *Presbyteri* ultra spacium hujus columnæ excurrat. At vero Conversi & Sorores, una cum Abbate Ottone, reliquisque ab eo susceptis manu Sæculi duodecimi, pallido colore interpolantur inter columnam tertiam & quartam, & ubi verbum *Presbyteri* Reginberto additum seriem interrupit,

terrupit, necesse fuit, ut Scriptor hoc verbum transiliret, Fratresque & Sorores supra & infra Reginberti Presbyteratum scriberet.

Post S. Conradum effectus est Abbas Rhenaugiæ *Wipertus* anno 975. & brevi intervallo post ejus mortem anno 978. *Sigehardus*, qui & ipse inter Monachos Sæculi decimi comparet. Cum vero omnes quatuor columnæ nominibus jam occupatæ essent, interpolandi erant hi duo Abbates inter columnam secundam & tertiam cum sex Monachis sub eorum regimine susceptis. Legitur inter hos *Albercht*, qui forte fuit Sigehardi in Abbatia Successor circa annum 986. sub nomine *Adalbraft Abba* seu Adalbraft, nam litteram c cum sibilo pronuntiabant. Certe idem Abbas comparet etiam interpolatus solus superiori loco in isto Catalogo inter columnam tertiam & quartam. Verum hoc paulo post miserabiliter occiso, regimen Abbatiale suscepit *Notkerus* adscriptus huic Catalogo cum Monachis a se susceptis ante columnam primam. Accidit autem huic folio, sicut pluribus aliis in hoc libro, ut in anteriori parte laceraretur; unde nomina quoad primas sillabas legi non possunt, plerumque tamen facile hoc modo explicanda:

NOTKER Abba.
ALBKER Presb.
ADELBERT Presb.
HATO Presb.
ADALHART Diac.
SUELGER Diac.
KEROLT Diac.
PIRCHTELO.
ADELBERT.
PERINGER.
ROUSTEIN.
WIPRACT.
FOLKELO.
OTTO.
SIGEBOTO.
REIKHO.

Ex his notandi præcipue sunt *Pirchtelo* & *Peringer;* ille enim anno 1027. factus est Abbas Rhenaugiæ, non quidem immediate post Notkerum, sed mediante *Burkardo,*

kardo, qui & ipſe ſub nomine *Purghart* in ſpacio vacuo inferius ad columnam quartam notatur. *Pirthilo Abbas* noſter inſertus eſt quoque alteri libro Mortuorum ſeu Necrologio Sangallenſi ad diem tertiam Aprilis teſte Joanne Georg. Eckart Tom. II. Franc. Orient. pag. 920.

Alter, quem notari voluimus, eſt *Peringerus*, qui adeoque certo vixit Rhenaugiæ ad finem Sæculi decimi. Eruditiſſimi Viri S. Blaſii primum Cellæ ſuæ antiquæ ſeu S. Blaſii Abbatem celebrant ejusdem nominis Peringerum ſeu *Beringerum;* certant tamen, utrum ad Sæculum X. vel XI. ſit referendus; cujus electionem illi reponunt ad annum 945. quando certe libertatem Cella Alba a Rhenaugia nondum conſequuta fuit; hanc enim primum anno 962. impetrare adlaboravit S. Reginbertus ſub Ottone I. & S. Conrado Epiſcopo. Melius ergo recurritur ad Sæculum XI. maxime quia alias Abbatum ſeries S. Blaſii plurimum per 100. ferme annos interrumperetur, ſecundo Abbate Wernero primum comparente ad medietatem Sæculi undecimi. Atqui hæc eadem ætas aprime convenit Peringero noſtro ad finem Sæculi X. inter Rhenaugienſes Catalogo Sangallenſi adſcripto, quem proinde poſt initium Sæculi undecimi vel electum vel poſtulatum propter veterem cum Rhenaugia neceſſitudinem & filiationem credimus. Neque abnuunt Eruditiſſimi Viri S. Blaſii, ut videre eſt in Nigra Silva Tom. I. pag. 188. ſive illi, qui Beringerum ad Sæculum XI. ſtatuunt, ſeu etiam alii, qui Sæculo X. inhærent; nam etiam eodem Sæculo initiante, ſeu finiente IX. alius ex Rhenaugienſibus comparet Beringerus columna prima *Peringer Presbyter.* Huic Sæculo X. nonnulli Succeſſorem dant Sigefridum ex veteri Necrologio Sanblaſiano, cui inſcribitur *Sigefridus* Abbas VI. Kal Oct. Sed dato etiam hoc Abbate, ejusdem nominis Monachus inter noſtros etiam Sæculo X. apparet in hoc Catalogo Sangallenſi ſecundus columna tertia *Sigifrid.* Verum, cum Necrologio prædicto non adſcribatur, cujus loci fuerit Abbas, vel quando vixerit, melius e cenſu Sanblaſianorum Abbatum expungitur, & continua Abbatum ſeries a Beringero Sæculo XI. inchoatur, qui obiit anno 1045. electo Wernero, qui ad annum usque 1068. pervenit.

Poſt Notkerum Abbatem & ab eo ſuſceptos Monachos, omiſſi ſunt reliqui Sæculi XI. Abbates Rhenaugienſes: *Richardus*, quem Hermannus Contractus anno 1053. in Terram Sanctam peregrinatum fuiſſe teſtatur; *Gerungus*, contra quem intruſus eſt ab Henrico IV. Imp. Rumoldus Epiſcopus Conſtantienſis; &

Cuno,

Cuno, qui ex fortuito caſu Abbatiam reliquit. Tandem ad initium Sæculi XII. renovata apparet Fraternitas cum Monaſterio S. Galli, inſcriptis Catalogo huic Confœderatorum Abbatibus noſtris *Wolveno II.* & *Ottone* cum Fratribus ab hoc ſuſceptis, non ſolum litteratis, ſed etiam Monialibus & Converſis, ritu Hirſaugienſium introductis, ex quorum Monaſterio Otto poſtulatus fuerat. Interpolantur inter columnam tertiam & quartam, cum alibi pro illis inſcribendis nullus pateret locus; accurate tamen conveniunt cum Necrologio noſtro antiquo Sæculi XII. cui ſinguli, una cum multis aliis ad dies eorum emortuales inſcribuntur cum notis conſuetis n. c. id eſt noſtræ congregationis, item Conv. & Sor. id eſt Converſorum & Sororum. Sic ſcribitur ad diem 26. Novembris: Obiit Otto Abbas n. c. ad diem 2. Febr. o. Arnolfus n. c. ad diem 9. Decem. o. Heberhardus Con. ad diem 22. Aug. o. Ita Sor. &c.

Ultimo loco ſub columna quarta ſolus ad hunc Catalogum adnectitur Succeſſor Ottonis *Diemar Abbas* ſeu Dietmarus Abbas noſter electus anno 1125. cum quo expirat totus iſte Rhenaugienſium Catalogus, non ſolum ſua antiquitate, ſed etiam cum monumentis authographis convenientia ſummopere æſtimandus.



Nro. I.

de Ao. 858 et 870.






Nro. II.


de Ao. 974.






Nro. III.
de Ao. 995.





Nro. IV.
de Ao. 1023.






Nro. V.

Ao. 1067.





Nro. VI.

Ao. 1208.








Nro. VII.

de Ao. 1241.






Nro. VIII.

de Ao. 1332







Tab. V.



de Ao. Nro. IX. 1363.
Nro. X. de Ao. 1375.
Nro. XI. de Ao. 1374.
Nro. XII. de Ao. 1310.
Nro. XIII. de Ao. 1320.
Nro. XIV. de Ao. 1348.
Nro. XV. de Ao. 1348.
Nro. XVI. de Ao. 1348.
Nro. XVII. de Ao. 1348.

NOMINA FRUM DE M·

Vuichram abba	Emich
Vuolunt abba	Suab
Arn vuart abba	Not Ni
Adalhart prb	Lutto
Perahtker prb	Megin
Thiotanc prb	Findic